# SILI ITALICI

## PVNICA

EDIDIT

IOSEPHVS DELZ



STVTGARDIAE IN AEDIBVS B.G. TEVBNERI MCMLXXXVII

Gedruckt mit Unterstützung der Förderungs-
und Beihilfefonds Wissenschaft der VG WORT GmbH,
Goethestraße 49, 8000 München 2

CIP-Titelaufnahme der Deutschen Bibliothek

**Silius Italicus, Tiberius Catius:**
[Punica]
Sili Italici Punica / ed. Iosephus Delz. – Stutgardiae : Teubner,
1987
(Bibliotheca scriptorum Graecorum et Romanorum Teubneriana)
ISBN 3-519-01804-7
NE: Delz, Josef [Hrsg.]



Printed in Germany

Gesamtherstellung: Passavia Druckerei GmbH Passau

CORNELIAE
VXORI CARISSIMAE
SACRVM

# PRAEFATIO

Silii edendi consilium cepi ante septem fere lustra, non admiratione quidem poetae mediocris instinctus, sed quia editionem a Ludovico Bauer confectam[1] fundamento parum firmo niti et adnotationes eius criticas plurimis in locis mendosas esse perspexeram. Discrepat enim, ut unum erroris genus afferam, quod in praefatione de praestantia codicum F et L legitur cum testimoniis in apparatu critico ex codice V allatis, qui persaepe solus aut solus cum codice Coloniensi deperdito veram lectionem praebere videbatur. Sed inspecto codice V(aticano latino 1652) horum bonorum nec vola nec vestigium apparuit. Qui fieri potuit, ut editor cetera diligens tam graviter erraret? Codices ipsos scilicet Bauer non vidit, sed schedis et notis aliorum contentus esse debebat. Imprimis Georgius Thilo Punica prius editurus – sed mox ad alia se convertit – nonnulla festinanter congessit et codicem V, quem optimum omnium esse sibi persuaserat, cum textu vulgo edito satis neglegenter comparavit[2]. Ubi autem Thilo nihil adnotaverat, Bauer ex silentio veram lectionem codici Vaticano perperam attribuisse manifestus est.

Audax ergo iuventa laborem immensum suscepi et primum quidem catalogos bibliothecarum quos potui evolvi necnon litteris inquisitoriis ad bibliothecarios in omnes partes dimissis ignotos codices indagare conatus sum. Sed prae-

1 Sili Italici Punica ed. Ludovicus Bauer, Lipsiae 1890/1892.

2 Georgius Thilo, Quaestiones Silianae criticae, Nachricht über das Königliche Pädagogium zu Halle 23, 1858. De mala editionis incohatae fortuna vide quae scripserunt Lucian Müller, Berliner philologische Wochenschrift 20, 1891, 620sqq. et ipse Thilo, Jahrbücher für classische Philologie 143, 1891, 589sqq.

da admodum vilis fuit; nam praeter viginti quinque manuscripta ab Hermanno Blass enumerata descripta examinata[1] et duo alia paulo post reperta[2] quinque codices emerserunt (ΑΝΔΘΨ), omnes quod ad textum constituendum pertinet prorsus nullius pretii. Atqui speraveram illum Poggii Florentini librum ab homine indocto Constantiae scriptum in lucem venturum, qui olim cum codice Matritensi 3678 Manilium et Statii Silvas amplexo coniunctus erat, cuius imaginem ac speciem Paulus Thielscher tam graphice delineavit[3]. Qua spe deiectus eos qui exstant codices inter se conferre et ordinare coepi, primo in bibliothecis ubi adservantur desudans (praeter ΘΛΨ omnes in manibus habui), mox domi plerumque micropelliculis a custodibus manuscriptorum comiter concessis et comparatis oculos applicans. Super tantam molem editiones quoque quinti et sexti decimi saeculi perscrutari certis de causis necesse videbatur. Ex tota demum congerie stemma quod dicitur codicum satis perspicuum constitui potuit, quo apparet Hermannum Blass recte quidem codices F et L a ceteris seiunxisse, sed alterius classis testes meliores, id est fonti communi propiores, exstare quam eos quos elegit O et V.

Atque nunc breviter agendum mihi videtur de codicibus qui exstant (I), de codice Coloniensi deperdito (II), de particula versus 8, 144–223 supplente (III), denique de huius editionis ratione (IV). Sed quod ad litteras Poggii Florenti-

1 Hermann Blass, Die Textesquellen des Silius Italicus, Jahrbücher für classische Philologie 8. Suppl.bd., 1875/76, 161–250.

2 G. Wartenberg, Jahrbücher für classische Philologie 33, 1887, 431 sq. (Bibl. Vaticana, Borg. lat. 417); L. Bauer, ibid. 35, 1889, 796 sqq. (Budapest, EK Cod. lat. 8).

3 P. Thielscher, De Statii Silvarum Silii Manilii scripta memoria, Philologus 66, 1907, 85–134 (codicis Poggiani deperditi species descripta p. 105).

ni[1], Francisci Barbari[2], Francisci Philelfi[3], aliorum Italorum attinet, quibus discimus Poggium, cum secretarius apostolicus Constantiae moraretur, anno 1417 veterem codicem Punicorum repperisse[4], exemplum ab homine indocto ('ignorantissimus omnium viventium fuit') suo iussu confectum et a se usque ad tertium decimum librum emendatum Venetias ad Franciscum Barbarum misisse, Nicolaum autem Niccoli Florentinum idem ut videtur manuscriptum per aliquot annos apud se retinuisse[5], Bartholomaeum Aragazzi Montepolitianum fortasse alterum exemplum Constantiae manu librarii Germani scriptum in Italiam apportavisse, quod post

1 A.C. Clark, The Literary Discoveries of Poggio, Class. Rev. 13, 1899, 119–130 ex manuscripto Oxford, Bodl. Libr. Canon. Misc. 484 epistulam exeunte anno 1417 aut ineunte 1418 ad Franciscum Barbarum missam publici iuris fecit (pagina 125 iterata est in: Poggius Bracciolini Opera omnia a cura di R. Fubini Tom. IV, Torino 1969, 239). Vide etiam quae de hac epistula disputaverunt Th. Stangl, Berliner philologische Wochenschrift 33, 1913, 1180–84; 1211–15 et S. Rizzo, Il lessico filologico degli umanisti, Roma 1973, 173sq.; 264. Silius Italicus inter alios auctores nominatur, quos Nicolaus Niccoli in usum suum exscribere vult, in epistula anno 1425 ad eum data: Poggii Epistolae ... collegit ... Thomas de Tonellis, vol. I, Florentiae 1832 (Torino 1964), 150. – Poggio Bracciolini Lettere, I Lettere a Niccolò Niccoli a cura di Helene Harth, Firenze 1984, 144.

2 Francisci Barbari et aliorum ad ipsum epistolae, Brixiae 1743, epist. 1 ad Poggium 'pro inventis Codicibus collaudatio' (iterata in: Poggius Bracciolini Opera ... Tom. IV, 57–64).

3 Francisci Philelfi ... Epistularum familiarium libri XXXVII ... Venetiis 1502, fol. 116 et 165.

4 De Siliani carminis ante saeculum decimum quintum notitia et fortuna vide quae scripsit E.L. Bassett in Catalogo Translationum et Commentariorum III, Washington 1976, 342–348. cf. etiam M.D. Reeve in: Texts and Transmission, A Survey of the Latin Classics, Oxford 1983, 389.

5 Poggius Barbarum oraverat, ut librum correctum 'Florentiam ad Nicolaum' mitteret, anno autem 1425 Nicolaum his verbis re-

eius mortem in possessione patris Antonii Barbadori fuisset, deinde ab Antonio ipso Carolo Marsuppini Aretino commodato datum esset, quaestiones implicatissimas hoc loco tractare nolui[1], id quod facere sine dubio debui, si mihi contigisset, ut unum alterumve codicem certis indiciis cum viris quos supra nominavi conectere possem[2]. Hoc unum autem constat omnes qui hodie exstant ex illo vetere codice a Poggio reperto, ab editoribus dubitabili nomine S(angallensis) ornato[3] emanasse; sed ut Poggii ipsius[4] sic apographa cete-

prehendit: 'Volebam Lucretium pro quindecim diebus neque amplius: tu vero illum, Silum [sic] Italicum, Nonium Marcellum, orationes Ciceronis uno spiritu vis conscribere; quia omnes dicis, nullum absolves'. Unde suspicari licet Nicolaum Punica tunc domi suae habuisse; sed id pro certo affirmari non potest.

1 Diligentissime testimonia collegit et tractavit H. Blass 162–172, nec praeter epistulam Poggii ad Barbarum datam quicquam postea innotuit, quod novam lucem afferret.

2 L. Bauer, Handschriftliche und kritisch-exegetische Erörterungen zu den Punica des Silius Italicus, Programm des Gymnasiums bei St. Anna in Augsburg 1892/93, 16sq. et A.C. Clark, Class. Rev. 15, 1901, 165sq. admodum incerta senserunt, R. Sabbadini, Rivista di filologia e di istruzione classica 39, 1911, 240–251 prorsus falsa; sed vide quid infra de exemplari codicum FL suspicatus sim. – De codice Laur. Gadd. 91 sup. 35 vide infra p. XVI.

3 Ubi Poggius codicem e tenebris eruerit incertum manet quamquam eundem fuisse verisimile est qui in vetere catalogo bibliothecae cuiusdam his verbis describitur: Item ovidii metamorfoseon Sili et stacii vol. I. (Ms Donaueschingen 191 f. 163). v. P. Lehmann, Mittelalterliche Bibliothekskataloge Deutschlands und der Schweiz I, München 1918, 262–266; J. Autenrieth, Die Domschule von Konstanz zur Zeit des Investiturstreits, Stuttgart 1956, 18–20.

4 In inventario librorum post mortem Poggii confecto continetur 'Servius in papirio. Sirius ytalicus in papirio coopertum corio rubeo': E. Walser, Poggius Florentinus, Leipzig und Berlin 1914, 421 nr. 57. Quoniam et alii libri in inventario sine indicio tegimenti enumerantur, ego hunc Silium – illum ut puto, quem Poggius ad Barbarum miserat – non, ut crediderunt Walser et B.A. Müller,

rorum qui primis tribus decadibus novi poetae copiam sibi fecerant funditus perisse ducenda sunt[1].

## I

Codicibus singulis sigla partim iam prius usitata partim a me ipso ficta tribui. Speciem autem librorum more codicologorum accurate describere brevitati studens omisi ubi nihil attinet; sed iam hoc loco quanti quisque aestimandus sit et unde pendeat indicavi, cuius rei argumenta infra in stemmate constituendo proferam. Adnotationes marginales et interlineares, quibus libri maxime in usum scholasticum confecti

Berliner philologische Wochenschrift 37, 1917, 464, cum Servio in uno volumine coniunctum fuisse arbitror.

1 Inter testimonia codicum deperditorum etiam adduci solet quod scripsit L. Mehus in Praefatione ad epistulas Ambrosii Traversarii edendas, Florentiae 1759, XL, 'In margine Siliani codicis, quem possidet Ludovicus Petronius J.C. Neapolitanus legitur: Silii Italici elegantissimum volumen, incuria temporum amissum, nuper Constantiae a Poggio repertum est, anno salutis MCCCCXVII'; v. Blass, Textesquellen 163. 185; R. Sabbadini, Le scoperte dei codici latini e greci ne'secoli XIV e XV vol. 1, Firenze 1905, 80 n. 38 ('L'apografo di Silio posseduto da Luigi Petrone ha la nota ...'); K. Preisendanz, Neue Heidelberger Jahrbücher N.F. 1952/53, 48 ('... die Handschrift, von der Luigi Petrone 1417 schrieb[!], Poggio habe sie in Konstanz gefunden'). Sed mihi videtur Mehus de viro sui temporis, non saeculi decimi quinti locutus esse et lapsu calami 'Siliani' scripsisse pro 'Pliniani'. Nam in margine ad Plinii epistulam 3, 7 de morte Silii Italici talem notam exspectes, non autem in margine codicis Siliani; et re vera similem notam invenies in compluribus codicibus Plinianis: v. C. Plinii Caecili Secundi epistularum libri decem rec. ... R.A.B. Mynors, Oxonii 1963, XII et e.g. London, Brit. Libr. Add. 22816 (a. 1466/67) f. 64v, ubi ad Plin. epist. 3, 7 in margine legitur 'Silius italicus. qui eximium edidit de secundo bello punico volumen / constantiae repertus est a poggio 1417 salutis anno' (liber mihi ab Albinia de la Mare indicatus est).

abundant, fusius tractavi et quoad potui auctoribus assignavi in Catalogo Translationum et Commentariorum (CTC) III 365 sqq.

**A** Firenze, Bibl. Laur., Acquisti e Doni 361

chart., IV + 179 + III′ (f. 168 cum versibus 16, 554–626 excisum est), scriptura cursiva non pulchra.

f. IVr in summa pagina litteris evanidis legitur: 'Hyeronima nota sig.', f. 179v post finem carminis:

Epitaphium Silii Italici poetae
Silius altisono celebrauit barbara uersu
Prelia: Apollinea solus in arte potens.
Tempore perpetuo intactum quem gloria seruat,
Illius hic durus protegit ossa lapis.
Gregorius Grimius

Librum scholasticum annis 1470–1480 attribuerim; sed quis fuerit ille Gregorius Grimius, utrum epitaphii tantum auctor an scriptor codicis, adhuc ignorare me paenitet[1]. Textus et adnotationes consentiunt plerumque cum codicibus TXΨ (CTC 366 'Anonymus B').

Liber anno 1932 emptus a bibliopola Seeber.

**B** Oxford, Bodl. Libr., Canon. class. lat. 116 (B Blass)

chart., I + 113, scriptura cursiva cum elementis scripturae librariae mixta.

Codex solos libros 1–11 complectitur, sed f. 112v in ima pagina leguntur verba reclamantia ut dicuntur 'iam terra

1 Epigramma ad G. Grimium quendam composuit Leonardus Montagna (P. O. Kristeller, Iter Italicum II 97: Roma, Bibl. Casanatensis 276).

glaciale caput' (12, 1); f. 113 vacuum est. In marginalibus praeter scriptoris duae aliae manus agnoscendae sunt.

In usum suum neglegenter scripsit Paulus Marsus, notus ille Fastorum Ovidii editor, dum Pomponius Laetus anno 1468 Venetiis aliquot discipulis Punica exponit, ut ex adnotationibus marginalibus comparatis cum fragmento commentarii in codice Paris, Bibl. Nat. lat. 8413 servato conclusi[1]. Exemplar unde Paulus Marsus Silium descripsit non exstat; consentit plerumque cum libris quales tum in 'Academia' Romana sub Pomponio Laeto conficiebantur ut HQYZ, sed influxerunt lectiones ex stirpe librorum in Italia septentrionali locata, in quibus codices OΓΞ numerandi sunt. Lacunis aliisque mendis propriis scatet.

Librum imperfectum et alioquin minimi pretii a Marso, cum mense Augusto anni 1468 in Hispaniam proficisceretur, Venetiis relictum esse suspicor ibique delituisse, dum saeculo decimo octavo exeunte in possessionem Mathaei Canonici veniret[2].

D Firenze, Bibl. Laur., Laur. 37, 14 ($L^1$ Blass)

membr., II + 224 + III', cum stemmate gentis Medicae, scriptura libraria pulchra.

Continet Punica ff. 2–176r, vitam Silii Italici 176r–177r, Calpurnium Siculum 177v–193r, Hesiodi Opera et Dies in versione Latina Nicolai De Valle cum carmine dedicatorio

1 Ein unbekannter Brief von Pomponius Laetus, Italia Medioevale e Umanistica 9, 1966, 417–440; CTC 374 sq.

2 Codex summatim descriptus est in H.O. Coxe, Catalogi codicum manuscriptorum Bibliothecae Bodleianae, pars tertia codices graecos et latinos Canonicianos complectens, Oxonii 1854, col. 158.

ad Pium II 193v–206r, Claudiani De raptu Proserpinae 207r–224.

Liber luxuriosus totus scriptus est ab Antonio Sinibaldi, ut facile detexi collatis imaginibus photographicis codicum signatorum[1]. Punica cum vita Silii[2] ex editione Parmensi anni 1481 descripta sunt, Calpurnius Siculus et Hesiodus ex editione principe Punicorum anni 1471 ut puto[3], de Claudiano inquirere omisi[4].

E Firenze, Bibl. Laur., Laur. 37, 15 ($L^2$ Blass)

membr., I + 191 + II′, cum stemmate gentis Medicae, scriptura libraria.

Omissum est a ligatore ut videtur bifolium intimum quinionis ultimi quod versus 17, 386–513 continebat (propter initia versuum 17, 385 et 17, 513 ut arbitror); desunt versus 15, 717–748, scilicet quia librarius unam paginam exemplaris praetermisit, et f. 168v versus 15, 589–618 post 15, 619

1 B.L. Ullman, The origin and development of humanistic script, Roma 1960, tab. 65–68; simillima est scriptura codicis Vat. Urb. lat. 666 anno 1481 scripti (Ullman tab. 67; conspicitur eadem forma peculiaris litterae r, ut etiam in codice Oxford, Bodl. Libr., Canon. class. lat. 31: Humanistic Script of the fifteenth and sixteenth centuries, Bodleian Picture Books No. 12, Oxford 1960, tab. 5).

2 Vitam ex Siccone Polenton, Scriptorum illustrium Latinae linguae libri XVIII, paucis mutatis desumptam esse perspexi; v. CTC 361.

3 De Calpurnio v. M.D. Reeve, Class. Quart. 28, 1978, 224.

4 Codicem descripsit A.M. Bandini, Catalogus codicum latinorum Bibliothecae Mediceae Laurentianae, Florentiae 1774–1777, 2, 253, picturas P. D'Ancona, La miniatura fiorentina, Firenze 1914, 1, 106; 2, 823.

perperam iterati sunt. In fine legitur 'LIBER PETRI DE MEDICIS COS. FIL.'.

Liber a calligrapho mihi ignoto[1] scriptus est ante annum 1457; nam adhibitus est a Gherardo Iohanne del Ciriagio, cum eo anno codicem L exararet. Pendet enim ut multi alii ex codice G, ubi duo versus 3, 198. 199 in unum contracti sunt *hoc trepidus monstro neque enim sopor ille tenebras*; Gherardus autem vocabulo *tenebras* in E eraso *nec alte* superscripsit et totum versum 199 in margine addidit[2].

**F** Firenze, Bibl. Laur., Aed. 196 (F Blass)

chart., I + 176 + II', scriptura cursiva.

Ima pars folii primi rescissum est cum stemmate possessoris, ut suspicari licet, et versibus 1, 26–32 et 61–66, quos manus posterior in charta agglutinata supplevit. In scheda folio Ir agglutinata legitur 'Lib(er) Georgij Antonij Vespuccij καὶ τῶν φίλων', in f. Iv 'Hec legens apes imitare jux(ta) D. Magni Basilij prȩceptum in X̊ IH̑V D(omi)no n(ost)ro'. In fine Vita Silii addita est, transcripta ex editione Romana secunda anni 1471, ubi post ultima verba Vitae legitur 'Opus iam neglectum Pomponius recognovit. Anno domini MCCCCLXXI VI Calend. Mai. Romae'. Verba 'Opus ...

1 Simillima est scriptura codicis Vat. lat. 362 exarati a Johanne Caldarifice (Kessler) de Monthabur, qui ante annum 1450 Florentiae apud Vespasianum de Bisticcis scripturam humanisticam librariam didicisse videtur: J. Ruysschaert, Une annonciation inspirée de Roger de la Pasture dans un manuscrit Romain de 1459, Mélanges d'archéologie et d'histoire de l'art offerts au prof. J. Lavalleye (Univ. de Louvain, Recueil de travaux d'histoire et de philologie 4e série, fasc. 45, 1970) 249–258 et Planche LXII.

2 Codicem descripsit Bandini 2, 254, picturas D'Ancona 2, 238.

recognovit' una cum Vita inconsiderate ut puto in codicem manu scriptum translata sunt[1].

De libri praestantissimi origine aetate indole prorsus falsa protulerunt viri docti L. Mehus, qui eum ab Ambrosio Traversario scriptum esse contendit[2], et A. C. Clark, qui descriptione parum iusta quam H. Blass fecerat deceptus de apographo illo ab homine indocto Constantiae confecto cogitavit[3]; rectius iudicavit W. C. Summers[4], quamquam id quod aenigma esse putavit ('Sphinx est, non codex') facile solvi potest. Exaratus est enim liber in charta generis Florentiae annis 1474–83 adhibiti[5] a duabus manibus, quarum unam inspectis plurimis Vespucciorum familiae codicibus ipsius Georgii Antonii (1434–1515) esse vidi, alteram Anastasii fratris (1426–1482) esse suspicatus sum[6], et Georgius quidem scripsit f. 1r, 2v l.19–3v l.6, 6r l.1–20, 10v, 105v l.18–23 (in spatio ab Anastasio relicto, sed parum amplo), 126r l.16–35, 174r Vitam Silii scriptura paulum mutata, Anastasius vero cetera, sed Georgius passim menda correxit, lacunas explevit, versus omissos in margine supplevit, praeterea inde a libro tertio titulos librorum addidit; notabilia quaedam ab Anastasio margini adscripta ex fonte desumpta

1 Sine hoc additamento eadem Vita exstat in codicibus miscellaneis Firenze, Bibl. Naz. Centr. II, X 43 f. 138v et Paris, Bibl. Nat. lat. 10 806 f. 49 (CTC 361 sq.).

2 Ambrosii Traversarii Latinae epistolae a ... Petro Canneto ... in libros XXV tributae. Accedit eiusdem Ambrosii vita ... deducta a Laurentio Mehus, Florentiae 1759, 387.

3 Class. Rev. 13, 1899, 127 sq. Sed imaginem photographicam codicis nactus opinionem mutavit: Class. Rev. 15, 1901, 165 sq.

4 Corpus Poetarum Latinorum ... ed. I. P. Postgate fasc. IV, Londini 1904, VIII.

5 C. M. Briquet, Les filigranes, Leipzig 1923, no. 3373.

6 A. C. de la Mare, The Handwriting of Italian Humanists, vol. I fasc. 1, Oxford 1973, 106–138; descriptio codicis Aed. 196 p. 128.

esse arbitror, cum eadem admodum peculiaria in codicibus alterius classis G et V inveniuntur[1].

Exemplar unde fratres Vespuccii textum transcripserunt lectu difficillimum fuisse videtur, neque ego ipsum illud apographon hominis indocti, id est librum Poggii, esse plane negaverim. Ex eodem fonte certe hausit Gherardus Iohannes del Ciriagio, cum anno 1457 codicem L pro Iohanne Cosmae de Medicis exararet, neque absurdum est suspicari Poggium, qui tum cancellarius Florentinus erat, librum suum Iohanni de Medicis commodavisse.

G Firenze, Bibl. Laur., Laur. (Gadd.) 91 sup. 35 (G Blass)

chart., II + 179, scriptura cursiva quasi cancellaria.

In f. Iv octo lineae scriptae erant; quibus erasis verba tamen quaedam legi possunt, ut 'et volta la charta et lascia versi tre per le rubriche et versi otto per il ...'. f. IIv continet disticha Martialis 7, 63 litteris capitalibus scripta, f. 1r in margine inferiore legitur 'Bernardij de puccinis no XXVIII'.

Liber umore affectus inter folia adhuc particulas caeni conservat. Pariter inquinatos esse inveni quindecim ceteros codices Gaddianos qui olim in possessione huius Bernardi de Puccinis fuerant[2]. Hi omnes una eademque manu exarati sunt, sed neque nomen scriptoris neque indicium temporis

1 Codex summatim descriptus est ab A. M. Bandini, Bibliotheca Leopoldina Laurentiana 1, 1791, 504: 'Cod. chartac. MS in fol. min. saec. XV. castigatissimus, cum titulis rubricatis, et initialibus coloratis ...'. Est quod id iudicium mireris.

2 Gadd. 13, Laur. 76, 12, Laur. 89 sup. 52, Laur. 89 inf. 2, Laur. 89 inf. 3, 1–3 (v. Gius. Billanovich e M. Ferraris, Italia Medioevale e Umanistica 1, 1958, 255 sq. et A. de la Mare, Florentine Manuscripts of Livy in the Fifteenth Century, in: Livy, ed. T. A. Dorey, London/Toronto 1971, 179), Laur. 89 inf. 10, Laur. 90

exhibent. Eadem manus scripsit etiam Silium Vat. lat. 3300 (R), qui olim in possessione Antonii Beccadelli 'Panormitae' fuerat, et ex eiusdem Panormitae bibliotheca Ammianum Marcellinum Vat. lat. 3341.

R ex G descriptus est, charta amborum cum eodem filigrano annis c. 1440–1450 Florentiae in usu erat[1]. Item ex G descripti sunt codices EKMNUΛ. Unde confidenter conicere licet Vespasianum de Bisticcis bibliopolam Florentinum notissimum codice G ad multiplicandum carmen Silianum usum esse et illis verbis, quae in f. Iv leguntur, eum operarios scriptorii sui instruxisse. Praeterea codicem G ipsum – et fortasse ceteros Gaddianos eadem manu scriptos – olim Caroli Marsuppini fuisse suspicor. Quis autem fuerit possessor saeculi decimi sexti Bernardus de Puccinis diu frustra quaesivi; denique vestigium repperi[2] in fasciculo Firenze, Bibl. Naz. Centr., Naz. II 282 inserto 15: tractatus de instrumento quodam optico cum epistula dedicatoria inventoris Bernardi Puccini 'Serenissimo G. Principe di Toscana' autographa ut videtur[3].

Codex aetate ut puto ceteros vetustiores aliquot annis antecedens correctus est a manu, quam collatis marginalibus

sup. 6, 1, Laur. 90 sup. 14, Laur. 90 sup. 50, Laur. 90 sup. 69, 1, Laur. 90 sup. 78 (v. P.L. Schmidt, Die Überlieferung von Ciceros Schrift 'de legibus' in Mittelalter und Renaissance, München 1974, 319sqq.), Laur. 90 sup. 88, Laur. 91 sup. 19. – Scriptura comparari potest cum exemplis scripturae cancellariae qualia praebet P. Herde, Die Schrift der Florentiner Behörden in der Frührenaissance (ca. 1400–1460), Archiv für Diplomatik 17, 1971, 302–335, tab. III–VI.

1 Briquet 6650.6651.

2 G. Mazzatinti, Inventari dei Manoscritti delle biblioteche d'Italia 8, 1898, 6.

3 Exstat etiam oratio eius ad eundem principem: Firenze, Bibl. Naz. Centr. Magl. XXVI 41 f. 13 Bern. Puccini 'orazione' in laudem principis Cosmae I (Kristeller, Iter Italicum 1, 1963, 121).

codicis R et codice Vat. lat. 3371 Panormitae esse arbitror[1]. Notabilia ipse scriptor margini apposuit, sed et duae aliae manus in iis agnoscendae esse videntur[2].

H London, Brit. Libr., Harl. 4863 (H Blass)

membr., I + 177 + I', scriptura libraria.

f. 177v in margine inferiore legitur scriptura saeculi decimi sexti 'Dionysius Zanchius Comm.[s]'. Is una cum fratribus Chrysostomo et Basilio Zanchio anno 1524 in ordinem Canonicorum regularium Lateranensium receptus est et anno 1582 inter vivos fuit[3].

Liber quod ad textum constituendum attinet nullius pretii exaratus est circa annum 1470 ut puto a tribus manibus. Aliae tres in margine et inter lineas deprehenduntur, quarum una, quae versum 1,55 omissum supplevit, sine dubio Pomponii Laeti est; alia in principio scholia satis ieiuna interspersit, tertia saeculi decimi septimi varias lectiones adnotavit, e.g. ad 8, 439 (f. 85r) 'al. Vopicus. MSS Oxoniensis. Coloniensis', quod ex C. Barthii Adversariis anno 1624 publicatis desumptum esse videtur, nisi forte haec manus ipsius Barthii est[4].

1 cf. G. Resta, L'epistolario del Panormita, Messina 1954, 59sq. et tab. VII–IX.

2 Bandini 3, 771: 'optimae notae, cum variis aliquot lectionibus margini adscriptis, ab aquis pluvialibus inquinatus ...'

3 Donato Calvi, Scena letteraria de gli scrittori bergamaschi, Bergamo 1664, vol. 1, 118sq.; G. Tiraboschi, Storia della letteratura Italiana 7, Venezia 1796, 862.

4 Codex enumeratur in: A Catalogue of the Harleian Manuscripts in the British Museum vol. 3, 1808, 212 B 'codex membranaceus elegans'. v. etiam C.E. Wright, Fontes Harleiani, London 1972, 368.

J Firenze, Bibl. Laur., Laur. 37, 17 ($L^4$ Blass)

membr., 227 + II, cum stemmate gentis Sassetti, scriptura cursiva pulchra[1].

Collatis aliis libris eiusdem quondam possessoris Francisci Sassetti (1421–1490), quos a Bartholomaeo Fontio (1446–1513) scriptos vel adnotatos esse constabat, hunc et complures alios codices Fontio attribuere potui[2].

Variae lectiones et notabilia passim a Fontio ipso in margine scripta sunt; e.g. ad 6, 639 (f. 80v) apposuit 'Vnus qui nobis cunctando restituit rem', sicut etiam in Livio Laur. 63, 8 (f. 209r). Notam longiorem ad 8, 480sq. (f. 103v) de portu Lunae excerpsit Bandini in descriptione codicis[3].

In textu constituendo Fontius maxime codicem L secutus est, ubi f. 18v manu sua versum insiticium 'ultor erit caedis iam te spectante propinque', quem in suum textum recepit, margini adscripsit et f. 7v varias lectiones adnotavit; sed et editiones Romanas anni 1471 et fortasse alios codices manu scriptos adhibuit, praeterea proprias coniecturas satis audaces immiscuit[4].

K Firenze, Bibl. Laur., Laur. 37, 18 ($L^5$ Blass) **a. 1453/54**

membr., III + 192 + III', scriptura libraria.

Folia 82–91 et 112–121 rescripta sunt; folium 84v male abrasum undecim versus continet, in reliqua parte verba

1 De ornamentis v. D'Ancona 2, 239.

2 A. de la Mare, The Library of Francesco Sassetti, Cultural Aspects of the Italian Renaissance, Essays in Honour of Paul Oskar Kristeller, Manchester/New York 1976, 160–201 interea totam bibliothecam Sassetti reconstruxit; codex Laur. 37, 17 in Appendice 9, 3 sub numero 18 descriptus est.

3 Bandini 2, 255.

4 De Fontii ceteris studiis Silianis egi CTC 396sq.

singula lingua vulgari scripta legi possunt, item in foliis 112–121. f. 192r legitur 'Expicit (sic!) liber XVII punicorum Silij italici p(er) Mathiam Lupium sub die ultima ianuarij 1453[1]. f. 192v continet disticha Martialis 7, 63.

ff. 1–38 et 46–56v l.25 a manu ignota scripta sunt, cetera a Mathia Lupio, qui etiam f. 21v lineam 10 et f. 31r lineam 1 spatio relicto inseruit, versus ab altera manu omissos supplevit, varias lectiones et coniecturas proprias passim adnotavit, titulos librorum addidit.

Pendet ex G, sed et alios codices Lupio praesto fuisse manifestum est.

L Firenze, Bibl. Laur., Laur. 37, 16 **a. 1457**
($L^3$ Blass, L Bauer)

membr., 206, cum stemmate gentis Medicae, scriptura libraria pulcherrima.

f. 206v: SILI ITALICI PVNICORVM LIBER DECIMVS SEPTIMVS ET VLTIMVS EXPLICIT. LAVS DEO OMNIPOTENTI.

SCRIPTVS AVTEM FVIT ⟨manu⟩ MEI GHERARDI IOHANNIS DELCIRIAGIO CIVIS ET NOTARII FLORENTINI. DVM ESSEM NOTARIVS ET SCRIBA DOMINORVM CIVITATIS FLORENTIE DICTVM LIBRVM ABSOLVI. DE ANNO DOMINI. MCCCCLVII. PRO SPECTABILI ET GENEROSO VIRO IOHANNE COSME DE MEDICIS. OPTIMO CIVE ET PRIMARIO FLORENTINO.

1 De Mathia Lupio Sangeminianensi (1380–1468) magistro satis noto cf. e.g. A. de la Mare, Humanistic script: the first ten years, in: Das Verhältnis der Humanisten zum Buch, Kommission für Humanismusforschung, Mitteilung 4, 1977, 99sq., M. Tagliabue, Italia Medioevale e Umanistica 26, 1983, 171, M.C. Davies, Humanistica Lovaniensia 33, 1984, 6–21.

Gherardus Iohannes del Ciriagio calligraphus praestantissimus plurimos libros et scripsit et suo nomine signavit[1]. Primo Gherardus codicem E describere coepit, librum scilicet paulo ante pro fratre Iohannis de Medicis confectum, in quo manum eius correctricem detexi. Cum circiter trecentos versus scripsisset, textum meliorem nactus est, librum Poggii ut arbitror, eundem qui viginti fere annis post in manibus fratrum Vespucciorum fuit, et diligentissime menda ab exemplari iam transcripta erasit et correxit (1, 49 *trabo* EL, corr. in L; item 79 *nutrice,* 92 *crebroque,* 141 *gradis,* 145 *opem* etc.); sed codicem E retinuit, fortasse etiam librum ex quo tota classis altera manavit inspicere potuit. Sic textum mixtum praebet neque coniecturis propriis abstinuisse videtur, nisi forte illas in libro deperdito invenit.

M Venezia, Bibl. Marc., Marc. lat. XII 68 (4519) (M Blass)

membr., II + 200 (numerati 1–202), scriptura libraria pulcherrima.

In tegimenti parte interiore indicatur librum olim sub numero 716 monasterii SS Iohannis et Pauli fuisse. f. 2v litteris capitalibus auratis disticha Martialis 7, 63 leguntur. f. 3r initium carminis pictura Florentina cum quattuordecim imaginibus heroum belli Punici secundi circumdatum est, auctor carminis pictus in prima littera O[2]. Ante f. 3 duo folia excisa esse animadverti, totidem fortasse in fine. In iis octo picturae erant, quas vidit et fuse descripsit Georgius

1 B.L. Ullman, The Origin and Development of Humanistic Script, Roma 1960, 111–118.

2 D'Ancona 1, 89sq.; 2, 330. G. Muzzioli, Mostra storica nazionale della miniatura, Catalogo, Firenze 1954, 303sq. num. 477. Imaginem praebent D. Formaggio e C. Basso, La Miniatura, Novara 1960, 68.

Vasari in fine vitae fratris Giovanni da Fiesole[1]. Sed deceptus ab auctore suo Cosma Bartoli eas falso pictori Florentino Attavante attribuit. Saeculo decimo septimo medio codex incolumis erat[2], sed anno 1789 picturis iam privatus in bibliothecam Marcianam translatus est[3].

Originem codicis obscuraverunt Müntz et Fabre, dum librum cum picturis a Georgio Vasari descriptis nusquam ap-

1 Giorgio Vasari, Le vite de' più eccellenti pittori scultori ed architettori, nelle redazioni del 1550 e 1568, testo a cura di Rosanna Bettarini, commento secolare a cura di Paola Barocchi, Testo 3, Firenze 1971, 279–281 (comm. G. Milanesi vol. 2, Firenze 1878, 523 sqq.).

2 J.P. Tomasinus, Bibliothecae Venetae manuscriptae publicae et privatae, Utini 1650, 24.

3 J. Morelli, Notizia d'opere di disegno nella prima metà del secolo XVI ... Bassano 1800, 171 sq.: 'Era il codice, nello stato suo primitivo, ricco di otto miniature di tutta la grandezza del volume; una delle quali rappresentava papa Nicolo V sedente per cui il libro sembra che fosse fatto ... Ora una soltanto di esse rimane, cioè Marte sopra una carretta antica ... ma questa pure alquanti anni prima delle altre era stato levata dal codice, e sopra una tavoletta attaccata ...'. Idem Morelli minus accurate codicem descripsit in additamento manu scripto ad Catalogum Bibliothecae SS Iohannis et Pauli a D.M. Berardelli confecto (Venezia, Bibl. Marc., Consult. Cataloghi Mss. Marc. 6A): '716. Cod. membr. in fol. saec. XV. olim cum miniaturis. M 6 [deletum] C. 6. Silius Italicus. De Bello Punico. Quatuor paginae desunt ab iniqua manu abscissae, quae picturas miro artificio elaboratas habebant: duae nimirum initio, quae Romam et Carthaginem, duae in fine, quae Hannibalem et Scipionem exhibebant'. Sed quattuor folia, non quattuor paginae desunt et septem picturae; nam octo Vasari descripsit, quarum una, quae Martem in curru stantem exhibet, adhuc monstratur in bibliotheca Marciana (imaginem praebent Formaggio e Basso 69, opus pictori Francisco Pesellino attribuentes); quam si quis a ligno cui agglutinata est solvat, in folio verso picturam Neptuni ut puto reperiat.

parere contendunt[1]. Atqui idem auctores in eodem libro Catalogum librorum Nicolai V publicaverunt[2], quem Cosmas de Monteserrato bibliothecarius papae Calixti III fecerat, in quo legitur: 'Item unum volumen ex pergameno regalis forme cum quatuor serraturis argenteis deauratis et cum ligni postibus, copertum veluto viridi, nuncupatum Silius Ytalicus Romanus poeta clarissimus de secundo bello punico'. In altero catalogo 'Inventarium quorundam librorum repertorum in cubiculo Nicolai pape quinti post eius obitum'[3] idem codex isdem verbis adducitur. Tegimentum quidem pristinum, quale in his catalogis describitur, periit, sed cetera et imprimis forma tituli 'Silius Italicus Romanus poeta clarissimus de secundo bello Punico' optime quadrant in codicem M[4].

Liber luxuriosus intra annos 1447 et 1455 iussu papae Nicolai V confectus est Florentiae et ut arbitror in scriptorio Vespasiani de Bisticcis, descriptus ex codice G.

1 E. Müntz et P. Fabre, La bibliothèque du Vatican au XV[e] siècle d'après des documents inédits, Paris 1887, 38: 'Morelli a encore vu ce dernier manuscrit, qui contenait huit miniatures à pleine page, et, parmi elles, le portrait de Nicolas V assis. Aujourd'hui on ignore ce qu'est devenu cette précieuse relique de la bibliothèque Vaticane'.

2 Müntz et Fabre 103 sq., e codice cathedralis Vichensis 201.

3 G. Amati, Archivio storico italiano S. 3 T. 3, 1866, 207–212: Notizia di manoscritti dell'Archivio secreto vaticano. cf. G. Sforza, La patria, la famiglia e la giovinezza di Papa Niccolò V, Lucca 1884, 384–391; A.M. Albareda, Il bibliotecario di Callisto III, Studi e Testi 124, 1946, 178–208.

4 Silium papae Nicolai V in his catalogis descriptum ipsum illum Marcianum XII 68 esse suspicata est Maria Bertola, Codici latini di Niccolò V perduti o dispersi, Mélanges E. Tisserant 6, Studi e Testi 236, 1964, 129–140 (de Silio p. 139) et iam prius viderunt Formaggio et Basso 69.

N Oxford, Bodl. Libr., Add. c. 192 **a. 1455**

chart., I + 210 (numerus 125 bis positus) + I', scriptura cursiva.

ff. 1 et 204–209 vacua sunt. In f. I tres epistulae anno 1883 scriptae agglutinatae sunt, in quibus de emptione codicis agitur[1]. In f. I' numero 215 inscripto quinque particulae cum numeris 210–214 agglutinatae sunt, duo vetustiores vix legibiles, tres recentiores, fortasse fragmenta schedarum a lectore quodam saeculi decimi octavi insertarum[2]. f. 203v: 'Explicit liber XVII secundi belli punici Silii ytalici poete prestantissimi scriptus et completus p(er) me comedium bartolomei decoritho sub anno domini MCCCCLV die XXIIII[a] maij et cetera'. In eadem pagina duo additamenta posteriora leguntur:

Comedius, seu Nicomedes de Venutis filius Bartholomaei q(uondam) Balducij, q(uondam) Domini Vannis, q(uondam) Balducij, q(uondam) Vannis, q(uondam) Domini Bonaiunctae de Venutis, nobilis Cortonensis, Poeta egregius sui temporis, et Francisci Petrarchae imitator fuit: cuius carmina Italica authographa, cum hoc codice MSS in Bibliotheca eq. Marcelli et Fratrum de Venutis Cortonae seruantur: Anno 1783.

Il sudd[o] manoscritto fù trovato in Firenze dal Prete D[r] Pier Antonio Santucci e dal med(esim)o fù rivendicato dal cav(aliere) frà Gio: Girolamo Sernini e dal med(esim)o ceduto alla B.M. del cav(aliere) Marcello de Venuti mio Padre. Benv(enu)to G(i)u(se)ppe de Venuti.

1 F. Madan, A Summary Catalogue of Western Manuscripts in the Bodleian Library 5, 1905 no. 29278: 'Bought at Rome through Mr. W.H. Bliss from the signora Giuseppa Venuti for £ 5 in April 1883, and received on May 5'.

2 212: Bellide (cf. 3, 650); 213: Melissa overo Limonaria (cf. 14, 251?); 214: Titimolo (cf. 4, 738?); par frustulum inter folia 43 et 44 insertum inveni: Cahelidona minore (cf. 3, 598 aut 15, 307?).

Huius poetae nobilis pauca vestigia exstare videntur[1]. Silium suum ex codice G descripsit. f. 49r ad nomen Corythi (4, 720), conditoris urbis Cortonae, in margine manum indicatricem pinxit. Varias lectiones, coniecturas proprias, explicationes breves sparsim in margine apposuit.

O Oxford, Queen's College 314 (O Blass)

chart., III + 264 + III', scriptura quasi-gothica.

In margine sinistro f. 1r bis numerus sedis prioris additus est '...]h 6. B 51' et 'arch. B 51'[2], et in margine superiore legitur 'Joannes Luidus Collegio Reg [...'[3].

1 Mazzatinti, Inventari dei manoscritti delle biblioteche d'Italia 6, 1896, 198: Arezzo, Bibl. della fraternità di S. Maria [Fraternita dei Laici] 158 'Rime di Comedio Venuti da Cortona, figlio di Bartolomeo di Balduccio del signor Vanni di Balduccio di Giovanni del signor Bonagiunta de Venuto; nacque 1424 a 14 di settembre'. Mazzatinti 12, 1902/3, 15: Firenze, Bibl. Naz. Centr., Fondo princ. II, IX 132 Eutropius cum subscriptione 'Die XXI Junii M°.CCCC°.LXXI°. Stranscribendi (sic!) finem dedit huic libro Comedius not(arius) Cortonensis'. Mazzatinti 18, 1912, 173: Cortona, Bibl. del Comune e dell'Accademia Etrusca 350: 'Notti coritane 1744–1755 vol. I. XI Comedio Venuti sonetto a Francesco Sforza' (cf. F. Ravagli, Un sonetto inedito di Comedio Venuti a Francesco Sforza duca di Milano, Cortona 1893, per nozze Rossi-Redi/Nardi-Dei; non vidi). Mazzatinti 20, 1913, 86: Cortona, Bibl. del Comune ... 585 codex miscellaneus a G.G. Sernini scriptus 'f. 45–51 Exemplar capituli compositi a Comedio de Venutis de laudibus patriae'. Kristeller, Iter Italicum 2, 1967, 35: Parma, Bibl. Palatina, Pal. 286 f. 128 'comedius Corithonensis (?), verses to Clarice, wife of Lorenzo de' Medici (1469)'. De Academia Etrusca Cortonensi eiusque membris v. M. Maylender, Storia delle Accademie d'Italia 2, Bologna 1927, 327–332.

2 Cum numero 'B. 5.1.' collegii Reginensis in Oxonia codex adducitur in: Catalogi librorum manuscriptorum Angliae et Hiberniae in unum collecti, Oxoniae 1697, T. 1 P. 2, 30r 944.

Codex continet Punica f. 1–218 et Valerii Flacci Argonauticorum partem priorem (1–4, 317) f. 219–264, omnia eadem manu exarata. Foliorum 1–14 tertia fere pars exterior abscissa est. In correcturis et marginalibus praeter scriptoris tres manus distingui possunt, quarum unam viro Britanno admodum noto John Free (c. 1430–1465) attribuere mihi contigit, unde librum olim in bibliotheca comitis Vigorniensis John Tiptoft (1426–1470) fuisse statui[1].

Scriptus est in genere chartae medio fere saeculo in Italia septentrionali adhibito fortasse ab alio quodam Britanno, qui tum Patavii vel Ferrarae vel in alia urbe illius regionis versabatur. Eiusdem enim manum detexi in alio codice olim bibliothecae Tiptoftianae, Oxford, Bodl. Libr., Arch. Seld. B 50, quem John Free adnotavit et supplevit; is continet commentarium in Iuvenalem ab Omnibono Leoniceno confectum, quocum Tiptoft anno 1458 Patavii amicitiam iunxerat, qui illi versionem Latinam opusculi 'Xenophontis' de venatione dedicavit[2].

Ex eodem exemplari Punica et Argonautica complexo etiam codices Γ (inde a versu 9, 379) et Ξ derivati sunt.

Codicem vidit Janus Gruterus, qui excerpta sua C. Barthio commodavit[3].

3 [ad p. XXIV] R.J. Getty, The lost St. Gall MS of Valerius Flaccus, Aberdeen University Studies 110, 1934, 7 in descriptione codicis cetera parum accurata recte suspicatur hunc virum eundem John Lloyd esse, qui Collegio Reginensi etiam codicem Horatii decimo saeculo scriptum donaverit.

1 John Free und die Bibliothek John Tiptofts, Italia Medioevale e Umanistica 11, 1968, 311–316 cum tabulis photographicis.

2 cf. G. Ballistreri, Bonisoli Ognibene, Dizionario biografico degli Italiani 12, 1970, 234–236.

3 A. Drakenborch in Praefatione editionis Trajecti ad Rhenum 1717 p. [5].

**P** Paris, Bibl. Nat., Lat. 8066 (P Blass) **a. 1461**

membr., II + 204 + I' (numeratio vetus 1–202: folium non numeratum inter 19 et 20, duo folia cum numero 149), cum stemmate possessoris eraso, scriptura libraria.

f. 204 (202)r: SILII ITALICI PVNICOR(um) LIBRI XVII EXPLICIVNT. Jacobus de machariis uenetus scripsit. Senis. Anno d(omi)ni 1461. Tempore pontificat(us) Sanctissimi ac Beatissimi in christo patris et domini. d(omi)ni. Pape. pii. II. LAVS O(m)NIPOTENTI.
f. I'v: Hunc codicem κατὰ λέξιν contuli 22 7^br 1777 – Lefebvre de Villebrune Siluanectinus[1].

Complures codices a Jacobo de Machariis scripti et signati exstant[2]. Silium neglegentissime mendis innumeris inquinavit. Textus interdum consentit cum codicibus VΓ, raro cum FL, in duobus ultimis libris maxime et antea hic illic ex codice K pendere videtur.

De marginalibus plerisque ineptis partim cum adnotationibus codicis Γ cohaerentibus egi CTC 365 sq. ('Anonymus A'). Ea ab ipso scriptore Jacobo passim usque ad medium librum decimum quartum ab exemplari desumpta esse arbitror.

1 De fato codicis olim Puteanei v. L. Delisle, Le cabinet des manuscrits de la Bibliothèque Impériale 1, Paris 1868, 264; H. Omont, Anciens inventaires et catalogues de la Bibliothèque Nationale 3, 1910, 462; 4, 1911, 189. Descriptionem brevem et imaginem photographicam praebent Ch. Samaran et R. Marichal, Catalogue des manuscrits en écriture latine portant des indications de date, de lieu ou de copiste 3, Paris 1974, 11; pl. 169.

2 Bénédictins du Bouveret, Colophons de manuscrits occidentaux des origines au XVI^e siècle 3, Fribourg 1973, 51 sq. 7838–7844; addendus est codex Vaticanus Ottob. lat. 1574 (E. Pellegrin, Les manuscrits classiques latins de la bibliothèque Vaticane 1, Paris 1975, 614 et pl. 26) et, nisi fallor, codex non signatus

Res mira legitur f. 111v post versum 10, 333 in ultima paginae linea:

va Primam penole [i. Penelope] dilecto mandat ulixi cat, initium videlicet argumenti cuiusdam epistularum Heroidum Ovidii[1].

Q Città del Vaticano, Bibl. Vat., Vat. lat. 1651 a. 1470
($V^1$ Blass)

membr., 210, cum stemmate gentis Della Rovere stemmati ignoto superposito[2], scriptura libraria.

f. 1 continet epistulam Plinii 3, 7. f. 208r legitur 'Finis Deo Gra(tia)s Amen. LEONARDVS IOB 1470.[3]. folia 208v–210 vacua sunt.

Paris, Bibl. Nat., Lat. 8381 (E. Pellegrin, La bibliothèque des Visconti et des Sforza ducs de Milan, Supplément ... Florence 1969, 42 pl. 135).

1 Tale argumentum in codicibus Ovidianis Pierpont Morgan Library 810 et Kopenhagen Ny Kgl. Samling 219 b 4° se vidisse indicat mihi M. D. Reeve.

2 B. Nogara, Codices Vaticani Latini 3, 1912, 132: 'stemma Xisti IV pontificis adpictum est'. Sed codex fortasse in papae eiusdem gentis Julii II bibliotheca fuit, cuius in catalogo Vat. Lat. 3966 f. 111–114 codex Silii describitur: L. Dorez, La bibliothèque privée du pape Jules II, Revue des Bibliothèques 6, 1896, 97–124 (no. 25 'Silius Italicus, ex membranis, in velluto gilbo'). Aliter J. Ruysschaert, Enea Silvio Piccolomini Papa Pio II, Siena 1968, 274: 'en l'absence de toute indication relative à Jules II, il y a tout lieu de croire qu'il s'agit du blason de Sixte IV'.

3 Ab eodem scripti et signati sunt codices Budapest, OSZK Clmae 167 (C. Csapodi, The Corvinian Library, History and Stock, Budapest 1973, 222), Budapest OSZK Clmae 438 (Csapodi 160), Cambridge Mass., Harvard Univ. Libr., Ms Typ 91 (Supplement to the Census of Medieval and Renaissance Manuscripts in the United States and Canada ... ed. by W.H. Bond, New York 1962, 257;

Textus correctus est ab altera manu, sine dubio Pomponii Laeti, qui in primis quattuor libris etiam marginalia addidit (CTC 376) et in codice Y (Vat. Lat. 3302) conficiendo maxime codicem Q adhibuit[1]. Scriptor ipse f. 183v ad 15, 732 sq. in margine adnotavit 'Deest finis huius versus et principium alterius', in textu iusto spatio relicto. In omnibus enim alterius classis codicibus duo versus in unum contracti sunt hoc modo: *Hic iuueni oppositus Tyrio foret et quot funera Poenis*; idem spatium relictum est in codicibus a Q pendentibus Y et Θ, in Z ab alia manu verbis *'hei mihi quanta / cessavit Latio dextra'* expletum, ex editione Romana secunda, ut puto. Indicium lacunae ab exemplari deperdito translatum esse videtur.

**R** Città del Vaticano, Bibl. Vat., Vat. lat. 3300 ($V^2$ Blass)

chart., I + 174, scriptura cursiva quasi cancellaria.

f. Ir 'Silio Italico in papiro in foglio. Ful. Urs.'[2].

Liber in eadem charta qua codex G ab eodem scriptore ex G descriptus est. In possessionem Fulvii Ursini cum multis aliis ex bibliotheca Antonii Beccadelli Panormitae per viam ad-

Csapodi 115), Bibl. Vat., Ottob. lat. 1208 (J. Ruysschaert, La Bibliofilia 60, 1958, 337); falso ut puto ei attribuitur codex non signatus Wien, ÖNB, Cod. lat. 92 (Csapodi 390).

1 Y ex Q descriptum et Q ab eadem manu quae Y scripsit correctum esse vidit iam G. Thilo, Quaestiones Silianae criticae, Halle 1858, 5; idem manum Pomponii Laeti agnoscere argumentis ineptis recusavit.

2 cf. P. de Nolhac, La bibliothèque de Fulvio Orsini, Paris 1887, 220; 372 num. 171, qui falso hos titulos a manu Fulvii Ursini esse arbitratur (Planche VIII: 'Fac-simile de l'écriture de Fulvio Orsini'); scripti sunt a bibliothecario G.S. Assemani (A. Campana, Rinascimento 1, 1950, 228 n. 1).

huc ignotam pervenit[1]. Panormita textum correxit et marginalia addidit, id quod iam vidit de Nolhac[2] et ego nunc collatis imaginibus photographicis autographorum[3] confirmare possum. Ex R post correctionem descriptus est codex Φ.

T Paris, Bibl. Nat., Lat. 8065 (T Blass) **a. 1474/75** (?)

chart., 344 (+21a), scriptura cursiva taeterrima.

f. 1r numeros sedum priorum exhibet: Codex Telleriano-Remensis, 86, Reg. 5638.2[4]. ff. 1v–3 vacua sunt. ff. 4–225 Silium, cetera Servium in Verg. buc., georg., Aen. 1–2 continent; sed Servius alia manu in alia charta scriptus a ligatore tantum cum Silio coniunctus est. Senio foliorum 24–35 et quinio foliorum 36–45 ordine inverso ligati sunt. f. 4r in ima pagina legitur 'Lefebvre de Villebrune. Hunc codicem legi et contuli ... Sat bonae notae hic codex, si condonaveris ignorantiae Librarii. in hoc subinde occurrunt glossae non spernendae. proxime accedit ad textum secundae editionis Romanae a Pomponio recognitae ...'.

f. 225v duo epigrammata parum perspicua a manu prima addita sunt:

1 G. Resta, L'epistolario del Panormita, Messina 1954, 59 n. 12 Ursinum libros ab heredibus Panormitae accepisse opinatur; sed inter mortem Panormitae (1471) et Ursini studium librorum centum fere annorum spatium est.

2 P. de Nolhac 220.

3 G. Resta complures tabulas cum imaginibus autographorum libro suo inseruit.

4 De fato codicis recentiore v. L. Delisle, Le cabinet des manuscrits de la Bibliothèque Impériale 1, Paris 1868, 272.302–305; H. Omont, Anciens inventaires et catalogues de la Bibliothèque Nationale 4, 1911/13, 379.

Ad Silium
Silius atroces reserauit carmine clades
Altisono: et quantos urbs tulit alma duces
Hic quoscumque uiros merito laudauit honore
Vmbria magnanimos dixit ad arma gerit ['gerit' deletum] tulit[1].

Ad descriptorem libri
Tempore dum flauas tondebat messor aristas
Compleui: sixtus tempore pastor erat
Milleque cum lustris bis quadricentaque septem
Exegi quartus [corr. in 'quintus'] tunc erat annus opus[2].

Infra legitur manu saeculi decimi sexti scriptum 'Marcus curtius clementinus hoc suum subscripsit nomen ad defendendam memoriam' et eadem ut videtur manu ante et post signum pictum notarii 'Signum mei – Hieronimi et cuiusdam clementini'[3].

Maxima pars ab uno librario scripta est; alter scripsit f. 96r l.13–16, 170v l.1–18a, 21b–25, 178r l.1–9, tertius

1 Poetaster alludit fortasse ad versus 8, 446–467, unde eum ipsum ex Umbria oriundum esse conicias; f. 111r ad 8, 460 'Fulginia' 'Amerinus' manum indicatricem pinxit. Propter similitudinem dictionis eum eundem Georgium Grimium esse suspicor, qui 'Epitaphium Silii Italici poetae' in fine codicis A scriptum condidit.

2 Ch. Samaran et R. Marichal, Catalogue des manuscrits en écriture latine portant des indications de date, de lieu ou de copiste, T.3, Paris 1974, 9 pl. 204 ex hoc epigrammate annum 1484 computant, qua ratione nescio. In Catalogo codicum manuscriptorum Bibliothecae Regiae, P.3 T.4, Parisiis 1744, 424 legitur 'Is codex anno 1417 exaratus est'; similiter J.B. Lefebvre de Villebrune in editione sua, Parisiis 1781, p. VIII 'Codex Tellerianus; in Italia inchoatus anno 1413, absolutus an. 1417'. De anno 1470 cogitat Blass, Textesquellen 181, sed Sixtus IV anno 1471 papa factus est.

3 Marcus Curtius Clementinus adhuc in tenebris latet, Hieronymum eundem notarium esse arbitror, qui nomen suum in codice A reliquit.

f. 135v l.9–136r l.9, 200v l.1–12, 125r, quartus f. 214v l.16–25, 220r l.27–31, quintus f. 215v l.1–12; in f. 183r totus grex horum adulescentulorum communiter lusit.

Textus maxime consentit cum AX; inde a libro septimo editio Romana secunda anni 1471 adhibita est.

De marginalibus egi CTC 366sq. ('Anonymus B').

U Città del Vaticano, Bibl. Vat., Urb. lat. 358 ($V^2$ Blass)

membr., III + 182, cum stemmate gentis Monteferetranae initialibus 'F.C.' (i. Fridericus Comes) circumdato, scriptura libraria.

Intimum primi quinionis bifolium inter secundum et tertium bifolium aberravit. Codex scriptus est ante a. 1474, quo anno Fridericus ex comite dux factus est[1]. A. de la Mare vix dubitat, quin scriptus sit a Sinibaldo C., librario saepius a Vespasiano de Bisticcis adhibito[2]. Descriptus est ex codice G, cuius marginalia quoque fideliter reddit.

V Città del Vaticano, Bibl. Vat., Vat. lat. 1652 (V Blass)

membr., 179 (+ 108 a), scriptura semigotica.

In f. 179r particula membranae cum numero vetere bibliothecae Vaticanae 810 agglutinata est[3]. Spatium ad litteras initiales librorum pingendas relictum est. Nomina, alia notabilia, varias lectiones librarius ipse in margine apposuit;

1 C. Stornaiolo, Codices Urbinates Latini 1, Roma 1902, 331; 3, 1921, X* (S. Le Grelle); Y.-F. Riou in: E. Pellegrin, Les manuscrits classiques latins de la bibliothèque Vaticane II 2, Paris 1982, 578. Ornamenta describit D'Ancona 2, 325.

2 cf. M.D. Reeve, Revue d'histoire des textes 6, 1976, 86sq.

3 B. Nogara, Codices Vaticani Latini 3, Roma 1912, 132.

eadem fere inveniuntur in codicibus F et G, quae partim ex fonte communi manasse probant imprimis verba 'ebrii mos' ad 7, 200 adnotata et verba corrupta aut mihi non perspicua ad 9, 398 adnotata 'i. la Sarba (vel 'Barba')laj' V (f. 90v) 'illabarba laj' F (f. 87v). Ab alia manu f. 31r versus insiticius 3, 667a margini adscriptus est. Neque scriptoris neque loci neque possessoris pristini indicium me repperisse paenitet.

W Città del Vaticano, Bibl. Vat., Vat. lat. 2779 ($V^3$ Blass)

chart., 197 (numeratio recens foliorum superstitum), scripturae cursivae.

Liber scholasticus multifariam vastatus et laceratus: desunt primi senionis bifolium primum cum versibus 1, 1–56 et 1, 661–2, 21, item sexti senionis cum versibus 5, 631–678 et 6, 601–660, septimi senionis folium decimum cum versibus 7, 479–539, tertii decimi sextum cum versibus 13, 521–580; ultimi senionis folium primum cum versibus 16, 694–17, 45 in fine agglutinatum est, ultimum folium cum versibus 17, 572–654 periit. Praeterea folium 113 paene totum abscissum, margo foliorum 15, 20, 77, 194, 195 recisus est. chartae diversa filigrana exhibent, quae tamen notis et definitis adiungere mihi non contigit.

In textu quattuor manus distinguuntur: prima scripsit f. 1r–2r l.2, 8r–18r l.8, 18v l.3–42v, 43v–44v l.12, 45r–79v, 175r–196v, secunda f. 2r l.3–7v, 80r–174v, tertia f. 18r l.9–18v l.2, 43r, quarta f. 44v l.13–30. Passim correcturae super rasuras factae sunt sic, ut lectio prior legi nequeat. Marginalia a compluribus manibus addita sunt, commentarius plenior a scriptore primo. Ab eodem variae lectiones et coniecturae hic illic illatae, quae consentiunt cum coniecturis quas Petrus Odus Montopolitanus in codice Γ addidit. In versu 17, 363 *ut placet et cineres Troiae Carthagine regnent* verbum *Troiae* in fonte communi codicum OWΓΞ excide-

rat; Odus in Γ margini apposuit 'forte latii regnent in Carthagine cineres', in W prima manus *latii* in lacuna scripsit et in margine adnotavit 'sic putat .p.'; saepius sic invenitur 'puto' et 'putat'. Unde librum 'dictata' Petri Odi a discipulis excepta continere concludo, quem primum Punica in Academia Romana interpretatum esse testatur Petrus Marsus in praefatione editionis anni 1483[1]. Qui fuerint scriptores libri eruet fortasse aliquis ex variis adnotationibus ut f. 57r ad 5, 540 'Nota Juliane butam', f. 154r ad 14, 232 'Nota Therme f(rate)r Jacobe', f. 118v 'Guermus est amicus meus', f. 29r 'ami elicito fare beno perche dati sone abandonato uedendo miesere nocento almallo fare', 'lauia laquale tutene non sera tenuta dami perche non dileta aliboni'.

Textus maxime consentit cum OΞ. Ex hoc codice aliquo modo pendere videntur libri in Academia Romana sub Pomponio Laeto confecti HQYZΘΠ, in quibus, ut in editionibus usque ad Drakenborchianam, versus 15, 211.212 inverso ordine leguntur, qui error in W ortus est, ubi versus 211 omissus in margine inter 212 et 213 suppletus est.

Ex eis quae adduxi librum circa annum 1460 Romae confectum esse opinor[2].

X Città del Vaticano, Bibl. Vat., Vat. lat. 3301 ($V^4$ Blass)

chart., IV + 205, cum stemmate ignoto, scripturae cursivae.

f. Ir 'Silio Italico scritto in pap. in foglio, con alcune notazioni nelle margini, Ful. Urs.' et numerus vetus 178[3]. folia Iv-III

1 CTC 369–373, 387.

2 Petrus Odus anno 1457 Laurentio Vallae in Academia Romana successit et anno 1463 aut paulo ante mortuus est.

3 P. de Nolhac, La Bibliothèque de Fulvio Orsini, Paris 1887, 372 num. 178.

vacua sunt. f. 200r continet epigrammata Martialis 4, 14; 7, 63; 11,48, f. 200v–201r Plinii epistulam 3,7. folia 202–204 vacua sunt, in f. 205v legitur 'Epygramma Grifonis in edacem nequam qui fregit ramalia form(osae) cerasi', duo disticha[1]. Chartae diversa filigrana exhibent, quae tamen notis et definitis adiungere mihi non contigit. Ordo versuum mire turbatus est a f. 186r usque ad f. 190r.

Liber a duabus manibus scriptus est[2], ab una usque ad f. 34r, ab altera a f. 34v ad finem; altera in margine superiore f. 51v notavit 'Johannes mediolanensis Cinedus ingens' et in margine superiore f. 52v 'nicolaus Amideus senensis'[3]. Uterque scriptor marginalia addidit, pleniora in primis tribus libris. Eadem fere leguntur in codicibus ATΨ (CTC 366sq. 'Anonymus B'), quibuscum in textus quoque erroribus maxime consentit. Liber c. anno 1475 ut arbitror scriptus qua via in possessionem Fulvii Ursini venerit non constare videtur.

1 Auctor fortasse est poeta et secretarius papae Sixti IV Leonardus Grifo Mediolanensis, de quo vide L. Martinoli Santini, Leonardo Grifo e i manoscritti del 'carmen conflictus Bracciani', in: Scrittura Biblioteche e Stampa a Roma nel Quattrocento ... a cura di M. Miglio, Città del Vaticano 1983, 93–110.

2 Tertia fortasse agnoscenda est f. 45v l.20–25, quarta f. 63v l.26b–30.

3 Horum utriusque vestigia tenuissima indagavi: Codex Vat. lat. 3908 epistulam Petri Insulani Senensis cuiusdam ad Johannem Aretinum (Tortellium) continet (f. 168), in qua Johannes Mediolanensis ut translator epistulae nominatur; idem officium peragere videtur in epistula Francisci Barbari anno 1446 ad Ludovicum Foscarini data (R. Sabbadini, Centotrenta lettere inedite di F. Barbaro, Salerno 1884, 121). Nicolai Amideni Senensis cuiusdam filius nomine Luca in curia sub Nicolao V, Pio II, Paulo II quaedam officia gessit (G. Zippel, Le vite di Paolo II di Gaspare da Verona e Michele Canensi, Rerum Italicarum Scriptores 3, 16, Città di Castello 1904/11, 100sq.; 203sqq.).

Y Città del Vaticano, Bibl. Vat., Vat. lat. 3302 ($V^6$ Blass)

membr., V + 184 + I', cum stemmate gentis Mazzatostae[1], scriptura cursiva.

f. Ir 'Silio Italico di mano di Pomponio Leto con sue notationi, in perg.'[2]. folia IIr–Vr sex figuras heroum belli Punici secundi penna pictas exhibent[3], f. IVv stemma gentis Mazzatostae incohatum, f. 1r initium carminis circumdatum ornamento cum stemmate gentis Mazzatostae et quinque picturis minutis[4].

1 A. Marucchi, Stemmi di possessori di manoscritti conservati nella Biblioteca Vaticana, Mélanges E. Tisserant 7, Studi e Testi 237, 1964, 89sq.

2 P. de Nolhac, La Bibliothèque de Fulvio Orsini, Paris 1887, 201sq.; 373, num. 188. In inventario vetere bibliothecae Fulvii Ursini sequitur indicium 'coperto di corame verde inorato'; id tegimentum integrum servatum est: T. De Marinis, La legatura artistica in Italia nei secoli XV e XVI vol. 1, Firenze 1960, tav. 69 imaginem photographicam praebet; in descriptione p. 44 librum anno 1471 scriptum esse contendit, errore ut puto inductus, quia editio Romana secunda a Pomponio 'recognita' illo anno impressa est.

3 v. P. de Nolhac 201 n. 2. Imaginem photographicam Scipionis in equo sedentis praebet V. Zabughin, Giulio Pomponio Leto 1, Roma 1909, tab. 7.

4 Imaginem photographicam folii 1r praebet Zabughin tab. 9, folii 12v J. Wardrop, The Script of Humanism, Oxford 1963, tab. 15. De ornamentis v. J. Ruysschaert, Miniaturistes 'romains' sous Pie II, in: Enea Silvio Piccolomini – Papa Pio II, Siena 1968, 275sq.; Survie des classiques Latins, Exposition de manuscrits Vaticans du IV^e^ au XV^e^ Siècle, Bibliothèque Apostolique Vaticane 1973, 69. Libros a Pomponio exaratos recensuit G. Muzzioli, Due nuovi autografi di Pomponio Leto, Italia Medioevale e Umanistica 2, 1959, 337–351. Seriei ab eo enumeratae addere possum codices Roma, Bibl. Vallicelliana C. 95 et Bibl. Vat., Vat. lat. 3875, utrumque Statii Silvas et Achilleida continentem, praeterea Lucretium Napoli, Bibl. Naz. IV E 51 (Kristeller, Iter Italicum 1, 399).

Liber exaratus et in primis tribus libris adnotatus est a Pomponio Laeto[1], descriptus ex codice Q, sed aliis quoque adhibitis ut videtur. De Pomponii studiis Silianis egi CTC 373–380.

Z Città del Vaticano, Bibl. Vat., Vat. lat. 2778 ($V^7$ Blass)

chart., 154, scripturae cursivae.

f. 1 probationes pennae vix legibiles continet (methamorfoseos. Ceu fera tempestas [Ov. fast. 1, 495]) et fasciam pictam cum nomine poetae, tum 'Silius EQ. RO.' f. 2–5 vacua sunt (fortasse ad picturas quales in Y pictae sunt accipiendas), item f. 153 et 154. f. 6r 'SILII : ITALICI EQVITIS : RO : AC : VIRI CONS : A [deletum] POETE : CLARISS : SANCTISS : QVAE [A deletum]: AD DIVVM : VESPASIANVM : BELLVM PVNICVM : SECVNDVM. INCIPIT : FOELICITER.

Liber a quinque discipulis Pomponii Laeti scriptus est, ut solita humanitate Augusto Campana precibus meis permotus constituit. Cuius descriptionem ipsius verbis hic reddere licet: 'Settimuleio Campano e altri pomponiani. Scritto da varie mani: 6r–7r l.1 A, 7r l.2–16v B, 17r–33v l.8 A, 33v l.9–13 C, 33 v l.14–fine D, 34r l.1–34 C, 34r l.35–103 A, 104 D, 105–114r l.2 A, 114r l.3–116 E, 117–131 A, 132–133r l.25 E, 133r l.25–150r l.6 A, 150r l.7–151r E, 151v l.1–15 A, 151v l.16–152r E. La mano A è di un pomponiano, che usa la G aperta, ma la abbandona gradualmente a partire da 38v e la riprende gradualmente da 100v. La mano D è del pomponiano C. Antonio Settimuleio Campano (cf. Vat. lat. 2823 f. Iv. 182v; Vat. Lat. 7619)'[2]. Mar-

1 v. supra ad codicem Q.

2 Imaginem photographicam alterius codicis a Septimuleio scripti et signati praebent S. Costanza e M.B. Foti, I Codici Mano-

ginalia usque ad librum sextum a scriptoribus A et B et fortasse ab aliis adscripta sunt.

Textus neglegentissime ex pluribus exemplaribus descriptus est, ante a. 1470, siquidem Antonius Septimuleius anno 1469 exeunte vel 1470 ineunte mortuus est, qua de re adhuc inter viros doctos ambigitur[1].

Γ Città del Vaticano, Bibl. Vat., Ottob. lat. 1258 ($O^1$ Blass)

chart., 225, scripturae cursivae et librariae.

f. 1r numerus vetus bibliothecae Ottobonianae V. 4.39 legitur et infra 'Ex codicibus Joannis Angeli Ducis ab Altaemps. Statius [deletum, 'Silius Italicus' supra scriptum] et Valerius Flaccus Poetae', deinceps alia manu 'scripti Anno 1426'[2].

scritti del Museo Nazionale di Messina, Messina 1973, tav. VI: Cod. XIII C 7. 1048 Valerius Flaccus. Alios codices ab eodem scriptos A. Campana detexit et palam faciet. cf. J. Ruysschaert, Les trois premières grammaires Latines de Pomponio Leto, Scriptorium 15, 1961, 68–75; J. Dunston, Italia Medioevale e Umanistica 11, 1968, 83 sq.; A. Perosa, Medioevo e Rinascimento Veneto con altri studi in onore di Lino Lazzarini 1 (Medioevo e Umanesimo 34) Padova 1979, 505 sq.; 511 sqq.; P. Medioli Masotti, Italia Medioevale e Umanistica 25, 1982, 191 n. 16. Mihi dubium non est, quin codex Lucretii Basel Univ. Bibl. F VIII 14 in carcere Sancti Angeli a. 1468/69 scriptus Antonio Septimuleio attribuendus sit (cf. M. D. Reeve, Italia Medioevale e Umanistica 23, 1980, 35 n. 2); imaginem photographicam publicavit J. Oeschger in: Basel, Denkschrift zur Erinnerung an die vor 2000 Jahren erfolgte Gründung der Colonia Raurica, Basel 1957, 96.

1 F. Di Bernardo, Un Vescovo umanista alla Corte Pontificia, Giannantonio Campano, Roma 1975, 218 sqq.; Perosa 505 n. 17.

2 De possessoribus prioribus v. E. Pellegrin, Manuscrits classiques Latins de la Bibliothèque Vaticane 1, Paris 1975, 504 cum indiciis bibliographicis; sed quod ibi de origine legitur, 'dépend

f. 1v vacuum est. In margine superiore folii 2r umore affecti legitur '⟨Si⟩lius italicus' crassioribus litteris, quales in multis codicibus Ottobonianis et in inventario bibliothecae ignoti cuiusdam possessoris inveniuntur[1].

ff. 2–210r Silium continent, 211–253r Valerium Flaccum 1–4, 317. In fine a Petro Odo adscriptum est 'Finis eius quod inuenitur argonauticon et quia exemplar in multis carminibus mendosum erat exscriptum est festine opus alio

d'une copie du manuscrit aujourd'hui perdu de Saint-Gall, découvert par Poggio en 1416, faite pour Bartolommeo de Montepulciano dont il reproduit la souscription dans la note du f. 253' ad Valerium Flaccum solum pertinet, non ad Silium (eundem errorem commisit iam R. Sabbadini, Le scoperte dei codici Latini e Greci ne'secoli XIV e XV, Firenze 1905 [ed. anast. 1967], 80 n. 38). Ceterum e vestigiis foliationis veteris (289 = 211 foliationis novae, 331 = 253) sequitur Valerium Flaccum prius cum alio auctore, fortasse Statio, in uno codice coniunctum fuisse.

1 G. Mercati, Codici Latini Pico Grimani Pio e di altra biblioteca ignota del secolo XVI esistenti nell'Ottoboniana ..., Studi e Testi 75, 1938; in inventario eius bibliothecae, Vat. lat. 14065, duo codices Silii enumerantur: 29 'Siluius Italicus in fo. in fo. (sic!) in car. banba[a]' et 255 'Siluius Italicus ligato in tavole in fo. in bambaci[a]'. Ex ea bibliotheca libri postea in possessionem Cardinalis Gulielmi Sirleti venerunt, cuius index librorum exstat in codice Vat. lat. 6163 cum isdem numeris, qui etiam in plerisque librorum adhuc servati sunt, non autem in Ottob. lat. 1258. Mercati 248 ad Silium priorem catalogi Vat. lat. 14065 adnotat: 'Ottobon. lat. 1258 (senza il n° del Sirleto, ma fu il ms. 105 'humanit.' di lui. ... Sul f. 1r, nella rozza scrittura, il titolo ⟨Si⟩lius italicus, guasto dall'umidità. Siccome però in questo titolo e nell'inventario si tace del Valerio Flacco e la descrizione si attaglia anche al ms. 255, è possibile che l'Ottobon. lat. 1258 corrisponda a questo e non al 29 presente'. Mercati ipse alterum Silium non invenit, quia in inventario alphabetico librorum Ottobonianorum errore omissus erat; sed codex exstat et numerum Sirleti 255 conservat: Ottob. lat. 1441, noster Δ. In Γ numerus Sirleti 105 (in indice: 'Sylvii Italici libri 17 Val. Flacc. Argonauticon cum scholiis') umore periit.

tempore corrigendum. In sancto Gallo M°CCCC°XXVI° [littera X prior deleta est] Julii XVI^a'[1]. ff. 253v et 254r vacua sunt. f. 254v a compluribus manibus inscriptum et inquinatum est: 'Auffer Rape Congere posside Relinque' [cf. Mart. 8, 44, 9]; 'Jacobus de gīa (?) Posstulauit et Requisiuit Qtūs ipm̄j (?) dm̄ij gantillini [vel 'Santillini']'; 'dominus petrus de candia / fecit hoc[2] / Pater noster qui es in cellis ...'

Codex scriptus est a quattuor librariis, si excipias f. 29r lineas 2–13 a quinto ut arbitror scriptas, et primus quidem scripsit f. 2–45v, 46v–78, 92–96, secundus f. 46r, 79–91, tertius f. 97–108, quartus f. 109–253; quarum scripturarum nullam alibi me repperisse valde doleo, praesertim cum nec filigrana chartarum varii generis certum loci aut temporis indicium praebeant[3]. Certe liber confectus est ante annum 1462, quo anno Petrus Odus, qui textum Punicorum passim correxit et adnotavit, pauca vestigia etiam in Argonauticis reliquit, iam mente captus erat et fortasse mortuus est[4]. Anno 1473 Domitius Calderinus Veronensis codicem inde a libro nono adnotavit, inventum ut puto in academia Romana ('Sapienza'), ubi post mortem Petri Odi delituisse videtur. f. 102v adnotavit 'Hinc in calcem usque in manibus fuit Domitio Calderino ueronensi nam in superioribus octo li-

1 v. A.C. de la Mare, The Handwriting of Italian Humanists vol. I fasc. 1, Oxford 1973, 90.

2 Alluditur fortasse ad doctrinam logicam Petri de Candia (c. 1340–1410, 1409/10 papa Alexander V). Aliquid simile inveni in codice Bamberg, Staatl. Bibl. Patr. 55 f. 376r; v. L. Ludgerus Meier, De Nicolai Lakmann commentario in Sententias, Scriptorium 4, 1950, 28–43 (30 'in margine superiore quaedam Nota partim abscisa, in cuius fine legitur: Haec Petrus de Candia').

3 Praeter filigrana ab E. Pellegrin (v. p. XXXVII n. 2) enumerata etiam Briquet 9131 (Florence 1456) in ff. 97–110 detexisse mihi videor.

4 v. J. Delz, Ein Brief des Petrus Odus aus seiner letzten Lebenszeit, Italia Medioevale e Umanistica 9, 1966, 436–440; CTC 369–373.

bris alium habuit codicem[1] uidebis igitur in sequentibus tantum nonnulla hac eius manu emendata in marginibus' [ad 'emendata' alia manus adscripsit 'seu corrupta'][2]; f. 210r 'Domitius ueronensis totum opus pu(bli)ce [deletum] exposuit Romae in academia, pu(bli)co salario conductus die [deletum] VII°. Jdus martii MCCCCLXXIII. Codicem hunc habuit in manibus a nono in Calcem, in superioribus altero usus est.' Aliquot coniecturas inter lineas et in margine addidit, quasdam etiam nomine suo signavit; correctorem priorem, cuius manum eum non agnovisse puto, saepius reprehendit, e.g. f. 126r ad 11, 78 ubi Odus scripserat 'repulsi latini ius ciuitatis petentes' addidit 'consulatum petebant, o bone uir'[3].

Praeter Petrum Odum et Domitium Calderinum iam librarius primus usque ad f. 96v (8, 365) notas explanatorias addidit, quarum similes in codice P inveniuntur[4].

Textus consentit cum V usque ad versum 9, 378, cum OΞW inde a 9, 379, qui est versus primus folii 109r, ubi manus quarta incipit. Manifestum est hunc librarium exemplar nanctum esse, in quo Silius cum Valerio Flacco coniunctus erat, idem videlicet, unde et OΞ manaverunt.

Δ Città del Vaticano, Bibl. Vat., Ottob. lat. 1441

chart., 138, scriptura semicursiva non pulchra.

Liber omnibus, qui de codicibus Silianis egerunt, ignotus, quia index alphabeticus codicum Ottobonianorum negle-

1 Is codex non exstare videtur; fortasse fuit liber impressus.
2 Imaginem photographicam praebet J. Dunston (v. n. 3) pl. I.
3 De commentario Domitii v. CTC 383–385; J. Dunston, Studies in Domizio Calderini, Italia Medioevale e Umanistica 11, 1968, 71–150, imprimis 90–106.
4 CTC 365 sq. ('Anonymus A').

genter factus est[1], amico meo E. L. Bassett monstratus est ab inventore Chauncey E. Finch, Saint Louis University[2]. In tegimenti parte interiore legitur 'Ex codicibus Jll(ustrissi)mi et Excell(entissi)mi D(omi)ni Joannis Angeli Ducis ab Altaemps. Sylius Italicus'. f. 1r in margine superiore praeter numerum validum Ottob. 1441 leguntur duo numeri veteres bibliothecae Ottobonianae, V. 2.26 et K VI 7, et numerus 255 bibliothecae cardinalis Sirleti[3]. f. 136r nomina scriptoris et possessorum erasa sunt. A. Campana mecum vestigia legere conatus est:

[... elouicus][4] sc̊psit
SVLLIVS ITALICVS
[hyeronim' de sa .. gonib,][5]
Hy đ p̱uschis[6].

Argumenta, variae lectiones, explicationes inveniuntur praecipue in primis tribus libris, in principio tertii decimi, in principio et fine sexti decimi, in toto septimo decimo. Pleraque a librario ipso scripta partim consentiunt cum marginalibus codicum ATXΨ (CTC 366 sq. 'Anonymus B'), quae-

1 v. supra ad Γ p. XXXVIII n. 1. – De fide dubia indicis egit Mercati (p. XXXVIII n. 1) 170.

2 Descriptionem, sed parum accuratam, nunc praebet E. Pellegrin, Manuscrits classiques latins de la Bibliothèque Vaticane 1, Paris 1975, 566 sq.; cave credas quod ibi de aetate codicis contenditur: 'XV$^{e}$ s. (début)'.

3 v. supra ad Γ p. XXXVIII n. 1.

4 An ⟨Lu⟩douicus? cf. S. De Ricci, A Handlist of Manuscripts in the Library of the Earl of Leicester at Holkham Hall, Oxford 1932, num. 374 [Cicero], Rhetorica ad Herennium, scriptus a Lodouico quodam a. 1474.

5 Gentem Saragonam bis nominatam inveni apud M. A. Altieri (1450–1532), Li Nuptiali ed. E. Narducci, Roma 1873, 26; 114.

6 Marius quidam de Peruschis procurator fisci camerae apostolicae generalis fuit annis 1513–1528; v. W. v. Hofmann, Forschungen zur Geschichte der kurialen Behörden vom Schisma bis zur Reformation 2, Rom 1914, 95.

dam etiam cum adnotationibus in Vat. Inc. II 427 (CTC 368sq. 'Anonymus D'). Sed et aliae manus librum hic illic adnotaverunt, inter quas Pomponii Laeti detegere mihi videor (ff. 15r, 16v, 82r).

Textus maxime consentit in erroribus cum ATXΨ. Librum non ante a. 1470 scriptum esse puto.

Θ Berlin (West), Staatsbibl., Stiftung preußischer Kulturbesitz, Ms lat. fol. 549

chart., I + 192, scriptura cursiva.

In tegimenti partibus interioribus duo folia membranacea textum cum notis musicis continentia agglutinata sunt; anterius incipit 'Petrus exorcista dixit ad arthemium tu crede in deum uiuum', posterius 'Filie hierusalem uenite et uidete martires cum coronis...'.

f. Iv legitur numerus VIII, f. 1r 'acc. 11406 – lat. fol. 549'. Quo tempore codex in Germaniam venerit inquirere omisi; scriptus est sine dubio in Italia. Filigrana chartae pro me inspexit E.L. Bassett: invenit inter alia Briquet 3710 (Gênes 1463). ff. 1 et 2r continent Mart. 4, 14; 7, 63; 11, 48; 14, 49; Plin. epist. 3, 7 omnia corruptissima, et titulum 'Silius Italicus vir consularis ac eques romanus secundum bellum punicum scribit', ff. 2v–191r Punica ab uno librario scripta; ab eodem usque ad f. 159r nomina et argumenta margini adscripta sunt. In f. 192v ratiuncula quaedam pecuniaria facta est.

Textus maxime consentit cum HQYZ, fortasse ex apographo codicis Q deperdito translatus. In re orthographica facile omnium absurdissimus est.

Λ Budapest, EK Cod. lat. 8

membr., II + 185, cum stemmate Matthiae Corvini, regis Hungariae, scriptura libraria.

Codex a. 1877 una cum aliis donatus ab Abdul Hamid II Constantinopoli Budam rediit, ut in margine inferiore ff. 1v 2r indicio lingua Turcica scripto declaratur[1]. Primus inter philologos L. Bauer librum descripsit et secundae familiae a Blass constitutae inseruit[2]. His temporibus cum tota bibliotheca Corviniana identidem tractatus est[3].

Correcturae et variae lectiones a librario ipso sparsim additae, a duobus aliis in primis tribus libris margini appositae sunt; e quibus unus versus omissos 1, 402 (f. 7r), 2, 162 (f. 13v), 3, 67 *orbes* – 73 *matribus* (f. 22v), 3, 175 (f. 24r) supplevit, et versum insiticium 3, 667a (f. 31v) addidit.

Inter ff. 158 et 159 duo bifolia interiora fasciculi cum versibus 15, 182–440 exciderunt et perierunt. Desunt etiam versus 1, 438–469, quia librarius in describendo totam paginam f. 8r codicis G praetermisit.

Ξ Cesena, Bibl. Malatestiana, Cod. Mal. S XII 3 ($M^2$ Blass)

membr., I + 196, cum stemmate Malatestae Novelli, scriptura libraria non pulchra.

f. I pars est bifolii, cuius altera pars tegimento sinistro interiori agglutinata est; hae tres paginae textu christiano scriptura gotica inscriptae sunt. ff. 1–161 continent Punica cum

1 Imaginem photographicam notae similis in Cod. lat. 1 praebet I. Berkovits, Corvinen, Bilderhandschriften aus der Bibliothek des Königs Matthias Corvinus, Budapest/Berlin 1963 tab. I.

2 L. Bauer, Zu den Textesquellen des Silius Italicus, Jahrb. f. class. Philologie 139, 1889, 796–799.

3 L. Mezey, Codices Latini Medii Aevi Bibl. Universitatis Budapestinensis, Budapest 1961, 29; Mezey scriptorem eundem esse arbitratur, qui codicem lat. 2 (Cicero, orationes in Verrem) exaraverit; sed comparatis imaginibus photographicis apud Berkovits tab. III (Cicero) et IV (Silius) scripturas simillimas quidem esse iudico, non autem easdem. Contra recte, ut puto, Mezey utrumque codicem ex officina scriptoria Vespasiani de Bisticcis provenisse

titulo 'PVBLII (!) Silii italici consularis uiri DE SECVNDO Bello punico LIBER Primus incipit. foeliciter', ff. 162–196 Valerii Flacci Argonautica 1–4, 317 eadem manu qua Punica scripta. Alia manus varias lectiones paucas et versus omissos 5, 638 (f. 49r) et 14, 228 (f. 127v) addidit; hanc Antonii Rubelli esse, qui a. 1465 codicem Mal. S I 11 scripsit, censet Biagio Dradi-Maraldi, qui rogatus a me codicem S XII 3 inspexit. scriptus est a. 1464 aut 1465; nam epistula exstat a. 1464 scripta qua Malatesta Novellus Cosmam de Medicis orat, ut sibi per Petrum filium Punica commodet 'acciocchè ... io possa far questa mia libraria omni dì più copiosa di libri'[1], et mense Novembri 1465 Novellus mortuus est. Sed Petrus de Medicis suum Silium (E) certe non commodavit nec frater eius suum (L). Ξ ex eodem codice pendet quo O et Γ, qui praeter Silium fragmentum Sangallense Valerii Flacci continebat. Consentit cum O in erroribus innumeris, sed magnam partem earum correcturarum, quas Petrum Odum in codicem Γ intulisse vidimus, librarius in textum recepit et nonnullas coniecturas satis bonas aut ipse fecit aut ex aliquo codice deperdito sumpsit. Alicubi suspicio oritur codicem Γ librario in manibus fuisse: 10, 195 pro *ualent* in archetypo fuit *uadent*, in OΓ *uadunt*, quod in Γ Odus correxit superscribendo *lent*; in Ξ legitur *lene*, sine sensu.

suspicatur, id quod constat de codice lat. 1 a Vespasiano signato. v. etiam Berkovits 30–33; C. Csapodi, The Corvinian Library, History and Stock, Budapest 1973, 354sq.; C. Csapodi – K. Csapodi-Gárdonyi, Bibliotheca Corviniana, 2. Aufl., deutsch von H. und G. Engl und M. Pusztai, Budapest 1978, 43.

1 R. Zazzeri, Sui codici e libri a stampa della Biblioteca Malatestiana di Cesena, 1887, 349sqq.; N. Trovanelli, Quattordici lettere di Malatesta Novello Signore di Cesena, La Romagna 6, 1909, 41sq. (non vidi; indicavit mihi A. Campana); cf. etiam A. Campana in: Tesori delle Biblioteche d'Italia, Emilia e Romagna, a cura di D. Fava, Milano 1932, 94.

Π Città del Vaticano, Bibl. Vat., Borg. lat. 417

membr., 145, scriptura cursiva litteris maiusculis interspersa.

Liber olim in possessione congregationis De propaganda fide sub numero M. VIII 20 a. 1902 cum ceteris Borgianis in Bibliothecam Vaticanam translatus est. Primus philologorum eius notitiam dedit G. Wartenberg[1]. Desunt tres primi fasciculi cum versibus 1, 1–3, 530, duo folia paenultimi fasciculi et ultimus fasciculus cum versibus 17, 3–654, quarti fasciculi bifolium intimum cum versibus 4, 74–201, rescissum est folium inter f. 124 et 125 cum versibus 15, 108–171. ff. 1–26 in margine et inter lineas adnotationes copiosas continent, manu Pomponii Laeti scriptas, ut A. Campana me docuit. De hoc commentario egi CTC 376. Pomponius multas quoque correcturas in textum neglegentissime scriptum intulit. Textus in libris 6–8 plurimos errores communes habet cum Z, in ceteris cum toto grege codicum Pomponianorum aliquo modo cohaeret, inter corruptos longe corruptissimus.

Σ Roma, Bibl. Casanatense Ms 1064 ($M^3$ Blass)

chart., 207, scriptura semi-humanistica.

In catalogo manu scripto bibliothecae Casanatensis[2] legitur: 'Silius Italicus ... Ms sec. XIV cadentis vel ineuntis XV'. Sed

1 Zu den Textesquellen des Silius Italicus, Jahrb. für class. Philol. 135, 1887, 431 sq. v. nunc descriptionem apud E. Pellegrin, Manuscrits Classiques Latins de la Bibliothèque Vaticane, 1, Paris 1975, 242.

2 Index Librorum Manuscriptorum Bibliothecae Casanatensis, R–Z [vol. III] 442. – De fato recentiore librorum Cardinalis Girola-

et filigrano[1] et imprimis lectionibus ipsis et adnotationibus a librario additis[2] demonstratur librum saeculo decimo quinto posteriori assignandum esse.

In tegimenti parte interiore duo numeri veteres leguntur: H.II.9 (deletum) et D.II.2. Foliatio vetus singulorum librorum passim exstat in margine superiore (e.g. f. 1 '.L.I. C.II' et f. 108 'C.XI.L.VIIII').

Desunt aliquot folia, fortasse totus senio, in principio; nam in margine inferiore folii primi numerus 13 detegitur. Textus carminis incipit a versu 1, 60. ff. 11–106 octo seniones sunt. In nono senione folium tertium cum versibus 9, 656/7 rescissum est. sequuntur quattuor seniones et ternio, cuius ultimum folium cum versibus 14, 659–688 rescissum est, tum quaternio et duo seniones et iterum ternio, cuius ultimum folium cum versibus 17, 645–654 rescissum est. Apparet igitur hominem quendam chartae indigentem codicem foliis non repletis spoliasse.

Liber totus ab uno librario scriptus est et ab eodem correctus, plerumque super rasuras. Interdum lectionem priorem in marginem exposuit addito vocabulo 'prius'. Multas earum coniecturarum quas Petrum Odum in codice Γ fecisse vidimus adoptavit addito vocabulo 'puto' vel etiam 'et melius'.

Quia textus tot rasuras et correctiones passus est, difficile fit diiudicare, quo loco stemmati inserendus sit, neque librarium uno eodemque exemplari per totum opus usum esse arbitror. Maxime consentire videtur cum OWΓ. Multas lec-

mo Casanate v. Guide-Manuel des Bibliothèques de Rome publié par l'institut historique néerlandais, Rome 1932, 35.

1 Briquet 11706 (Florence 1448–56).

2 De tribus generibus commentariorum vide quae scripsi CTC 368 sq. ('Anonymus C' et 'Anonymus D'); 385 ('Domitius Calderinus').

tiones ex hoc codice inutiliter adnotavit in editione sua Punicorum H. Occioni[1].

Φ Oxford, Bodl. Libr., Lat. class. c. 4 (M[1] Codex Mediomontanus Blass)

chart., 185 (184 + 66 A), scriptura cursiva.

Primi quinionis folium secundum deest cum versibus 1, 64–129; altera pars bifolii, i.e. f. 9, agglutinata est. Ultima duo folia ab altera manu ex alio exemplari descripta sunt (ex editione Veneta 1483 Petri Marsi ut arbitror propter 17, 597 *quem* pro tradito *et*, quam coniecturam neque in editionibus prioribus neque in libris manuscriptis inveni). Ceterum multis indiciis patet librum ex codice R a Panormita iam correcto descriptum esse (e.g. 13, 830 *cocia* Φ, quia in R nomen *clodia* sic in *coelia* correctum est, ut *cocia* legi possit: *cloͤdia*). Notabilia et variae lectiones sparsim ab altera manu in margine scriptae inveniuntur.

Qua via codex in Britanniam venerit ignoro[2].

Ψ New Haven, Conn., Yale Univ. Libr., Marston Ms 220

chart., 184, scriptura cursiva.

Notitiam codicis amico E. L. Bassett debeo. Descriptus est in libro Supplement to the Census of Medieval and Renaissan-

1 Ti. Catii Silii Italici Punicorum libri septemdecim curante Honorato Occioni. Accedunt variae lectiones codicis Casanatensis. Augustae Taurinorum 1889.

2 De fato recentiore codicis v. F. Madan, A Summary Catalogue of Western Manuscripts in the Bodleian Library at Oxford, 6, 1906, 234. Emptus erat anno 1836 a Thoma Phillipps, sed non adducitur ab A.N.L. Munby, Phillipps Studies 1–5, Cambridge 1951–1960.

ce Manuscripts in the United States, originated by C.U. Faye, continued and edited by W.J. Wilson, New York 1962, 90 his verbis: 'Silius Italicus Punica. Pap., 184 ff. (lacking 3 ff.) ... written in Italy, 15 c. Disbound; preserved in early 19th c. wood box. Forged 15th c. presentation inscription to Francesco Petrarca, with early 19th c. documents authenticating this forgery. Purchased in 1958 from Bernard Rosenthal, Inc.'[1].

Desunt primum folium cum versibus 1, 1–71, unum folium post f. 106 (11, 24–85) unum post f. 143 (14, 197–260), ultimum folium vacuum. Textus in erroribus maxime consentit cum ATXΔ. De commentario satis ubere a librario ipso ut arbitror addito vide quae scripsi CTC 366sq. ('Anonymus B').

Instar codicum manuscriptorum habendae sunt editiones priscae e quibus duae priores Romae eodem fere tempore anni 1471 impressae multum inter se discrepant et quidem, id quod mireris, Romana prior (**r1** = Hain 14733) plerumque facit cum codicibus deterioribus in quibus omnes cum Academia Pomponii Laeti conexi (HQYZΠΘ) numerandi sunt[2], secunda autem (**r2** = Hain 14734) a Pomponio Laeto

1 De fraude famosa v. B.L. Ullman, Italia Medioevale e Umanistica 5, 1962, 456, ubi perperam codex in libris 'From the Linterno Collection; Garegnano' numeratur; nam L. Arrigoni, Souvenir de Pétrarque, Notice historique et bibliographique sur vingt-cinq manuscrits ... ayant fait partie de la Bibliothèque de François Pétrarque ..., Milan 1883, aperte declaraverat Silium alterius originis esse atque ceteros viginti quattuor libros: p. 18 'd'une autre provenance'. Gius. Billanovich, Autografi del Petrarca, 2. I Libri di Linterno, Italia Medioevale e Umanistica 22, 1979, 227–238. CTC 398.

2 17, 357 in Q vocabulum *haec* omissum est, item in codicibus YΘ ex Q pendentibus et in r1 et omnibus editionibus praeter r2. Quodam modo igitur r1 e Q aut e fonte communi pendere videtur.

recognita[1] plurimas lectiones continet, quae in parte meliore codicum servatae sunt. Mediolanensis anni 1481 (**m** = Hain 14736), item Parmensis anni 1481 (**p** = Hain 14737) paucis mendis correctis e Romana priore pendent, et e Parmensi ut videtur Veneta Petri Marsi prima (**v1** = Hain 14739). Id vel uno indicio probatur: versus 10, 125 in r1 excidit et inde deest in m p v et omnibus ceteris editionibus usque ad Modium, item in codice D ex p descripto.

His libris enumeratis restat ut addam codices miscellaneos Leidensem Gronovianum 17 et Vaticanum latinum 3135 exeunte ut arbitror saeculo decimo quinto scriptos, quorum prior quidem ff. 19–33 'conciones ex Syllo seu Silio Italico' continet, fortasse ex editione Mediolanensi aut Parmensi desumptas, alter autem ff. 44–51 'Excerpta ex Silo Italico' satis brevia, ad textum constituendum inutilia quamquam plerumque cum codicibus FL consentientia. Praeterea adnotandum est versus 8, 408–411 de Ciceronis laude in multis codicibus opera Ciceronis quaedam continentibus necnon in aliis ut in Vaticano Ottob. lat. 1202 Tibulli carmina continente inveniri (f. III). Alia frustula ex Punicis hic illic in marginibus codicum diversorum auctorum adducuntur, quae hoc loco colligere omisi, quia quantum video nihil novi nos docere possunt. Punica a florilegiis medio aevo collectis abesse videntur, id quod mirum non est; nam praeter 'Sangallensem' et Coloniensem vix alii codices eiusdem aetatis exstiterunt[2].

1 v. supra p. XIII sq.

2 In codice Bedae nono saeculo scripto Stuttgart, HB VII 38 (Weingarten B 53) manus saeculi undecimi f. 1r addidit: *Ipsa quidem uirtus sibimet pulcherrima merces* (Sil. 13, 663). Cum is codex olim bibliothecae ecclesiae Constantinensis fuerit, suspicari licet librum 'Sangallensem' adnotatori praesto fuisse. de quo vide J. Autenrieth, Die Domschule zu Konstanz zur Zeit des Investiturstreits, Stuttgart 1956, 79. 148, necnon eiusdem Die Handschriften

Ea quae in descriptione uniuscuiusque codicis dixi nunc adhibitis lectionum collatione plena his duobus stemmatibus depingere licet, uno carmen usque ad versum 9, 378, ubi codex Γ exemplar mutavit[1], altero a 9, 379 ad finem complectente. Sed praemoneo lectorem haec stemmata veritate simpliciora esse; nam complures testes, qui inserendi fuissent, perisse arbitror, et litteris Graecis minusculis potius brevitatis et perspicuitatis causa usus sum quam quia exploratum habeo singulos quosque codices amissos illis designari. Imprimis notandum est littera δ in priore parte consensum codicum V et Γ, in posteriore autem consensum codicum O et Γ significari. Quem locum codices W et Σ primitus obtinuerint, propter innumeras lituras et correctiones difficile est dictu. De fontibus variis codicum P et Ξ vide descriptionem[2]. Cognationem codicum deteriorum, quos siglo ς comprehendi, subtilius definire multi et cassi laboris est. Stemmati inserui editiones priscas r1, r2, m, p, v1, de quibus v. p. XLVIII sq.


In ω varias lectiones et correctiones supra lineam et in margine fuisse vel propter miram diversitatem duarum stirpium suspicari licet, et demonstratur e.g. his locis: 10, 456 *cloelius* F²Γ²ς : *clodius* F : *delius* L : *clodelius* β (in ω erat $\overset{\mathit{clo}}{\mathit{d}}$*oelius*); 12, 368 *isse* G δ : *ipse* F : *esse* L : *e isse* V (in ω erat $\overset{\mathit{i}}{\mathit{e}}$*sse*); 13, 700 *Marcius* Heinsius : *martius* β : *maretius* α (in ω erat *mar*$\overset{\mathit{c}}{\mathit{t}}$*ius*).

der Württembergischen Landesbibliothek Stuttgart, 2. Reihe 3. Band, Wiesbaden 1963, 183. Minus certum est unde adnotator codicis miscellanei saeculi noni Bern, Burgerbibliothek 363 notitiam Punicorum habuerit, qui f. 147 ad Chirii Fortunatiani artem rhetoricam adscripsit 'silus italicus XV lib. de bellis punicis'; v. Th. Gottlieb, Randbemerkungen des Codex Bernensis 363, Wiener Studien 9, 1887, 157; Codices Graeci et Latini photographice depicti duce Scatone de Vries 2, Leiden 1897, 294.

1 supra p. XL.

2 supra p. XXVI et XLIV.

Stemma 1, 1 – 9, 378



Stemma 9, 379 – 17, 654



α plerumque lectiones meliores praebet et saepe consentit cum lectionibus codicis Coloniensis a Carrione et Modio publicatis.

β inter alia menda innumerabilia omisit versum 12, 222 et in unum contraxit versus 15, 732.3, sed contra α veram lectionem quinquaginta fere locis (e.g. 1, 316; 4, 823; 5, 255; 6, 33; 8, 490; 9, 657; 10, 268; 11, 252; 12, 669.735; 15, 274.375.446; 17, 147) et versum 17, 336 in α omissum servavit.

γ omisit 15, 700 *Canthus possessor harenae* usque ad 702 *Rutilum* et satis multos errores commisit; vide adnotationem criticam ad 2, 1.20; 3, 99.109.466.665; 4, 54.73.186. 267.659.801; 5, 117.369; 6, 341.352; 7, 25.165.385.665; 8, 347.538.578.581.639; 9, 176.201.319.541; 10, 442; 11, 127.257.543; 12, 10; 13, 280.543.658.674.685; 14, 614; 15, 228.278; 16, 26.123.316.492; 17, 61.83.120.155.483. Codex G igitur omnibus his locis veram lectionem una cum α servavit, sed ipse propriis mendis scatet, quae cuncta fere in prolem suam numerosam propagavit; sic, ut unum genus vitii adferam, in 3, 198.9 verba *nec altae – fugante*, in 9, 451.2 *quantumque – mensi* omissa sunt, item versus 5, 98 et 17, 10. γ paucis locis coniectura facili verum repperit: 9, 503; 10, 363; 11, 311; 14, 400. Casu accidisse puto, ut 8, 442 G *plumis croceum* habeat cum δ contra *croceum plumis* αO; sed inde a libro nono V saepius consentit in vero cum α contra Gδ, qua re stemma propositum turbari videtur: 9, 564; 10, 346; 11, 25.389.426.427.540.575; 13, 326.707; 14, 16.153.309.504.561.631; 15, 183; 16, 647; 17, 528. 640. Perpensis autem his locis concedas necesse est a lectore attento manifesta menda vel sine auxilio stirpis α corrigi potuisse. Ubi G et V errore communi peccant, vitium in β fuisse, in δ correctum esse verisimile est: 11, 11.263; 12, 453.487; 13, 482; 15, 536; 16, 275; 17, 3.

δ et in priore et in posteriore parte plurima menda habuit, quae per ΓΣW et sine dubio per aliquot codices amissos in deteriores, quos siglo ς comprehendi, et in priscas editiones influxerunt. Eorum mendorum gravissimum est, quod versus 16, 567–571 omissi sunt. Alia vide e.g. ad 2, 140.275. 356.380.623; 3, 329.552.657; 4, 203.436.574.662; 5, 97. 235.279.363.484.651; 6, 14.41.52.131.136.233.451.543. 620.628.659; 7, 3.38.152.458.480.619.659; 8, 28.65.238. 290.437.441.525; 9, 390.394.438.459.572.583.636.645; 10, 51.61.158.177.436.463; 11, 56.117.169.212.402.445. 575; 12, 147.197.267.337.474.514.559.636.707; 13, 90. 101.122.148.157.163.195.445.539.610.631.671.685.730. 791.821.841; 14, 156.167.250.368.401.517; 15, 103.348. 399.411.437.542.584.692.698.755; 16, 49.75.127.166.197. 277.286.337.381.420.452.454.468.496.585.597.621.646; 17, 1.11.56.185.363.391.399.441.455.562.579.585.632.

## II

Saeculo decimo sexto posteriore in bibliotheca ecclesiae cathedralis Coloniensis adservabatur codex vetus Silii Italici mutilus in fine, quippe cui bona pars libri sexti decimi et totus septimus decimus derant, quem eodem fere tempore inspexerunt Ludovicus Carrion (1547–1595) et Franciscus Modius (1556–1597). Uterque eum contulit cum libris impressis et locos selectos ope codicis emendatos publici iuris fecit, Carrion anno 1583 in duobus libris 'Emendationum et observationum'[1], Modius in libro 'Novantiquae lectiones,

1 Lud. Carrionis Emendationum et observationum liber primus ad V. Cl. Claudium Puteanum Consiliarium Regium in suprema curia Parisiensi, Lutetiae 1583. Lud. Carrionis Emendationum et observationum liber secundus ad V.Cl. Nicolaum Fabrum Regis Consiliarium, Lutetiae 1583. Neque de Punicis quicquam invenitur

tributae in Epistolas centum, et quod excurrit', Francofurti 1584[1]. Saeculo autem insequenti medio, cum Nicolaus

in libro 'Antiquarum lectionum commentarii III, Antverpiae 1576' neque libri duo 'Emendationum et observationum' iam anno 1576, ut vulgo contenditur, editi sunt. Error per duo saecula ab omnibus fere qui de hac re scripserunt propagatus initium sumpsisse videtur ab editione Bipontina 1784, Praef. XIV. – Haec Carrionis opera satis neglegenter iterata sunt a Jano Grutero in tomo tertio Lampadis, Francofurti 1604, quo libro H. Blass usus esse videtur (Textesquellen 197 n. 23: *laetius* [pro *laetus*], qui error a Gruteri typotheta commissus est).

1 Perpauca et satis incerta ex Coloniensi protulit etiam in editionibus Curtii Rufi 1579 et Livii 1588 (v. Blass, Textesquellen 197sq.) – Modius in animo habuit Punica ex codice Coloniensi edere, ut ipse profitetur: Nov. Lect. Epist. 1 et 4 et in epistula anno 1582 ad Justum Lipsium data (Sylloges Epistolarum a viris illustribus scriptarum tomi quinque, collecti et digesti per Petrum Burmannum, Leidae 1727, I epist. 102). In indice librorum 'qui fuerunt Francisci Modii et sunt 1605 in manu D. Ricardi de Pan Archidiaconi Audomarensis prius Canonici Arcensis' enumerantur 'Silius Italicus Ald.', 'Silii Italici de bello punico 2° lib 17' [sic inscribitur editio Gryphiana Lugduni 1578], 'Silius Italicus collatus a Modio', 'Silius Italicus de 2do bello punico factus a Modio M.S.': A. Roersch, La bibliothèque de François Modius et de Richard de Pan à Aire et à Saint-Omer, Société des antiquaires de la Morinie, Bulletin historique 48, 1899, 463–481 (index 473sqq.). Iam anno 1588 Modius ipse catalogum librorum suorum composuerat: München, Bayerische Staatsbibliothek, Cod. gall. 399 Enchiridion Francisci Modii Brugensis. ff. 1–17 et 44–62 catalogum librorum continent; editus est ab A. Ruland, Serapeum 14, 1853, 100–108. In eo tres editiones Punicorum enumerantur: 'Silius Italicus 16.', 'Silius Basileensis collatus cum M.S. 8.', 'Silius Aldinus. 8.'. 'Silius Basileensis' est editio anni 1543, Basileae per Henricum Petrum, non prima Basiliensis anni 1522 apud Thomam Volfium edita; saepissime enim textus qualis in Novantiquis Lectionibus textui emendato praemittitur vitia illi editioni peculiaria exhibet. E tota copia bibliothecae Modianae perpauca servata sunt, prorsus nihil de Silianis.

Heinsius librum quaereret, iam amissus erat[1]. Sed Heinsio Punica edituro contigit, ut a patribus Societatis Jesu Antverpianis exemplar editionis Gryphianae acciperet, in quo ignotus quidam, quem Heinsius fortasse recte Carrionem ipsum esse suspicabatur, discrepantiam libri Coloniensis margini adscripserat[2]. Has lectiones Heinsius una cum aliis in suum

1 Syll. V epist. 234 Nic. Heinsius Bern. Rottendorffio, Holmiae Suecorum 1664 XV Kal. Sept. Jul.: '... Coloniae cum essem ante hoc decennium, in bibliotheca Cathedralis Ecclesiae multo studio has Silii membranas perquisivi, sed frustra, iam enim cum aliis multis, quas idem Modius in Novantiquis laudavit, erant ablatae custodum, ut opinor, socordia'.

2 Syll. II epist. 490 Johannes Bollandus Nicolao Heinsio, Antverpia Nonis Septembribus 1660: 'Nihil mihi potest jucundius accidere, quam ut Clarissimae Dominationi Tuae quacumque in re deserviam. Cum igitur heri epistulam Tuam accepissem, qua significat se ... commodari sibi ad tempus cupere Silii Italici, quod habemus, exemplar, olim a Gryphio excusum, cui additae ad marginem cujuspiam viri docti manu variae lectiones; illud mox charta involvendum accepi in manus, missurus prima opportunitate vel amici Hagam proficiscentis, vel sarcinae librorum a quopiam bibliopola isthuc destinandae'. De eodem libro Heinsius scripsit J. Fr. Gronovio (Syll. III epist. 387) Holmiae Suecorum 1663 a.d. VII Junii Gregor. '... Coloniensi libro praeter Modium usus fuit et Carrion, ut meministi, cujus exemplar esse opinor, quod utendum mihi concessere patres Societatis Jesu Antverpiani' et Bern. Rottendorffio (v. supra n. 1) '... At quantivis pretii illa Gryphiana minoris formae, cum discrepantiam omnem complectatur libri Coloniensis, quem Modius et Carrion jure toties laudarunt. Multa autem continet, eaque omnino praeclara, quae nec Modio nec Carrioni intellecta sunt, ut ex meis in scriptorem illum animadversis facile deprehendes. Puto autem Carrionis manum in illo codice apparere, quod cum Modianis excerptis non ubique conveniant'. Ad versum 9, 145 Heinsius notavit: '*Attonitoque timens* scripti et vetustae editiones, excepto Coloniensi, ex quo nihil hic loci erat annotatum, sive incuria Carrionis, sive quod is codex cum vulgatis libris faciebat'. Hunc librum Heinsius per viginti fere annos secum habuisse

exemplar editionis Colinaei, Parisiis 1531, transtulisse videtur, ut ex verbis Arnoldi Drakenborch conicere licet[1]: 'Nicolai Heinsii primo annotationes, quas margini editionis Dausquejanae variis temporibus, ut quaeque in mentem venerant, allevit, quanta fide potui, descripsi, et cum alio exemplari editionis Colinaei, cujus orae, praeter quamplurimas conjecturas, manuscriptorum varias lectiones commiserat, diligenter contuli. Adhibuit autem Vir Illustrissimus, et studiosius quam priores fecerant, consuluit excerpta codicis Coloniensis, quo olim Carrion et Modius, membranarum Oxoniensium, quibus Barthius usi fuerunt etc.'. Neque Gryphiana illa, quam Heinsius a patribus Antverpianis acceperat, neque editio Colinaei, unde Drakenborch varias lectiones desumpsit, in nostrum tempus durasse videntur. Itaque Drakenborch solus testis est earum lectionum codicis Coloniensis, quas Heinsius ex illa editione Gryphiana noverat, exceptis locis nonnullis, quos Heinsius in epistulis ad amicos datis et in libris Adversariorum a Burmanno Juniore editis adduxerat[2]. Ex eodem fonte primario, id est editione Gryphia-

videtur, siquidem idem fuit, de quo Daniel Papebrochius ad eum scripsit Antverpiae V Kal. Septembr. 1679 (Syll. II epist. 493): 'Mora in Silio Italico remittendo nobis neutiquam fuit incommoda; quare nec debuit excusari'.

1 Caji Silii Italici Punicorum libri septemdecim cum excerptis ex Francisci Modii Novantiquis Lectionibus, et Casp. Barthii Adversariis, tum Danielis Heinsii crepundiis Silianis, et postumis notis Nicolai Heinsii, nunc primum editis, curante Arnoldo Drakenborch, cuius etiam annotationes passim additae sunt, Trajecti ad Rhenum 1717, p. [6]. – Notae Heinsii in Silium ineditae ad Petrum Burmannum pervenerant, qui munus Punica edendi variis negotiis ipse impeditus Arnoldo Drakenborch iniunxit.

2 Nicolai Heinsii Adversariorum libri IV ... curante Petro Burmanno Juniore, Harlingae 1743. Quia Blass hunc librum neglexerat (sed cf. Textesquellen 209 n. 39), Bauer in lectionibus Coloniensi attribuendis saepius deceptus est notis Drakenborchianis, ubi Coloniensi etiam ea attributa sunt, quae in Adversariis 'ex scriptis'

na, iam Dausqueius lectiones quasdam codicis Coloniensis hausisse videtur[1].

De fide satis certa Carrionis et Modii, Heinsii autem parum firma ob viam tortuosam tot erroribus obnoxiam qua variae lectiones Colonienses in editionem Drakenborchianam pervenissent, optime disseruit H. Blass[2], sed L. Bauer editor nimis credulus rem passim obscuravit.

vel 'editionibus veteribus' adducuntur, e.g. 1, 669 *nomina duxi*; 2, 166 *laenae*; 2, 421 *petebat*; 2, 456 *iudex*; 3, 651 *aras*; 6, 689 *uictos* etc.

1 In C. Silii Italici viri consularis Punica, seu de bello Punico secundo libros XVII [sic]. Cl. Dausqueius Sanctomarius Canon. Tornac., Parisiis 1615 (in meo exemplari manu correctum in '1618'). Praeter libros Carrionis et Modii excerpta codicis manuscripti attulit, quae sibi per Heribertum Rosweydum monstrata essent: p. 123 ad 3, 303 'Heribertus HosVVeydus [sic] eruditionis, et amicitiae merito mihi carissimus submonet in excerptis Ms. codicis scriptum esse *Baniurae*'. Haec excerpta eadem esse quae in illa editione Gryphiana inerant sagaciter et iure contendit Blass, Textesquellen 201.

2 Textesquellen 187–216. Summam cautionem in adducendis Heinsii lectionibus adhibendam esse iam monuerat G. Thilo, Emendationes Silianae, Symbola Philologorum Bonnensium in honorem Friderici Ritschelii collecta I, Lipsiae 1864, 397–410 (400 '... quae Heinsius e Coloniensi protulit nisi sua ipsorum virtute commendentur, propter auctoritatem solam codicis e quo deprompta ferantur non esse recipienda iudico'). Vide etiam quae scripsit W.C. Summers, N. Heinsius and the Cologne MS of Silius, Class. Rev. 16, 1902, 169–172, quibus assentior, quoad fides Heinsii addubitatur; sed errat vir doctus, cum Heinsium praeter lectiones codicis Coloniensis notitiam de solis codicibus O et P habuisse et editionem Romanam anni 1471 secundam ignoravisse contendit. Nam Florentiae et Romae complures codices Silianos vidisse se in epistulis testatur; lectiones autem, quas ex 'editione Romana' adductas Drakenborch et Summers in editione Romana priore non invenerunt, ego in secunda inveni, e.g. 7, 416 *perculsa* et 8, 233 *aequantem*; inveni etiam illum codicem Vaticanum, in

Testimoniis de Heinsii studiis Silianis addere debeo epistulas anni 1645, quas Blass sive consulto sive imprudens neglexit, quibus demonstratur Heinsium iam tum notitiam lectionum Coloniensium, quae neque a Carrione neque a Modio publici iuris factae essent, habuisse. Syll. III epist. 115 J.Fr. Gronovius Nic. Heinsio, Daventriae a. d. XVI. Kal. April. nostrate stilo 1645: 'De Silio gratulor tibi. Quam multa sunt, in quibus haereo! eorum forte non pauca tu jam investigasti'. Syll. III epist. 116 Nic. Heinsius J.Fr. Gronovio, Lugd. Batav. 1645 Kal. April.: 'Dies jam aliquot totus fui in excutiendo Silio Coloniensi. Non putassem Modium et Carrionem tam lautum spicilegium nobis reliquisse. Sed de his fortasse alias'. Syll. III epist. 118 Nic. Heinsius J.Fr. Gronovio, Lugd. Bat. 1645 IV Non. April.: '... Ex schedis illis Coloniensibus multa adhuc in Silio emendari posse verum est. Cujus rei fidem unico tantum specimine nunc faciam. ... Locus est apud illum lib. V. vers. 395 *Ceu pater Oceanus, cum saevior aethere Calpen Herculeam ferit, atque exesi in viscera montis Contortum pelagus latrantibus ingerit undis.* Ita haec ex parte legenda. Sed saeviorem aethere Oceanum cur vocat? certe *aequore* legendum olim videbatur. Aequore Calpen ferit Oceanus. Nunc ut in alia

quo Heinsius se vidisse annotatum scribit, versum insiticium 1, 566a 'a manu Pomponii Laeti' esse: est exemplar editionis primae Inc. Vat. I 4; et eum alios quoque 'codices', i. editiones priscas, cum marginalibus manu scriptis adhibuisse lectionibus quibusdam editioni Petri Marsi attributis probatur, quas Summers frustra in tribus Marsi editionibus quaesivit: 10, 67 *furit*, 587 *in strage*, 601 *nostro*, 11, 58 *Pacuuio*, 163 *magnum in magnis positum*, 13, 466 *Clausi*, 722 *superis aequatum*. Haec omnia in margine exemplaris editionis Venetae Marsi anni 1483 Vat. Inc. II 427 repperi. Ubicumque ergo id quod Heinsius in notis Drakenborchianis Coloniensi tribuit cum editione Romana secunda consentit, fieri potuit, ut aut Heinsius aut Drakenborch errorem committerent. Sed quia haec dubitatio neque confirmari neque plane dissolvi potest, satis habui consensum in apparatu critico notare.

omnia eam faciunt veterum librorum lectiones. Oxoniensis quidem, *cum saeve cetre.* Coloniensis, *cum saeva cethye.* Quantilli negotii Modio aut Carrioni erat scribere, *Ceu pater Oceanus cum saeva Tethye Calpen Herculeam ferit?* Neuter tamen vidit'. Et profecto neque Carrion neque Modius locum attigit. Sed unde Heinsius iam anno 1645 has lectiones noverat? Num editionem illam Gryphianam iam tum mutuatus erat, deinde restituit et anno 1660 iterum ut sibi commodaretur precibus effecit? Fortasse excerpta quae priore tempore sumpserat amisit; nam anno 1663 ad J.Fr. Gronovium scripsit (Syll. III epist. 387, v. p. LVI n. 2) 'In Silio multum jacturae feci, amisso codice, cujus marginem occupabant diversae lectiones mea sedulitate collectae, quas Coloniensis et Oxonius libri manu exarati, tum editiones tres quatuorve priscae suppeditarant. Passus erat perire Langermannus id exemplar negligentius servatum: sed et cujus loco obtulerit [obtulerat?] schedas inde excerptas non nimis accurate, dum festinat et aliud agit, et illas quidem haud integras, atque in libro decimo desinentes'. Lucas Langermannus Hamburgensis (1625–1686) anno 1651 Parisiis ab Heinsio attractus per tres annos famulus et itinerum comes aestate anni 1654 in patriam reverterat[1]. Heinsius autem commercium cum patribus Societatis Jesu Antverpianis iam tum habuit, cum editionem Claudiani praeparabat[2], et in epistula anno 1644 ad J.Fr. Gronovium data (Syll. III

1 Syll. III epist. 273 J.Fr. Gronovio, Holmiae 1654 a.d. XIV Augusti Gregor.

2 In praefatione editionis primae anno 1650 Lugd. Bat. ex officina Elzeviriana in lucem datae inter alia exemplaria se habuisse testatur 'Aldinam posteriorem a Patribus Societatis Jesu Antverpianis, quam Lilius Gregorius Gyraldus ad vetustissimum ... exemplar castigarat, quodque praecipuo mihi usui fuit. adscriptae enim margini ejusdem codicis ex praestantissimo Vaticanae bibliothecae libro diversae lectiones manu Johannis Livinei'. Hic liber nunc Leidae in Bibliotheca Universitatis asservatur sub numero 757 G 2.

epist. 108) se illorum bibliothecam visitavisse narrat; unde suspicor eum iam tum in illum thesaurum editionis Gryphianae incidisse.

Lectionibus codicis Coloniensis quas Drakenborch extra notas Heinsianas suo nomine attulit omnibus fere fidem denegandam esse mihi persuasum est; nam ex quadraginta quas Blass genuinas esse arbitratus est[1], praeter mera orthographica ut 1, 264 *accersere* pro *arcessere,* 14, 72 *Pelopea* pro *Pelopeia* multae aut in codicibus Heinsio notis (ut 4, 574 *ac* O; 4, 712 *ac* P; 8, 578 *populis* OP; 13, 148 *et* P) aut in editionibus quibusdam (ut 4, 360 *inflabat* ed. Benessae; 13, 208 et 275 *ac* Romana secunda) exstant aut coniecturis Dausqueii (ut 3, 279 *Adyrmachidis*; 9, 5 *exsomnis*; 13, 146 *ac lituum*) vel Livinei (ut 13, 291 *namque*) praeceptae erant. Orthographica autem, quae Heinsium 'ad calcem editionis', sc. Colinaei, in unum collegisse Drakenborch ad 7, 280 affirmat, ea non ex illa editione Gryphiana fluxerunt, ut Blass putavit, sed ex editione Basiliensi a Livineio adnotata, qua Heinsius usus erat.

Ex tot enim schedis, excerptis, libris adnotatis, quibus Heinsius et Drakenborch usi sunt, unum superstes est exemplar illud editionis Basiliensis anni 1543, quod ex eadem bibliotheca patrum Societatis Jesu Antverpianorum Heinsius mutuatus est, in quo Johannes Livineius varias lectiones codicis Coloniensis e libris Carrionis et Modii desumptas, suas ipsius emendationes, necnon varias lectiones editionis Parisiensis anni 1512 et Lugdunensis Seb. Gryphii anni 1547 margini adscripserat[2]. Hunc librum in manibus Hein-

1 Textesquellen 214–216.

2 Wolfenbüttel, Herzog August Bibliothek, Gud. lat. 8. Die Handschriften der Herzoglichen Bibliothek zu Wolfenbüttel. Vierte Abteilung: Die Gudischen Handschriften, 1913. Die lateinischen Handschriften bearbeitet von G. Milchsack Nr. 4651. Blass, Textesquellen 198–200. Ubi liber post Livinei mortem fuerit indicatur verbis in margine superiore tituli vix legibilibus 'Collegij Soc[tis] Jesu Ant. 1599'.

sii fuisse duae nos epistulae docent, quarum priorem Blass non vidisse videtur: Syll. V epist. 233 Bern. Rottendorffius Nicolao Heinsio Holmiam, Monast. Westphaliae 1664, 14. Januar 'Transmitto antiquissimum Virgilium cum notis Servii, quem nuperis diebus nactus: his adjungo geminum exemplar Silii Italici; cujus ad marginem varias lectiones ex antiquissimis membranis Ecclesiae Coloniensis desumptas sua manu adscripsit Joh. Livineius vir Clariss. Laevini Torrentii ex sorore nepos; alterum nescio cum quo Romano Codice collatum; his fruere, si libet'. Syll. V epist. 234 (v. p. LVI n. 1 et 2) Nic. Heinsius Bern. Rottendorffio, Holmiae Suecorum 1664 XV Kal. Sept. Jul. 'De Silii exemplaribus exosculor sedulitatem tuam et singulare mei demerendi studium. Utroque tamen codice jam pridem sum usus, quod Johannes Bollandus, vir doctissimus, bibliotheca S.I. Antverpiana depromptos, mecum communicavit Livinei exemplar. Praeter ea quae Modius in Novantiquis lectionibus, et in Emendationibus Carrion ex membranis Coloniensibus longe optimis publice jam castigarunt, si qua ipsius Livinei accedunt, ea satis sunt jejuna, ut quod res est, dicam'. Codicem quendam Silii in bibliotheca Guelferbytana exstare Drakenborch audivit quidem, sed eius copiam adipisci ei non contigit[1]. Casu librum invenit G. Thilo et statim ut inutilem dimisit[2]. Aperte enim ad versum 1, 1 Livineius adnotavit 'C membranas notat quae Coloniae in aede summa, p. coniecturas, P editionem Parisiensem cum Marsi scholiis, L Lugdunensem Seb. Gryphii'; et ad 'C' addidit 'Citat Modius sparsim Novantiquis, et Emendat. libris Carrion'. Supervacaneum ergo videri potest hunc librum excutere nisi ad

1 Praef. p. [9] 'Interim idem Schminckius ..., cum etiam in bibliotheca Guelferbytana Silii codicem servari intellegeret, non ante conquievit, quam Celeberrimus Eccardus ... recepisset, se varias ejus lectiones excerpturum, et ad me missurum; qui tamen ... fidem datam adhuc solvere prohibitus est'.

2 Thilo 1864, 401.

coniecturas Livinei 'satis jejunas' perpendendum. Sed hic res haeret. Primum mirabar Livineium multas lectiones quas Carrion et Modius notaverant neglexisse, id quod Blass ei crimini dat. Inspecto diligentius libro detexi Livineium saepe litteras singulas impressas erasisse et aut lectionem Coloniensem aut coniecturam propriam atramento inseruisse, omissis in margine signis 'C' aut 'p'. Blass autem hac fraude, si fraus fuit, deceptus statuit Livineium lectiones Colonienses quae cum libro impresso congruerent, consulto omisisse. Ego exemplar Livinei totum cum exemplari integro et puro contuli. Pauca adduco exempla. Ad 10, 124 *haud secus ac Libyca fetam tellure leaenam* Bauer notat: '*Libyca fetam* primum ed. Basil. 1543 et coni. Heinsius prob. Bentley *Libycam* Cm Ep.1S'; in editione legitur *Libyca foeta*, in exemplari Guelferbytano in rasura *Libyca fetam*. Emendatio ergo Livineio attribuenda esset nisi esset praecepta ab editionibus Romana secunda et Veneta Marsi. 11, 377 Bauer: '*dimittitur* S, ut ed. Basil. 1543 et coni. L. Müller *demittitur* vulgo'; *demittitur* a Livineio in *di-* correctum est. In libro decimo quinto lectiones Colonienses hoc modo in textum inferctae sunt in versibus 168, 376, 570, coniectura Modii 655. Sed multo gravius est id, quod iam Blass odoratus est[1], Bauer autem prorsus neglexit, in notis Drakenborchianis sive Heinsii sive ipsius editoris errore Coloniensi ea attribui quae Livineius ipse coniecerat. Ubicumque id accidit et Bauer in editione lectiones sub siglo 'Ch' aut 'Cd' adduxit, coniecturae Livineio reddendae sunt[2]. Quin etiam aliquot

1 Textesquellen 209sq.

2 1, 277 *facta*, 2, 201 *ac*, 282 *nota*, 651 *fata*, 3, 57 *et fusi*, 196 *rupti*, 233 *at*, 4, 251 *affuso*, 316 *auehit*, 744 *structa*, 5, 82 *per te*, 255 *subsidensque*, 264 *profuerunt*, 412 *nauaque*, 526 *appetit*, 6, 32 *iniecta*, 35 *uigens*, 7, 80 *subtemine*, 486 *multaque*, 8, 636 *cessarunt*, 9, 366 *una*, 10, 104 *agmina*, *natos*, 182 *ense super. uomit*, 455 *exhalabat*, 11, 150 *fastus exsanguis*, 171 *Cannas*, 12, 191

varias lectiones quas Livineius siglo P aut L addito adscripserat, in notis Drakenborchianis Coloniensi tribuuntur[1].

E codice Coloniensi Carrion et Modius duodecim versus a librario Poggii neglegenter omissos – nisi iam in exemplari derant – lucrati sunt (v. ad 1, 550.566; 2, 26.312.534; 5, 343; 7, 620; 16, 354). Cetera emolumenta hoc loco enumerare longum est et lectori passim in adnotatione critica occurrent.

## III

Petrus Marsus in editione Veneta anni 1483 ad versum 8, 244 hanc notam adponit: 'Explicat. hic plurima Syllii carmina desiderantur illius incuria ut arbitror qui hoc opus escripsit apud constantiam urbem galliae ubi hoc poema iam amissum a Pogio uiro id aetatis litteratissimo repertum fuit tempore diui Nicolai[2] pontificis maximi cuius foelicissimi pontificatus auspiciis latina lingua quae uandalum gothicumque sapiebat proprium decus resumere coepit. desideratur hic deificatio annae apud latinos et oratio quam habuit apud hannibalem Iunonis iussu. supersunt tantum ultima orationis uerba: explicat etc.'. Sed Marsum non primum fuisse qui aliquid deesse videret haec testimonia docent, quae in margine codicum et editionum ad locum inveni:

*praegressus,* 13, 252 *sera,* 291 *namque,* 579 *quanta,* 14, 227 *Hypsamque,* 409 *lectaque,* 16, 446 *at,* 499 *et.* Non negaverim Heinsium unam aut alteram harum lectionum etiam in editione Gryphiana ut lectionem codicis Coloniensis invenire potuisse, sed certa incertis praefero, et certe 4, 744 *structa,* 10, 104 *agmina, natos,* 13, 291 *namque* ex ingenio Livinei fluxerunt, qui Punica plurimis coniecturis oblivione dignis conspersit.

1 e.g. 8, 564 *metunt,* 10, 464 *colla et,* 11, 112 *ipsa,* 11, 164 *aduersam ostentare,* 12, 409 *cura est et.*

2 De errore miro – debebat scribere Martini Quinti – cf. Blass, Textesquellen 163.

R f. 78r in margine superiore manu Panormitae 'hic desunt complures versus' (idem in eius codicis apographo Φ f. 79r); P f. 87v 'Credo flagmentatum [sic] hic'. Vat. Inc. III 4 f. 78r (exemplar editionis Romanae secundae) 'post *aeneae coniunx* desunt librariorum negligentia quinquaginta circiter versus ut arbitror. nam ex instituta historia reliquum erat ut consacratio annae in numico narraret⟨ur⟩ quam ovi(dius) in fastis commemoravit et ut anna iret ad annibalem et iunonis mandata exponeret. tamen haec mutilatio et cicatrix non tantam affert iacturam historiae quantum ad deformitatem poetae'. Eadem fere leguntur in Vat. Ross. 1122 f. 78r, alio eiusdem editionis exemplari, 'dictata' videlicet Domitii Calderini Punica anno 1473 Romae in Academia exponentis[1]. Versus desiderati postea duobus locis apparuerunt, in libro Iacobi Constantii Fanensis 'Collectaneorum Hecatostys'[2] et in editione Aldina a Francisco Asulano curata, Venetiis 1523. Verba Constantii in capite 92 haec sunt: 'Perpetui numquam moritura uolumina Sili [Mart. 7, 63, 1] cum aliis locis mutila et manca inuenies. tum libro octauo: ubi Didonis·et Annae sortem poeta ipse describit. Ibi enim duos et

1 v. descriptionem codicis Γ; CTC 384; J. Dunston, Studies in Domizio Calderini, Italia Medioevale e Umanistica 11, 1968, 71–150 (de lacuna in libro octavo Punicorum 104sq.).

2 'Iacobi Constantii Fanensis Collectaneorum Hecatostys Prima Hadriano Cardinali dicata. In Ibin Ouidii Sarritiones annotationum ultra centum. In Eiusdem methamorphoses assumenta: annotationum supra ter centum. Impressa Fani ab Hieronymo Soncino'. In fine legitur: 'Impressa Fani ab Hieronymo soncino pridie festi Divi Paterniani. Sexto idus Iulias MDVIII'. Epistula dedicatoria 'Iacobus Constantius Hadriano Corniculano Tituli Sancti Chrysogoni Cardinali Bathoniensi' scripta est 'Fani Nonis Septembribus MDVII' (f. 3r). – Pater Iacobi Antonius commentaria in Ovidii Fastos ediderat; v. G. Castaldi, Un letterato del Quattrocento (Antonio Costanzo da Fano), Rendiconti della R. Accad. dei Lincei, Cl. di scienze morali, storiche e filologiche ser. 5, 25, 1916, 265–340; de filio patris aemulatore p. 305.

octoginta uersus deficere Baptista Guarini filius Latinae et Graecae linguae decus ac splendor et praeceptor meus omni cum honore et obseruantia nominandus ostendit: quos e Gallia sibi cum aliis quamplurimis rebus scitu dignis missos fuisse dicebat. Eos in publicum dare (uti sanctissimis eius manibus caeteri mecum debeant) impraesentiarum constituo. Quae sunt huiusmodi: [143]

Aeneae coniux, Veneris nurus ulta maritum
uidi constructas nostrae Carthaginis arces.'

Sequuntur versus usque ad 224a

'Haec ut Roma cadat sat erit uictoria Poenis',

deinde: 'Non grauarer plurimas in Silio mendas detegere et nonnullos uersus qui uariis desiderantur in locis in medium afferre, nisi superiore anno eruditissimus uir et facundissimus nobisque amicissimus Petrus Marsus Romae ostendisset recognitiones suas in hunc poetam absolutas et impressoris tantum ocium expectantes. Neque enim pro mutuo inter nos beniuolentiae uincolo et mea in ipsum (ut decet) reuerentia praeuertere repastinationes suas annotationibus meis animus pateretur. Quamquam hodie rarenter inuenias qui non suae potius quam alienae laudis habeant rationem'. Franciscus Asulanus autem unde habuerit eosdem versus non declarat. Discrepat a Constantio his locis: omisit versum 157a[1]

*arma parant Nomadum proceres et saeuus hiarbas,*

habet 172 *nescis* pro *noscis,* 204 *Latii* (recte) pro *Latiis,* 220 *oenotris* pro *oenotriis,* 223 *qua* pro *ubi.*

Aldinam secutae sunt in inserendis his versibus editiones omnes praeter Basiliensem anni 1543. N. Heinsius primus suspicatus est Asulanum eos ex libro Jacobi Constantii hausisse additis his verbis: 'an Silii sint multum ambigo'; spurios esse sine argumentis contendit Bauer, a Baptista

1 Bauer in editione perperam editionem Aldinam secutus versum pariter omisit.

Guarino fictos O. Roßbach[1]. Diligentissime quaestionem exposuit et versus ex codice 'Sangallensi' ad Guarinum missos esse, sed in Coloniensi quoque exstitisse, probare conatus est W. E. Heitland[2]; genuinos eos esse credidit Summers, sed in Coloniensi fuisse negavit[3]. Contra de fraude aperta locutus est R. Sabbadini[4]. Post eum denuo ratiuncula subtili hos versus in 'Sangallensi', vel melius 'Reichenauensi', fuisse, a librario Poggii imprudenter omissos, post in bifolium translatos, quod a ligatore neglectum postremo in manus Baptistae Guarini pervenisset, monstrare voluit G. P. Goold[5]. Ego toti illi fabulae diffisus Jacobum Constantium narrationem Vergilii (Aen. 4, 642 sqq.) et Ovidii (Fast. 3, 545 sqq.) subsecutum necnon Silii ipsius verba furatum lacunam a Panormita, Domitio Calderino, Petro Marso indicatam explevisse et ad fidem rei augendam nomine praeceptoris illustris abusum esse puto. Quod ut credam non modo

1 Deutsche Literatur-Zeitung 11, 1890, 1871.

2 The 'Great Lacuna' in the Eighth Book of Silius Italicus, Journal of Philology 24, 1896, 188–211. – Ad verba Constantii 'uti sanctissimis eius manibus caeteri mecum debeant' Heitland adnotavit 'manibus' dativum esse vocis manus (!), quia Baptista anno 1513 mortuus sit. Hoc anno eum mortuum esse nonnullis libris et lexicis divulgatur; sed si nihil aliud, certe verba Constantii id redarguunt; at exstare videtur epistula anno 1503 scripta, qua mors Baptistae expressis verbis ad Marchionem Gonzagam nuntiatur: M. Catalano, Vita di Ludovico Ariosto, Biblioteca dell'Archivum Romanicum 15, 1, 1930, 291 n. 27.

3 Class. Rev. 16, 1902, 171 sq.

4 R. Sabbadini, Le scoperte dei codici latini e greci ne' secoli XIV e XV vol. 1, Firenze 1905 (Edizione anastatica con nuove aggiunte e correzioni dell'autore a cura di Eugenio Garin, Firenze 1967) 180–182.

5 Observationes in Codicem Matritensem M. 31. De Silii et Statii Silvarum scripta memoria, Rhein. Mus. 99, 1956, 9–17. – 'Sangallensem' postea Coloniam migrasse et nomen in 'Coloniensem' mutasse nemini ut puto vir doctus persuasit.

arrogantia viri, qua se alios quoque versus supplendos habere gloriatur, me induxit, sed etiam observationes quaedam grammaticae stilisticae metricae: 145 *magni ... corporis umbra* ridiculum est; 146 *fors* adverbio Silius non utitur; 156 *reuoluta* ex Vergilio Aen. 4, 691 sumptum hoc loco absurdum est; 165 totus versus verbatim ex 7, 282 translatus est; 166 elisio durissima in nomine *Dido* exemplo caret; 181 zeugma nimis audax videtur; 191 *abscondidit* a dictione epica alienum; 196 *ab alto* obscurum; 209 *uigili ... uoce* mirum. Haec et alia Silio prorsus indigna esse iudico.

## IV

Recensio codicum stemmate depicta est. Textus traditus plurimis locis emendatione eget. Multum in ea re effecerunt iam Itali, in quibus nominare licet imprimis Petrum Odum, qui codicem Γ correxit, item Domitium Calderinum eiusdem codicis correctorem, Pomponium Laetum in BHQY ZΘΠ et r2, Bartholomaeum Fontium in J, Petrum Marsum in v. Sed idem Odus ubi textus in Γ corruptus erat longe a vero aberrans saepe ulteriori corruptioni ansam praebuit, et utique dicendum est Silii carmen intra triginta fere annos mirum in modum a librariis depravatum esse. Sed hanc depravationem in adnotatione critica persequi supervacaneum esse duxi, ubi nihil confert ad textum constituendum.

Apparatum criticum brevitati studens mixtum institui: negativus est, ubi aut α aut β veram lectionem praebet, item ubi aut γ aut δ caput erroris est; positivus est, ubi aut testimonium codicis Coloniensis id postulat aut emendationem sive in aliquo codice repertam sive a viro docto prolatam in textum recepi. Errores peculiares codicum singulorum, imprimis plurimos codicum G et O, ubi nihil attinebat non adduxi neque menda currente calamo a librariis correcta mentione digna putavi. Lectiones Colonienses in editione Drakenborchiana sub Heinsii nomine citatas sedulo notavi

etiam ubi integritatem addubito, sed errores planos praeterii (v. etiam quae supra p. LXIII sq. monui de Livinei emendationibus perperam Coloniensi attributis). Virorum doctorum ad emendandum conatus plenius fortasse quam par est indicavi, sed plerumque refutando aut textum traditum defendere aut aliam medendi viam monstrare volui. Mirabuntur fortasse etiam viri docti et ut supervacaneum reprehendent, quod non contentus medelam certam et ultimam indicare priorum quoque coniecturas quibusdam in locis non praeterii, cuius rei exemplum simplex habes 17, 427: *pubenti* Schrader : *bibenti* ω : *labenti* Γ² ς : *florenti* Withof; scilicet nolo fieri ut lector concludat lectionem traditam prorsus absurdam et contra leges metricas peccantem octavo decimo saeculo primum tractatam esse. Ceterum apparatum criticum vivere debere censeo, et spero me effecisse ne quis dicere posset lectorem sine auxilio in tenebris deseri.

In re orthographica textum ad normam exaequare studui; sic accusativum pluralem tertiae declinationis ubique in *-es* desinere iussi, non quo poetam formas in *-is* desinentes evitavisse arbitrer, sed quia codices quinti decimi saeculi in hac re verum nobis tradidisse prorsus non credo.

# INDEX OPERVM

quae in apparatu critico vel siglo vel solo auctoris nomine laudantur (asterisco signavi quae ipse non vidi)

*A. Editiones*

(de editionibus saeculorum quinti et sexti decimi v. etiam CTC 351 et 355 sq.)

| | |
|---|---|
| b1 | editio Basiliensis prior 1522 |
| b2 | editio Basiliensis secunda 1543 |
| c | editio Parisiis in aedibus Simonis Colinaei 1531 |
| g | editio Lugduni 1547 apud Seb. Gryphium |
| *h | editio Martini Herbipolensis Lipsiae 1504 |
| j | editio Juntina ab Ambrosio Nicandro castigata Florentiae 1515 |
| l | editio Damiani Benessae Rhacusei Lugduni 1514 (pendet maxime ex editione Parmensi) |
| m | editio Mediolanensis 1481 (Hain 14736) |
| p | editio Parmensis 1481 (Hain 14737) |
| r1 | editio Romana princeps 1471 (Hain 14733) |
| r2 | editio Romana secunda a Pomponio Laeto recognita 1471 (Hain 14734) |
| v | editiones Venetae cum commentariis Petri Marsi:<br>v1, 1483 (Hain 14739)<br>v2, 1492 (Hain 14740)<br>v3, 1493 (Hain 14741) |
| *Asulanus* | Silii Italici De Bello Punico Secundo XVII libri nuper diligentissime castigati. Franciscus Asulanus Illustrissimo Domino Innocentio Cibo ... Venetiis in aedibus Aldi ... 1523 |
| *Bauer* | Sili Italici Punica ed. Ludovicus Bauer. Lipsiae 1890. 1892 |
| *Bothe* | Des Cajus Silius Jtalicus Punischer Krieg oder Hannibal. Berichtigt, verdeutscht und erklärt von F.H. Bothe. Stuttgart 1855–57 |

*Cellarius* C. Silii Italici viri consularis De Bello Punico Secundo libri XVII. Christophorus Cellarius recensuit ... Lipsiae 1695

*Dausqueius* In C. Silii Italici viri consularis Punica seu de Bello Punico Secundo libros XVII. Cl. Dausqueius Sanctomarius Canon. Tornac. Parisiis 1615 (in exemplari meo correctum in 1618)

*Drakenborch* Caji Silii Italici Punicorum libri septemdecim cum ... postumis notis Nicolai Heinsii, nunc primum editis curante Arnoldo Drakenborch ... Trajecti ad Rhenum 1717

*Duff* Silius Italicus Punica with an English Translation by J. D. Duff. London/Cambridge Mass. 1927. 1934

*Ernesti* Caii Silii Italici Punicorum libri septemdecim ... illustravit Io. Chr. Theoph. Ernesti. Lipsiae 1791. 1792

*D. Heinsius* Silius Italicus De Secundo Bello Punico, in quo ad codicis Modiani fidem versus spurii eiecti sunt, ac legitimi qui defuerunt hactenus, substituti ... Opera Danielis Heinsii Gandensis. Apud Christophorum Raphelengium Academiae Lugduno Bat. Typographum 1600. (in eodem volumine: Danielis Heynsii Crepundia Siliana ... 1601)

*Heinsius* v. Drakenborch

*Lefebvre* C. Silii Italici de bello Punico secundo Poema ad fidem veterum monimentorum castigatum ... curante I. B. Lefebvre de Villebrune. Parisiis 1781

– Seconde Guerre Punique, poëme de Silius Italicus, corrigé sur quatre Manuscrits, et sur la précieuse Edition de Pomponius, donnée en 1471 ... et traduit par M. Lefebvre de Villebrune. Paris 1781

*Marsus* v. supra ed. v

*Ruperti* Caii Silii Italici Punicorum libri septemdecim ... illustrati a Georg. Alex. Ruperti. Goettingae 1795. 1798

*Summers* Sili Italici Punica recensuit Gualterus C. Summers, in: Corpus Poetarum Latinorum ... ed. Iohannes Percival Postgate fasc. IV, Londini 1904

*B. Commentationes et alia opera*

*von Albrecht* Michael von Albrecht, Silius Italicus. Freiheit und Gebundenheit römischer Epik. Amsterdam 1964

*ALL* Archiv für lateinische Lexikographie und Grammatik

*Baehrens* Emil Baehrens, Kritische Satura. Jahrb. f. class. Philologie 105, 1872, 631sq.

*Bailey* D.R. Shackleton Bailey, Siliana. Class. Quart. 9, 1959, 173–180

*Barth* Caspar Barth, Adversariorum libri LX. Francofurti 1624

*Bauer 1888* Ludwig Bauer, Zu Silius Italicus. Jahrb. f. class. Philologie 137, 1888, 193–224

*Bauer 1891* Ludwig Bauer, Zu Silius Italicus. Blätter f. d. bayer. Gymnasialschulwesen 27, 1891, 190–199

*Bauer 1893* Ludwig Bauer, Handschriftliche und kritisch-exegetische Erörterungen zu den Punica des Silius Italicus. Programm zu dem Jahresberichte des k.k. Gymnasiums bei St. Anna in Augsburg für das Schuljahr 1892/93

**Bentley* Richard Bentley, [Emendationes ad Silium]. Classical Journal 3, 1811, 381–386

*Blass* Hermann Blass [Emendationes manu scriptae quas citat Bauer]

*Blass 1867* Hermann Blass, Emendationen zu Silius Italicus. Jahresbericht über die Louisenstädtische Realschule, Berlin 1867, 21–44

*Blass Textesquellen* Hermann Blass, Die Textesquellen des Silius Italicus. Jahrb. f. class. Philologie 8. Suppl.bd., 1875/76, 159–250

*Bleiching* Friedrich Bleiching, Spanische Landes- und Volkskunde bei Silius Italicus. Diss. Erlangen, Landau-Pfalz 1928

*Blomgren* S. Blomgren, Siliana. De Silii Italici Punicis quaestiones criticae et interpretatoriae. Uppsala Universitets Årsskrift 1938: 7

*Buchwald* Ferdinandus Buchwald, Quaestiones Silianae. Diss. Breslau, Gorlicii 1886

*Burmann* Petrus Burmann [Emendationes ab Arnoldo Drakenborch adductae]

*Chory* Augustus Chory, Emendationum Silianarum specimen. Diss. Leipzig, Ratiboriae 1877

*Cluverius* Philippi Cluverii Italia Antiqua. Lugduni Batavorum 1624

*CTC* Catalogus Translationum et Commentariorum III 1976, 321–398 (Edward L. Bassett, Josef Delz, A.J. Dunston: Silius Italicus)

*Damsté* P.H. Damsté, Notulae criticae ad Silium Italicum. Mnemosyne 37, 1909, 323–337 (ad libros 1–4); 38, 1910, 115–126 (ad libros 5–8); 39, 1911, 113–134 (ad libros 9–12); 40, 1912, 179–207 (ad libros 13–17)

*Delz 1969* Josef Delz, Die erste Junoszene in den Punica des Silius Italicus. Mus. Helv. 26, 1969, 88–100

*Delz 1975* Josef Delz, Nec tu divinam Aeneida tempta. Textkritisches zu Valerius Flaccus, Statius, Silius Italicus. Mus. Helv. 32, 1975, 155–172

*Delz 1983* Josef Delz, Gnomon 55, 1983, 211–220: Silius Italicus, La Guerre Punique. Tome I: Livres I–IV. Texte ét. et trad. par P. Miniconi et G. Devallet; Tome II: Livres V–VIII. Texte ét. et trad. par J. Volpilhac (livre V), P. Miniconi et G. Devallet (livres VI–VIII) Paris 1979. 1981

*Delz 1986* Josef Delz, Gnomon 58, 1986, 125–128: Tome III: Livres IX–XIII. Texte ét. et trad. par J. Volpilhac-Lenthéric (livres IX–X) et M. Martin (livres XI–XII), P. Miniconi et G. Devallet (livre XIII) Paris 1984

*Garrod* H.W. Garrod, Some Emendations of Silius Italicus. Class. Rev. 19, 1905, 358

*Gronovius* Johannis Frederici Gronovii Observationum libri tres. Ed. secunda Lugd. Batavorum 1662

*Håkanson* Lennart Håkanson, Silius Italicus. Kritische und exegetische Bemerkungen. Scripta Minora Regiae Societatis Humaniorum Litterarum Lundensis 1976–1977: 1

*Heinsius* v. Drakenborch

| | |
|---|---|
| *Heinsius Adversaria* | Nicolaus Heinsius, Adversariorum libri IV ... curante Petro Burmanno Juniore. Harlingae 1743 |
| *Helm* | Rudolf Helm, Nachaugusteische nicht-christliche Dichter. Lustrum 1, 1956, 121–318 (Silius Italicus 255–272) |
| *Henry* | James Henry, Aeneidea. London/Edinburgh/Dublin 1873–1877 |
| *Hilff* | Franciscus Hilff, Observationes criticae et exegeticae ad Silii Italici Punicorum libros V–X pertinentes. Diss. Münster 1893 |
| *H.–Sz.* | J.B. Hofmann – Anton Szantyr, Lateinische Syntax und Stilistik. München 1965 |
| *Juhnke* | Herbert Juhnke, Homerisches in römischer Epik flavischer Zeit. Zetemata 53, München 1972 |
| *Ker* | Alan Ker, Siliana. Proc. Cambr. Philol. Soc. 13, 1967, 14–31 |
| *Kissel* | Walter Kissel, Das Geschichtsbild des Silius Italicus. Studien zur Klassischen Philologie 2. Frankfurt/Bern/Cirencester 1979 |
| *Koch* | Carl Koch, Quaestiones Silianae criticae et exegeticae. Diss. Münster 1877 |
| *Köstlin* | Heinrich Köstlin, Lateinische Epiker. Philologus 38, 1879, 58–61 |
| *K.–St.* | R. Kühner – C. Stegmann, Ausführliche Grammatik der lat. Sprache. Zweiter Band: Satzlehre. Hannover 1912. 1914 |
| *Küppers* | Jochem Küppers, Tantarum causas irarum. Untersuchungen zur einleitenden Bücherdyade der Punica des Silius Italicus. Berlin/New York 1986 |
| **Lenz* | Carl Gotthold Lenz, Anmerkungen zu den epischen Dichtern der Römer. Braunschweig 1797 |
| *Leumann* | Manu Leumann, Lateinische Laut- und Formenlehre. München 1977 |
| *Lindblom* | A.T. Lindblom, In Silii Italici Punica quaestiones. Upsaliae 1906 |
| *Livineius* | v. Praef. p. LXI sqq. |
| *Lorenz* | Gudrun Lorenz, Vergleichende Interpretationen zu Silius Italicus und Statius. Diss. Kiel 1968 |
| *Madvig* | J.N. Madvigius, Adversaria critica ad scriptores Graecos et Latinos 2, Hauniae 1873, 161 sq. |

*Markland* P. Papinii Statii libri quinque Silvarum. Ex vetustis exemplaribus recensuit et notas atque emendationes adjecit Jer. Marklandus. Dresdae/Londini 1827

*McGushin* Patrick McGushin, The Transmission of the Punica of Silius Italicus. Amsterdam 1985

*L. Müller* Lucian Müller, De re metrica poetarum Latinorum praeter Plautum et Terentium libri VII. Lipsiae 1894

*Neumann* Rudolf Neumann, Quaestiones onomatologae. Diss. Marburg 1915

**Nodell* Aviani fabulas ed. ill. I. A. Nodellius (v. Bauer Praef. XIV)

*Owen 1905* S.G. Owen, Class. Rev. 19, 1905, 173sq.

*Owen 1909* S.G. Owen, On Silius Italicus. Class. Quart. 3, 1909, 254–257

*Postgate* J.P. Postgate [Emendationes manu scriptae quas citat Summers]

*Postgate 1902* J.P. Postgate, Ad Silium Italicum. Album gratulatorium in honorem H. van Herwerden, Trajecti ad Rhenum 1902, 177–185

*Scaliger* J.J. Scaliger [Emendationes exemplari editionis D. Heinsii adscriptae quas citat Drakenborch]

*Syll.* Sylloges Epistolarum a viris illustribus scriptarum tomi quinque, collecti et digesti per Petrum Burmannum, Leidae 1727

**Schrader* Johannes Schrader, Observationum liber. Franequerae 1761

– Emendationes ... e libro Santeniano descripsit M. Haupt. Hermes 4, 1870, 345

*Schulze* Wilhelm Schulze, Zur Geschichte lateinischer Eigennamen. Berlin 1904

*Schuster 1927* Mauriz Schuster, Kritische Beiträge zu Silius Italicus. Wiener Studien 45, 1927, 254–260

*Schuster 1942* Mauriz Schuster, Neue kritische Beiträge zu Silius Italicus. Wiener Studien 60, 1942, 98–105

*Spaltenstein* François Spaltenstein, Commentaire des Punica de Silius Italicus, livres 1–8. Genève 1986

*Summers 1899* Walter C. Summers, Notes on Silius Italicus I–IV. Class. Rev. 13, 1899, 296–301

*Summers 1900* — Walter C. Summers, Notes on Silius Italicus V–VIII; IX–XVII. Class. Rev. 14, 1900, 48–50; 305–309

*Thes.* — Thesaurus Linguae Latinae

*Thilo 1858* — Georgius Thilo, Quaestiones Silianae criticae. Nachricht über das Königliche Pädagogium zu Halle 1858

*Thilo 1864* — Georgius Thilo, Emendationes Silianae. Symbola Philologorum Bonnensium in honorem Friderici Ritschelii collecta, fasc. prior Lipsiae 1864, 397–410

*Thilo 1891* — Georg Thilo, Zu den Punica des Silius Italicus. Jahrb. f. class. Philologie 143, 1891, 589–624

*van Veen* — J.S. van Veen, Notulae criticae ad Silium Italicum.
Mnemosyne 16, 1888, 289–292 (ad libros 1 et 2)
17, 1889, 368–377 (ad libros 3 et 4)
18, 1890, 300–306 (ad libros 5 et 6)
19, 1891, 191–199 (ad libros 7 et 8)
21, 1893, 264–267 (ad libros 9 et 10)

*Watt 1984* — W.S. Watt, Notes on Latin Epic Poetry. Bulletin of the Institute of Classical Studies 31, 1984, 153–170 (Silius Italicus 154–157)

*Watt 1985* — W.S. Watt, Siliana. Illinois Classical Studies 10, 1985, 275–280

*Withof* — Johann Hildebrand Withof, Conjecturen über verschiedene lateinische Dichter und Prosaiker, gesammlet und ... herausgegeben von H.A. Grimm. (II. Stück, Düsseldorf 1799, 49–103 'Verbesserungen einiger Stellen des Silius Italicus'); de ceteris eiusdem coniecturis v. Ruperti vol. 2 p. VI sq.

*Zinzerling* — Iusti Zinzerlingi Thuringi Criticorum iuvenilium promulsis. Lugduni 1610

# SIGLA

de singulis codicibus vide descriptionem p. IX sqq. et stemmata p. LI sq.

| | |
|---|---|
| ω | consensus stirpium α et β |
| α | consensus codicum F et L |
| β | consensus codicis G cum γ |
| γ | consensus codicis O cum δ (1, 1–9, 378)<br>codicis V cum δ (9, 379–17, 654) |
| δ | consensus codicum V et Γ (1, 1–9, 378)<br>codicum O et Γ (9, 379–17, 654) |
| ς | codices deteriores aut pars eorum |
| Cc | lectio codicis Coloniensis a Carrione prolata |
| Cm | lectio codicis Coloniensis a Modio prolata |
| Ch | lectio codicis Coloniensis a Nicolao Heinsio prolata |
| Cd | lectio codicis Coloniensis ab Arnoldo Drakenborch prolata<br>(de codice Coloniensi deperdito vide p. LIV sqq. |
| edd. vett. | editiones veteres aut omnes aut pleraeque quinti et sexti decimi saeculi (de singulis vide p. XLVIII sq. et Indicem Operum p. LXX) |
| $F^2$ $V^2$ ... | significat lectionem pristinam codicis mutatam esse, sive librarius ipse suo Marte vel alio exemplari usus eam correxit sive manus alterius agnoscenda est; nam manus correctrices distinguere interdum difficile plerumque inutile est. |

Compendiis usitatissimis usus sum, quorum tamen pauca hoc loco exscribere consentaneum esse duxi:

| | |
|---|---|
| ad l. | = ad locum |
| coll. | = collato (-is) |

| | |
|---|---|
| coni. | = coniecit |
| def. | = defendit |
| del. | = delevit vel deletum |
| fort. | = fortasse |
| i. | = id est |
| ins. | = inseruit, insertum |
| lac. | = lacuna |
| m. | = manus |
| om. | = omisit |
| p.l. | = per litteras |
| (v.l.) s.l. | = (varia lectio) supra lineam |

# SILI ITALICI
# PVNICORVM
## LIBER PRIMVS

Ordior arma, quibus caelo se gloria tollit
Aeneadum patiturque ferox Oenotria iura
Carthago. da, Musa, decus memorare laborum
antiquae Hesperiae, quantosque ad bella crearit
et quot Roma uiros, sacri cum perfida pacti 5
gens Cadmea super regno certamina mouit
quaesitumque diu, qua tandem poneret arce
terrarum Fortuna caput. ter Marte sinistro
iuratumque Ioui foedus conuentaque patrum
Sidonii fregere duces, atque impius ensis 10
ter placitam suasit temerando rumpere pacem.
sed medio finem bello excidiumque uicissim
molitae gentes, propiusque fuere periclo,
quis superare datum: reserauit Dardanus arces
ductor Agenoreas, obsessa Palatia uallo 15
Poenorum, ac muris defendit Roma salutem.
tantarum causas irarum odiumque perenni
seruatum studio et mandata nepotibus arma
fas aperire mihi superasque recludere mentes.
iamque adeo magni repetam primordia motus. 20
  Pygmalioneis quondam per caerula terris
pollutum fugiens fraterno crimine regnum
fatali Dido Libyes appellitur orae.

4 hesperi(a)e FΓ[2] : exp- β    11 placitam ω *Modius Ep. 93* : -dam Γς

tum pretio mercata locos noua moenia ponit,
cingere qua secto permissum litora tauro. 25
hic Iuno ante Argos (sic credidit alta uetustas)
ante Agamemnoniam, gratissima tecta, Mycenen
optauit profugis aeternam condere gentem.
uerum ubi magnam aliis Romam caput urbibus alte
exserere ac missas etiam trans aequora classes 30
totum signa uidet uictricia ferre per orbem,
iam propius metuens bellandi corda furore
Phoenicum exstimulat. sed enim conamine primae
contuso pugnae fractisque in gurgite coeptis
Sicanio Libycis iterum instaurata capessens 35
arma remolitur; dux agmina sufficit unus
turbanti terras pontumque mouere paranti.
Iamque deae cunctas sibi belliger induit iras
Hannibal (hunc audet solum componere fatis),
sanguineo cum laeta uiro atque in regna Latini 40
turbine mox saeuo uenientum haud inscia cladum
'intulerit Latio spreta me Troius' inquit
'exul Dardaniam et, bis numina capta, penates
sceptraque fundarit uictor Lauinia Teucris,
dum Romana tuae, Ticine, cadauera ripae 45
non capiant Simoisque mihi per Celtica rura
sanguine Pergameo Trebia et stipantibus armis
corporibusque uirum retro fluat ac sua largo
stagna reformidet Thrasymennus turbida tabo,
dum Cannas, tumulum Hesperiae, campumque cruore 50

28 *de abl.* profugis *v. Delz 1969, 91* 29 magnam aliis *Baehrens coll. Verg. ecl. 1, 24* : magnanimis ω 32 proprius FV *ut saepe in codd.* : -iis *Koch, sed cf. 17, 535 et Housman ad Manil. 1, 11 Add.* 36 agmina ω : magna V (*corr. m.1*) : magnae r2 Ch (?) : agmine p 36–40 *v. Küppers 22–42, qui argumentis partim ab O. Zwierlein subministratis redarguit ea quae de hoc loco scripseram 1969, 93–97* 40 cum ω : tum OJ *edd.* : quae Γ *marg.* ATΔr2 46 Simoisque *Delz 1969, 98* : similisque ω

Ausonio mersum sublimis Iapyga cernam
teque uadi dubium coeuntibus, Aufide, ripis
per clipeos galeasque uirum caesosque per artus
uix iter Hadriaci rumpentem ad litora ponti.'
haec ait ac iuuenem facta ad Mauortia flammat. 55
  Ingenio motus auidus fideique sinister
is fuit, exsuperans astu, sed deuius aequi.
armato nullus diuum pudor, improba virtus
et pacis despectus honos, penitusque medullis
sanguinis humani flagrat sitis. his super aeui 60
flore uirens auet Aegates abolere, parentum
dedecus, ac Siculo demergere foedera ponto.
dat mentem Iuno ac laudum spe corda fatigat.
iamque aut nocturno penetrat Capitolia uisu
aut rapidis fertur per summas passibus Alpes. 65
saepe etiam famuli turbato ad limina somno
expauere trucem per uasta silentia uocem
ac largo sudore uirum inuenere futuras
miscentem pugnas et inania bella gerentem.
  Hanc rabiem in fines Italum Saturniaque arua 70
addiderat puero patrius furor. ortus ⟨Hamilcar⟩
Sarrana prisci Barcae de gente uetustos
a Belo numerabat auos. namque orba marito
cum fugeret Dido famulam Tyron, impia diri
Belides iuuenis uitauerat arma tyranni 75
et se participem casus sociarat in onmes.
nobilis hoc ortu et dextra spectatus Hamilcar,
ut fari primamque datum distinguere lingua

**56** sinistr(a)e F (*corr. in* -ter) Γ*marg.* ς *fort. recte, sed cf. 3, 253* **59** despectus $Γ^2$ς : di- ω **61** habet GL **66** limina $G^2$OJ : lu- ω **71** a.p.p.f. F : a. tandem p.p.f. β : a. quondam p.p.f. *edd. a* j ortus $V^2Γ^2$ς : estus F : oscus β : ostus $F^2$δ Hamilcar *addidi 1983, 219 (de metro cf. e.g. 13, 247)* **73** bello β (*corr. in singulis*) **74** famulata β (*corr. in singulis*)

Hannibali uocem, sollers nutrire furores
Romanum seuit puerili in pectore bellum. 80
  Vrbe fuit media sacrum genetricis Elissae
manibus et patria Tyriis formidine cultum,
quod taxi circum et piceae squalentibus umbris
abdiderant caelique arcebant lumine, templum.
hoc sese, ut perhibent, curis mortalibus olim 85
exuerat regina loco. stant marmore maesto
effigies, Belusque parens omnisque nepotum
a Belo series, stat gloria gentis Agenor
et qui longa dedit terris cognomina Phoenix.
ipsa sedet tandem aeternum coniuncta Sychaeo. 90
ante pedes ensis Phrygius iacet. ordine centum
stant arae caelique deis Ereboque potenti.
hic crine effuso atque Hennaeae numina diuae
atque Acheronta uocat Stygia cum ueste sacerdos.
immugit tellus rumpitque horrenda per umbras 95
sibila. inaccensi flagrant altaribus ignes.
tum magico uolitant cantu per inania manes
exciti, uultusque in marmore sudat Elissae.
Hannibal haec patrio iussu ad penetralia fertur,
ingressique habitus atque ora explorat Hamilcar. 100
non ille euhantis Massylae palluit iras,
non diros templi ritus adspersaque tabo
limina et audito surgentes cardine flammas.
olli permulcens genitor caput oscula libat
attollitque animos hortando et talibus implet: 105

84 abdiderant F$\Gamma^2$O : -at β 86 maestae $G^2J^2$ *edd. vett.* 92 Erebique *Bothe, fort. recte, cf. Sen. Oed. 868* 93 henn(a)e(a)e ω : (a)et(h)n(a)e(a)e Γς (*et ex corr.* FLGVO) *errore vulgari* (*cf. Housman ad Lucan. 6, 293 et Hall ad Claud. rapt. Pros. 1, 122*) 93.94 *de* atque ... atque *cf. Verg. ecl. 5, 23* (*aliter H.–Sz. 516*) 96 inaccensi ω Cm *in ed. Curtii 1579 p. 107* : in accensis b1 103 cardine ω *v. Delz 1975, 169* : -mine $G^2\Delta$j

'gens recidiua Phrygum Cadmeae stirpis alumnos
foederibus non aequa premit. si fata negarint
dedecus id patriae nostra depellere dextra,
haec tua sit laus, nate, uelis. age, concipe bella
latura exitium Laurentibus. horreat ortus 110
iam pubes Tyrrhena tuos, partusque recusent
te surgente, puer, Latiae producere matres.'
his acuit stimulis subicitque haud mollia dictu:
'Romanos terra atque undis, ubi competet aetas,
ferro ignique sequar Rhoeteaque fata reuoluam. 115
non superi mihi, non Martem cohibentia pacta,
non celsae obstiterint Alpes Tarpeiaque saxa.
hanc mentem iuro nostri per numina Martis,
per manes, regina, tuos.' tum nigra triformi
hostia mactatur diuae, raptimque recludit 120
spirantes artus poscens responsa sacerdos
ac fugientem animam properatis consulit extis.
ast ubi quaesitas artis de more uetustae
intrauit mentes superum, sic deinde profatur:
'Aetolos late consterni milite campos 125
Idaeoque lacus flagrantes sanguine cerno.
quanta procul moles scopulis ad sidera tendit,
cuius in aerio pendent tua uertice castra!
iamque iugis agmen rapitur. trepidantia fumant
moenia, et Hesperio tellus porrecta sub axe 130
Sidoniis lucet flammis. fluit ecce cruentus
Eridanus. iacet ore truci super arma uirosque,
tertia qui tulerit sublimis opima Tonanti.
heu quaenam subitis horrescit turbida nimbis

**106** recidiua LΓ$G^2V^2$ς : rediuina FGV : rediuiua $F^2$O **113** dictu ω : -a $G^2Γ^2$ς **117** -que O$Γ^2$ς : -ue $G^2$ : *om.* ω **122** extis FO$Γ^2$ς : estis β **125** consterni F$Γ^2$Oς : -it β **126** fra- γ *errore vulgari* : stagnantes *Heinsius, sed cf. Verg. Aen. 12,35 et Henry 1, 833* **128** aerio Fς : -eo β **133** tulerat r1 *v. Lindblom 66* **134** horrescet F

tempestas, ruptoque polo micat igneus aether! 135
magna parant superi. tonat alti regia caeli,
bellantemque Iouem cerno.' uenientia fata
scire ultra uetuit Iuno, fibraeque repente
conticuere. latent casus longique labores.
Sic clausum linquens arcano pectore bellum 140
atque, hominum finem, Gades Calpenque secutus,
dum fert Herculeis Garamantica signa columnis,
occumbit saeuo Tyrius certamine ductor.
Interea rerum Hasdrubali traduntur habenae,
occidui qui solis opes et uulgus Hiberum 145
Baeticolasque uiros furiis agitabat iniquis.
tristia corda ducis, simul immedicabilis ira,
et fructus regni feritas erat. asper amore
sanguinis, et metui demens credebat honorem
nec nota docilis poena satiare furores 150
ore excellentem et spectatum fortibus ausis
antiqua de stirpe Tagum superumque hominumque
immemor erecto suffossum robore maestis
ostentabat ouans populis sine funere regem.
auriferi Tagus adscito cognomine fontis 155
perque antra et ripas nymphis ululatus Hiberis,
Maeonium non ille uadum, non Lydia mallet
stagna sibi nec, qui riguo perfunditur auro,
campum, atque illatis Hermi flauescit harenis.

140 a. in p. $G^2$BQYZr1 **143** occumbit FG (O *deest cum marg.*) : -ubuit $G^2$Lδς **146** furiis Ch *cf. 2, 500* : fatis β : *verbum deest* (*lac.*) F, *in marg. a m.1* spacium, *corr. m.2 in* spaciis : spatiis *edd. a* r2 **147** duci *Heinsius* **150** sociare δ *interpunctionem post* furores *sustuli* (nec nota *i.* '*et ignota*') **153** suffossum F *marg.* $L^2$r1p : suffocum ω : suffixum $\Gamma^2$O *in ras.* r2v : suspensum F *marg.* G *marg.* J **156** ululatur p1 *Summers post* Hiberis *validius interpungens, fort. recte* **159** hermi flauescit Fr2v : her inflauescit GV : hec (*corr. in* hic) inflauescit O : hermus inflauescit $G^2$LΓ : hermus flauescit $\Gamma^2$ς

primus inire manu, postremus ponere Martem. 160
cum rapidum effusis ageret sublimis habenis
quadrupedem, non ense uirum, non eminus hasta
sistere erat; uolitabat ouans aciesque per ambas
iam Tagus auratis agnoscebatur in armis.
quem postquam diro suspensum robore uidit 165
deformem leti famulus, clam corripit ensem
dilectum domino pernixque irrumpit in aulam
atque immite ferit geminato uulnere pectus.
at Poeni, succensa ira turbataque luctu
et saeuis gens laeta, ruunt tormentaque portant. 170
non ignes candensque chalybs, non uerbera passim
ictibus innumeris lacerum scindentia corpus,
carnificaeue manus penitusue infusa medullis
pestis et in medio lucentes uulnere flammae
cessauere. ferum uisu dictuque, per artem 175
saeuitiae extenti, quantum tormenta iubebant,
creuerunt artus, atque omni sanguine rupto
ossa liquefactis fumarunt feruida membris.
mens intacta manet. superat ridetque dolores
spectanti similis fessosque labore ministros 180
increpitat dominique crucem clamore reposcit.
Haec inter spretae miseranda piacula poenae
erepto trepidus ductore exercitus una
Hannibalem uoce atque alacri certamine poscit.

**160** manu FVO *v. Thes. 8, 353, 15* : -us GL : -um Γς **166** leti F² β Cm *Ep. 57* : lateri Fvb1b2 : leto BYZr1 **167** -que βCm : *om.* F (*corr.*) Ob1b2 **169** succensi R (*ex corr.*) Φb1 **173** carnificesue K²b1 **174** luctantes G²ς **177** rapto P *Heinsius, Summers, sed* rupto *pro 'erupto' ut 1, 570 pro 'interrupto'; cf. Stat. Theb. 7, 683* eruptus ... cruor **183** erepto αΓ²ς : -cto β

huic studia accendit patriae uirtutis imago, 185
huic fama in populos iurati didita belli,
huic uirides ausis anni feruorque decorus
atque armata dolis mens et uis insita fandi.
Primi ductorem Libyes clamore salutant,
mox et Pyrenes populi et bellator Hiberus. 190
continuoque ferox oritur fiducia menti
cessisse imperio tantum terraeque marisque.
Aeoliis candens Austris et lampade Phoebi
aestifero Libye torquetur subdita Cancro,
aut ingens Asiae latus aut pars tertia terris. 195
terminus huic roseos amnis Lageus ad ortus
septeno impellens tumefactum gurgite pontum.
at qua diuersas clementior adspicit Arctos,
Herculeo dirimente freto diducta propinquis
Europes uidet arua iugis. ultra obsidet aequor 200
nec patitur nomen proferri longius Atlas,
Atlas subducto tracturus uertice caelum.
sidera nubiferum fulcit caput, aetheriasque
erigit aeternum compages ardua ceruix.
canet barba gelu, frontemque immanibus umbris 205
pinea silua premit. uastant caua tempora uenti,
nimbosoque ruunt spumantia flumina rictu.
tum geminae laterum cautes maria alta fatigant

**185.186.187** hinc Cm *Ep. 57 edd. recc., recte* huic *def. Thilo 1858, 17* **186** didita r1 Cm : de- ω **187** anni ω Cm : animi *edd. vett.* **189** ductores $G^2$ ς **194** (a)estifero α $V^2$ $\Gamma^2$ : pesti- β torretur *Livineius, edd. recc., sed cf. e.g. Aetna 278* torquentur flamma terrae *et Goodyear ad l.* **196** lageus ς : largeus ω (*corr. in plerisque*) **200** *interpunctionem post* aequor *sustuli 1969, 94* **202** *om.* δ Ψ Δ (*suppl. in omnibus*) tacturus Γ ς **208** geminas *Bothe et Madvig, edd. recc., sed cf. 12, 372 sq.; Ov. met. 11, 729 sq.; Val. Fl. 5, 410; interpunctionem post* fatigant *sustuli, cf. Auson. 409, 1* condiderat iam Solis equos Tartesia Calpe cautes Ch : fauces ω

atque, ubi fessus equos Titan immersit anhelos,
flammiferum condunt fumanti gurgite currum. 210
sed qua se campis squalentibus Africa tendit,
serpentum largo coquitur fecunda ueneno,
felix qua pingues mitis plaga temperat agros,
nec Cerere Hennaea Phario nec uicta colono.
hic passim exsultant Numidae, gens inscia freni, 215
quis inter geminas per ludum mobilis aures
quadrupedem flectit non cedens uirga lupatis.
altrix bellorum bellatorumque uirorum
tellus nec fidens nudo sine fraudibus ensi.
Altera complebant Hispanae castra cohortes, 220
auxilia Europa genitoris parta tropaeis.
Martius hinc campos sonipes hinnitibus implet,
hinc iuga cornipedes erecti bellica raptant;
non Eleus eat campo feruentior axis.
prodiga gens animae et properare facillima mortem. 225
namque ubi transcendit florentes uiribus annos,
impatiens aeui spernit nouisse senectam,
et fati modus in dextra est. hic omne metallum:
electri gemino pallent de semine uenae,
atque atros chalybis fetus humus horrida nutrit. 230
sed scelerum causas operit deus. Astur auarus
uisceribus lacerae telluris mergitur imis
et redit infelix effosso concolor auro.
hinc certant, Pactole, tibi Duriusque Tagusque,

**209** immisit δ : immiserit $V^2Γ^2$ **214** henn(a)ea ω : (a)et(h)-n(a)ea ς *v. ad 1, 93* **215** nomades F *m.2 s.l.* Ch *Summers, sed cf. 9, 242* **221** europa ω (*corr. in* -pe G, *unde* -pe L) : -ae ς *v. Blomgren 8 sq.* **222** hinc β *Livineius* : huic F *edd. vett.* sonipes campos Br2v **223** hinc β : huic F *edd. vett.* erepti Fδ (*corr. in* VΓ) **224** eleus eat $G^2V^2Γ$ς : eleuseo ω (-sco V) **228** mōūs β (*unde* mouens O) **231** operit $F^2G^2LΓ^2$ : perit F : aperit β **234** hic *Livineius, Summers*

quique super Grouios lucentes uoluit harenas 235
infernae populis referens obliuia Lethes.
nec Cereri terra indocilis nec inhospita Baccho
nullaque Palladia sese magis arbore tollit.
Hae postquam Tyrio gentes cessere tyranno
utque dati rerum freni, nunc arte paterna 240
conciliare uiros armis, consulta senatus
uertere, nunc donis. primus sumpsisse laborem,
primus iter carpsisse pedes partemque subire,
si ualli festinet opus. nec cetera segnis,
quaecumque ad laudem stimulant, somnumque negabat 245
naturae noctemque uigil ducebat in armis.
interdum proiectus humi turbaeque Libyssae
insignis sagulo duris certare maniplis,
celsus at in magno praecedens agmine ductor
imperium praeferre suum. tum uertice nudo 250
excipere insanos imbres caelique ruinam.
spectarunt Poeni, tremuitque exterritus Astur,
torquentem cum tela Iouem permixtaque nimbis
fulmina et excussos uentorum flatibus ignes
turbato transiret equo. nec puluere fessum 255
agminis ardenti labefecit Sirius astro.
flammiferis tellus radiis cum exusta dehiscit
candentique globo medius coquit aethera feruor,
femineum putat umenti iacuisse sub umbra
exercetque sitim et spectato fonte recedit. 260
idem correptis sternacem ad proelia frenis

**235** grouios F : gronios β (groinos O) : granios L : grauios ς *edd. propter 3, 366* **241.242** *sic distinxi*, uiros *i. populum Carthaginiensem*, armis *i. rebus gestis*, senatus *sc. Carthaginiensis* **249** at Σ (*de positione cf. 2, 437*) : ac ω : et $F^2\Gamma^2$ς **250** praeferre *Duff tacite* : per- ω : pro- *Blass* **252** exercitus Γ (*corr. m.2*) *edd. a* r2 : excercitus O (*corr.*) **259** umenti Ch : iuueni F (que *post* femineum *ins. m.2*) : inuenta $F^2$ β *fort. recte* **260** et exspectato O

frangere equum et famam letalis amare lacerti
ignotique amnis tranare sonantia saxa
atque e diuersa socios accersere ripa.
idem expugnati primus stetit aggere muri, 265
et quotiens campo rapidus fera proelia miscet,
qua sparsit ferrum, latus rubet aequore limes.
ergo instat fatis et rumpere foedera certus,
quo datur, interea Romam comprendere bello
gaudet et extremis pulsat Capitolia terris. 270
Prima Saguntinas turbarunt classica portas,
bellaque sumpta uiro belli maioris amore.
haud procul Herculei tollunt se litore muri
clementer crescente iugo, quis nobile nomen
conditus excelso sacrauit colle Zacynthos. 275
hic comes Alcidae remeabat in agmine Thebas
Geryone exstincto caeloque ea facta ferebat.
tres animas namque id monstrum, tres corpore dextras
armarat ternaque caput ceruice gerebat.
haud alium uidit tellus, cui ponere finem 280
non posset mors una uiro duraeque sorores
tertia bis rupto torquerent stamina filo.
hinc spolia ostentabat ouans captiuaque uictor
armenta ad fontes medio feruore uocabat,
cum tumidas fauces accensis sole uenenis 285
calcatus rupit letali uulnere serpens
Inachiumque uirum terris prostrauit Hiberis.
mox profugi ducente Noto aduertere coloni,
insula quos genuit Graio circumflua ponto
atque auxit, quondam Laertia regna, Zacynthos. 290
firmauit tenues ortus mox Daunia pubes
sedis inops, misit largo quam diues alumno

262 flammam Γς 268 sidera δ 277 facta ω *Livineius* : fata F$^2$ *edd. a* v 283 hinc LΓ$^2$O : huic ω : hic r1 290 *sic distinxi 1969, 94*

magnanimis regnata uiris †nunc Ardea nomen†.
libertas populis pacto seruata decusque
maiorum, et Poenis urbi imperitare negatum. 295
Admouet abrupto flagrantia foedere ductor
Sidonius castra et latos quatit agmine campos.
ipse caput quassans circumlustrauit anhelo
muros saeuus equo mensusque pauentia tecta
pandere iamdudum portas et cedere uallo 300
imperat et longe clausis sua foedera, longe
Ausoniam fore nec ueniae spem Marte subactis.
scita patrum et leges et iura fidemque deosque
in dextra nunc esse sua. uerba ocius acer
intorto sancit iaculo figitque per arma 305
stantem pro muro et minitantem uana Caicum.
concidit exacti medius per uiscera teli
effusisque simul praerupto ex aggere membris
uictori moriens tepefactam rettulit hastam.
at multo ducis exemplum clamore secuti 310
inuoluunt atra telorum moenia nube.
clara nec in numero uirtus latet; obuia quisque
ora duci portans ceu solus bella capessit.
hic crebram fundit Baliari uerbere glandem
terque leui ducta circum caput altus habena 315

293 nunc *a m.2 in lac.* F *post* uiris *duo hemistichia excidisse suspicatus est Blass, cf. Verg. Aen. 7, 411 sq.* 295 urbi $R^2 \Lambda^2$ *Heinsius* : ubi ω : postquam $\Gamma^2$ς 297 latos ... campos $F^2 O^2$ Cm *Ep. 46* : latos ... cās F : latas ... cās β : latas ... terras $G^2$L : latas ... causas O : laetas ... causas $\Gamma^2$ς 306 minitantem uana Cc *Em. 2, 11* Cm *Ep. 46* : mutantem membra FG*marg.* LV*marg.*Γς : mutantem β (*corr. in* nu- O) : motantem membra l b1 : monstrantem tela j : monstrantem membra b2 caicum $G^2$lCcCm : na- *vel* ua- ω 307 concidit $\Gamma^2$ς : cond- ω exacti ... teli ωCc : -o ... -o $\Gamma^2$ς : iniecto ... telo *edd. a* j 310 at $F^2 G^2 \Gamma^2$ς : ac ω 314 baleari $G^2 \Gamma^2$ς

permissum uentis abscondit in aere telum,
hic ualido librat stridentia saxa lacerto,
huic impulsa leui torquetur lancea nodo.
ante omnes ductor patriis insignis in armis
nunc picea iactat fumantem lampada flamma, 320
nunc sude, nunc iaculo, nunc saxis impiger instat
aut hydro imbutas, bis noxia tela, sagittas
contendit neruo atque insultat fraude pharetrae,
Dacus ut armiferis Geticae telluris in oris,
spicula †quae patrio gaudens† acuisse ueneno 325
fundit apud ripas inopina binominis Histri.
Cura subit collem turrita cingere fronte
castelloque urbem circumuallare frequenti.
heu priscis numen populis, at nomine solo
in terris iam nota fides! stat dura iuuentus 330
ereptamque fugam et claudi uidet aggere muros,
sed dignam Ausonia mortem putat esse Sagunto
seruata cecidisse fide. iamque acrius omnes
intendunt uires. adductis stridula neruis
Phocais effundit uastos ballista molares 335
atque eadem ingentis mutato pondere teli
ferratam excutiens ornum media agmina rumpit.
alternus resonat clangor. certamine tanto
conseruere acies, ueluti circumdata uallo
Roma foret, clamantque super: 'tot milia, gentes 340
inter tela satae, iam capto stamus in hoste?

**316** permissum β : ter missum α a(b)scondit $G^2L^2\Gamma^2\varsigma$ : ascendit ω : accendit *Heinsius coll. Verg. Aen. 9, 588; Stat. Theb. 10, 533* **318** huic $FG^2\Gamma^2\varsigma$ : hinc β **320** nunc $FL^2\Gamma^2$ : h- β **324** in (*pro* ut) δ (*corr. in* Γ) **325** qui *Heinsius, Bauer* : gaudent *Livineius* : praerapido gaudens *Chory, fort. recte, cf. Tac. ann. 12, 67, 2; 13, 15, 5* **329** at Ch : ac ω **332** sagunto ωCm *Ep. 46* : -um $G^2\Gamma^2\varsigma$ **337** orrium β (*corr. in* GΓO) *post* **338** *versum excidisse suspicor* **339** conseruere $F^2LV\Gamma^2$ : -seruare F : -seuiere GO **340** clamatque $G^2\Gamma^2\varsigma$ *edd., sed clamant milites invicem se adhortantes; cf. 5, 218*

nonne pudet coepti, pudet ominis? en bona uirtus
primitiaeque ducis! taline implere paramus
Italiam fama? tales praemittere pugnas?'
accensae exsultant mentes, haustusque medullis 345
Hannibal exagitat, stimulantque sequentia bella.
inuadunt manibus uallum caesasque relinquunt
deiecti muris dextras. subit arduus agger
imponitque globos pugnantum desuper urbi.
armauit clausos ac portis arcuit hostem 350
librari multa consueta phalarica dextra,
horrendum uisu robur celsisque niuosae
Pyrenes trabs lecta iugis, cui plurima cuspis,
uix muris toleranda lues, sed cetera pingui
uncta pice atque atro circumlita sulphure fumant. 355
fulminis haec ritu summis e moenibus arcis
incita sulcatum tremula secat aera flamma,
qualis sanguineo praestringit lumina crine
ad terram caelo decurrens ignea lampas.
haec ictu rapido pugnantum saepe per auras 360
attonito ductore tulit fumantia membra,
haec uastae lateri turris cum turbine fixa,
dum penitus pluteis Vulcanum exercet adesis,
arma uirosque simul pressit flagrante ruina.
tandem condensis artae testudinis armis 365
subducti Poeni uallo caecaque latebra
pandunt prolapsam suffossis moenibus urbem.
terribilem in sonitum procumbens aggere uicto
Herculeus labor atque immania saxa resoluens
mugitum ingentem caeli dedit. Alpibus altis 370

**342** nonne ω : anne *edd. a* j ominis $L^2G^2$r1 : oīs FG : ois V : onis O : omnis Lς (*in* C *quid Modius Ep. 46 legerit parum constat*) **343** -ne $G^2L^2\Gamma^2$Oς : -ue ω **352** celsisque F$G^2L^2\Gamma^2$ς : celisque *vel* telisque β **355** fumat *Heinsius* : -ans *Chory* **360** haec α$G^2\Gamma^2$ : nec β **366** subducti *Koch* : -o ω **369** reuoluens $G^2\Gamma$ς **370** caeli ωCh : -o $G^2\Gamma^2$ς

aeriae rupes scopulorum mole reuulsa
haud aliter scindunt resonanti fragmine montem.
surgebat cumulo certatim prorutus agger,
obstabatque iacens uallum, ni protinus instent
hinc atque hinc acies media pugnare ruina. 375
Emicat ante omnes primaeuo flore iuuentae
insignis Rutulo Murrus de sanguine (at idem
matre Saguntina Graius geminoque parente
Dulichios Italis miscebat prole nepotes).
hic magno socios Aradum clamore uocantem, 380
qua corpus loricam inter galeamque patescit,
conantis motus speculatus cuspide sistit
prostratumque premens telo uoce insuper urget:
'fallax Poene, iaces; certe Capitolia primus
scandebas uictor. quae tanta licentia uoti? 385
nunc Stygio fer bella Ioui!' tum feruidus hastam
aduersi torquens defigit in inguine †Hiberi†,
oraque dum calcat iam singultantia leto,
'hac iter est' inquit 'uobis ad moenia Romae,
o metuenda manus. sic, quo properatis, eundum.' 390
mox instaurantis pugnam circumsilit arma
et rapto nudum clipeo latus haurit Hiberi.
diues agri, diues pecoris famaeque negatus
bella feris arcu iaculoque agitarat Hiberus,
felix heu nemorum et uitae laudandus opacae, 395
si sua per patrios tenuisset spicula saltus.

373 tumulo LO (*corr.*) certatim F *v.l. s.l.* Ch *cf. 2, 599* : -antem ω : -antum $F^{2}L^{2}G^{2}\Gamma^{2}\varsigma$ prorutus ωCm *Ep. 46* : protinus b2 374 ni ω (*'obstabat vallum et re vera impedivisset pugnare, nisi protinus institissent' Lindblom 123*) : ne $L^{2}G^{2}\Gamma^{2}\varsigma$ 377 at $G^{2}$b1 : ac ω : et $\Gamma^{2}\varsigma$ 379 Itala *van Veen* 380 magnos Γς aradum $FL^{2}$J *cf. Neumann 48* : aiadum β : eneadum O : (n)aidum ς 387 *vox* Hiberi *interpolata propter* instaurantis (*391*) *verum nomen extrusit, v. Summers* 391 pugnam α$G^{2}$O : -a β 394 feris $F\Phi^{2}$Dv : ferens $F^{2}$Lβ agitarat *scripsi* : -bat ω

hunc miseratus adest infesto uulnere Ladmus.
cui saeuum arridens 'narrabis Hamilcaris umbris
hanc' inquit 'dextram, quae iam post funera uulgi
Hannibalem uobis comitem dabit', et ferit alte 400
insurgens gladio cristatae cassidis aera
perque ipsum tegimen crepitantia dissipat ossa.
tum frontem Chremetes intonsam umbrante capillo
saeptus et horrentes effingens crine galeros,
tum Masulis crudaque uirens ad bella senecta 405
Karthalo non pauidus fetas mulcere leaenas,
flumineaque urna caelatus Bagrada parmam
et uastae Nasamon Syrtis populator Hiempsal,
audax in fluctu laceras captare carinas,
una omnes dextraque cadunt iraque perempti; 410
nec non serpentem diro exarmare ueneno
doctus Athyr tactuque graues sopire chelydros
ac dubiam admoto subolem explorare ceraste.
tu quoque fatidicis Garamanticus accola lucis
insignis flexo galeam per tempora cornu, 415
heu frustra reditum sortes tibi saepe locutas
mentitumque Iouem increpitans, occumbis, Hiarba.
et iam corporibus cumulatus creuerat agger,
perfusaeque atra fumabant caede ruinae,
cum ductorem auido clamore in proelia poscit. 420
fulmineus ceu Spartanis latratibus actus,
cum siluam occursu uenantum perdidit, hirto

397 ladmus $F^2V^2$ r2v : ladiuus ω (laudiuus *corr. in* laudus O) : lagmus Γς 400 dabit $F^2L^2G^2\Gamma^2$ς : dedit ω *fort. recte* 403.404 *post 406 in edd. a* j *suo loco rest.* Cc *Em. 2, 11* 403 Chremetes *Gronovius* : chremes ω umbrante ωCc : uibrante $G^2\Gamma^2$ς 406 Karthalo F *marg.* Ch (Kartalo Cc) : harc(h)alo ω 407 bagrada $\alpha\Gamma^2$ς : bragada β parmam $F^2L^2G^2\Gamma^2O^2$ς : -mum α : -uum G : -uam γ 408 (h)iem(p)sal αv : hiera(r)sas β 409 captare α : r- $F^2\beta$ 417 iarbas O 420 cum *scripsi* : tum ω 422 hirto $F^2L^2G^2\Gamma^2O$ς : hirco *vel* hyrco ω

horrescit saetis dorso et postrema capessit
proelia canentem mandens aper ore cruorem
iamque ignem geminum contra uenabula torquens. 425
At parte ex alia, qua se insperata iuuentus
extulerat portis, ceu spicula nulla manusque
uim ferre exitiumue queant, permixtus utrisque
Hannibal agminibus passim furit et quatit ensem,
cantato nuper senior quem fecerat igni 430
litore ab Hesperidum Temisus, qui carmine pollens
fidebat magica ferrum crudescere lingua,
quantus Bistoniis late Gradiuus in oris
belligero rapitur curru telumque coruscans,
Titanum quo pulsa cohors, flagrantia bella 435
cornipedum afflatu domat et stridoribus axis.
iamque Hostum rutilumque Pholum ingentemque Metiscum,
iam Lygdum Duriumque simul flauumque Galaesum
et geminos Chromin atque Gyan demiserat umbris.
Daunum etiam, grata quo non spectatior alter 440
uoce mouere fora atque orando fingere mentes
nec legum custos sollertior, aspera telis
dicta admiscentem: 'quaenam te, Poene, paternae
huc adigunt furiae? non haec Sidonia tecta
feminea fabricata manu pretioue parata 445

**423** saetis Ch : s(a)euus ω **424** canentem F² Ch : cadentem F : candentem L : tenentem β : inundantem G² : spumantem V *marg.* Γς : feruentem j **425** ignem *Delz 1975, 169 sq. coll. Ov. met. 8, 338 sq. et Homer. lat. 599* : gemet ω torquens α : *om.* β (*in* O *m.2 add.* dēte) : fertur (*et* gemens *pro* gemet) Γς **428** *om.* δ (*suppl. m.2 in ima pagina* V, *marg.* Γ) exitiumue (exitumue F) queant αG² : exitium ne queant G : exitium nequeat O : exitiumque queat ς **431** temisus F *m.2 in lac.* LR² Cm *Ep. 46* : remissus β : r(h)emisus V² Γς : missus b1 **436** tonat Γ² ς *cf. 4, 363* **437** rutilumque ς *v. Bleiching 72* : rutul- ω **438** lidium (lyd-) diriumque (dyr-) Γς **439** dimiserat δς

exulibusue datum dimensis litus harenis.
fundamenta deum Romanaque foedera cernis' –
ast illum toto iactantem talia campo
ingenti raptum nisu medioque uirorum
auulsum inter tela globo et post terga reuinctum 450
Hannibal ad poenam lentae mandauerat irae
increpitansque suos inferri signa iubebat
perque ipsos caedis cumulos stragemque iacentum
monstrabat furibundus iter cunctosque ciebat
nomine et in praedas stantem dabat improbus urbem. 455
 Sed postquam a trepidis allatum feruere partem
diuersam Marte infausto Murroque secundos
hunc superos tribuisse diem, ruit ocius amens
lymphato cursu atque ingentes deserit actus.
letiferum nutant fulgentes uertice cristae, 460
crine ut flammifero terret fera regna cometes
sanguineum spargens ignem; uomit atra rubentes
fax caelo radios, ac saeua luce coruscum
scintillat sidus terrisque extrema minatur.
praecipiti dant tela uiam, dant signa uirique, 465
atque ambae trepidant acies. iacit igneus hastae
dirum lumen apex, ac late fulgurat umbo.
talis ubi Aegaeo surgente ad sidera ponto
per longum uasto Cori cum murmure fluctus
suspensum in terras portat mare, frigida nautis 470
corda tremunt; sonat ille procul flatuque tumescens
curuatis pauidas tramittit Cycladas undis.
non cuncta e muris unum incessentia tela

**449** raptum $FL^2\beta$ : -im $F^2L$ nisu $F^2L^2G^2\Gamma^2\varsigma$ : u- $\omega$ : iussu $\delta$ **457** murroque $F^2L^2\Gamma^2\varsigma$ : mauroque $\omega$ **458** hunc $\beta$ : n- $\alpha$ **460** letiferum nutant $F^2L\beta$Cm *Ep. 57* : l. uetant F : l. mitant $\delta$ : l.que micant $\Gamma^2\varsigma$ **463** ac $\alpha$ *Drakenborch tacite* : et $\beta$ **464** scintillat $\alpha\Gamma^2O$ : sin- $\beta$ **466** iacet $F\Gamma O$ (*corr. in omnibus*) **467** ac $\alpha$r2 : et $\beta$ **472** pauidas $\Gamma^2\varsigma$ : -us $\omega$ cicladas (cy-) $F^2L^2\Gamma^2O^2\varsigma$ : -us $\omega$

fumantesque ante ora faces, non saxa per artem
tormentis excussa tenent. ut tegmina primum 475
fulgentis galeae conspexit et arma cruento
inter solem auro rutilantia, turbidus infit:
'en, qui res Libycas inceptaque tanta retardet,
Romani Murrus belli mora. foedera, faxo,
iam noscas, quid uana queant et uester Hiberus. 480
fer tecum castamque fidem seruataque iura,
deceptos mihi linque deos'. cui talia Murrus:
'exoptatus ades. mens olim proelia poscit
speque tui flagrat capitis. fer debita fraudum
praemia et Italiam tellure inquire sub ima. 485
longum in Dardanios fines iter atque niualem
Pyrenen Alpesque tibi mea dextera donat'.
Haec inter cernens subeuntem comminus hostem
praeruptumque loci fidum sibi, corripit ingens
aggere conuulso saxum et nitentis in ora 490
deuoluit, pronoque silex ruit incitus ictu.
subsedit duro concussus fragmine muri.
tum pudor accendit mentem, nec conscia fallit
uirtus pressa loco; frendens luctatur et aegro
scandit in aduersum per saxa uetantia nisu. 495
sed postquam propior uicino lumine fulsit
et tota se mole tulit, uelut incita clausum
agmina Poenorum cingant et cuncta pauentem
castra premant, lato Murrus caligat in hoste.
mille simul dextrae densusque micare uidetur 500
ensis et innumerae nutare in casside cristae.

477 contra s. *Summers, sed v. Delz 1975, 156 sq.* 479 murrus $F^2L^2\Gamma^2O^2\varsigma$ : murus ω 481 fer tecum Δ *marg. Livineius* : fert (a)equum ω : ferto aequum j *post* 491 *versum excidisse suspicor, nam in 488–491 Murrus, in 492–497 Hannibal agit (aliter Bothe et Duff)* 495 uetantia F *marg.* Ch : uert- F : nut- $F^2L\beta$ : mic- $L^2\Gamma^2\varsigma$ : min- $O^2$ nisu $F^2L^2\Gamma^2\varsigma$ : u- ω 496 proprior β *errore vulgari*

conclamant utrimque acies, ceu tota Saguntos
igne micet. trahit instanti languentia leto
membra pauens Murrus supremaque uota capessit:
'conditor Alcide, cuius uestigia sacra 505
incolimus terra, minitantem auerte procellam,
si tua non segni defenso moenia dextra'.
dumque orat caeloque attollit lumina supplex –
'cerne', ait 'an nostris longe Tirynthius ausis
iustius affuerit. ni displicet aemula uirtus, 510
haud me dissimilem, Alcide, primoribus annis
agnosces, inuicte, tuis. fer numen amicum
et, Troiae quondam primis memorate ruinis,
dexter ades Phrygiae delenti stirpis alumnos'.
sic Poenus pressumque ira simul exigit ensem, 515
qua capuli statuere morae, teloque relato
horrida labentis perfunditur arma cruore.
ilicet ingenti casu turbata iuuentus
procurrit, nota arma uiri corpusque superbo
uictori spoliare negant. coit aucta uicissim 520
hortando manus et glomerata mole feruntur.
hinc saxis galea, hinc clipeus sonat aereus hastis.
incessunt sudibus librataque pondera plumbi
certatim iaciunt. decisae uertice cristae
direptumque decus nutantum in caede iubarum. 525
iamque agitur largus per membra fluentia sudor
et stant loricae squamis horrentia tela.
nec requies tegimenue datur mutare sub ictu.
genua labant, fessique umeri gestamina laxant.
tum creber penitusque trahens suspiria sicco 530
fumat ab ore uapor, nisuque elisus anhelo

503 trahit $L^2\Gamma^2\varsigma$ : trahi ω 506 incolimus, terrae b1 *Summers* 507 defendo Ch 522 hinc … hinc $\Gamma^2$O : huic … huic ω 524 decisae LplCh : densae F (de *add. m.2*) : et densae β : decisae in *edd. a* r1 525 iubarum $FV^2\Gamma^2O$ : uibrarum LG : uibarum δ 531 nisu $F\Gamma^2\varsigma$ : u- β

auditur gemitus fractumque in casside murmur.
mente aduersa domat gaudetque nitescere duris
uirtutem et decoris pretio discrimina pensat.
Hic subitus scisso densa inter nubila caelo 535
erupit quatiens terram fragor, et super ipsas
bis pater intonuit geminato fulmine pugnas.
inde inter nubes uentorum turbine caeco
ultrix iniusti uibrauit lancea belli
ac femine aduerso librata cuspide sedit. 540
Tarpeiae rupes superisque habitabile saxum
et uos, uirginea lucentes semper in ara
Laomedonteae, Troiana altaria, flammae,
heu quantum uobis fallacis imagine teli
promisere dei! propius si pressa furenti 545
hasta foret, clausae starent mortalibus Alpes
nec, Thrasymenne, tuis nunc Allia cederet undis.
sed Iuno adspectans Pyrenes uertice celsae
naua rudimenta et primos in Marte calores
ut uidet impressum coniecta cuspide uulnus, 550
aduolat obscura circumdata nube per auras
et ualidam duris euellit ab ossibus hastam.
ille tegit clipeo fusum per membra cruorem
tardaque paulatim et dubio uestigia nisu
alternata trahens auersus ab aggere cedit. 555
Nox tandem optatis terras pontumque tenebris
condidit et pugnas erepta luce diremit.
at durae inuigilant mentes molemque reponunt,
noctis opus. clausos acuunt extrema pericli
et fractis rebus uiolentior ultima uirtus. 560

533 gaudetque ωCm *Ep. 57* : suadetque r2v 540 femine FCm *ad Livium 21, 7 p. 503* : -ure L : -ore β 545 proprius δ (*corr. in* Γ) 549 naua Cc *Em. 2, 11* Cm *Ep. 41* : uana ω 550.551 *ins.* CcCm : *desunt* ω 552 et ualidam CcCmω : eualidam r1 : inu- j 554 nisu FΓς : u- β 555 auersus ω *edd. a* v1 : adu- Lδς 558 reponunt Γ[2]O[2]ς : se- ω

hinc puer inualidique senes, hinc femina ferre
certat opem in dubiis miserando naua labori,
saxaque mananti subuectat uulnere miles.
iam patribus clarisque senum sua munia curae;
concurrunt lectosque uiros hortantur et orant, 565
defessis subeant rebus reuocentque salutem
et Latia extremis implorent casibus arma.
'ite citi, remis uelisque impellite puppim,
saucia dum castris clausa est fera; tempore Martis
utendum est rupto et grassandum ad clara periclis. 570
ite citi, deflete fidem murosque ruentes
antiquaque domo meliora accersite fata.
mandati summa est: dum stat, remeate, Saguntos'.
ast illi celerant, qua proxima litora, gressum
et fugiunt tumido per spumea caerula uelo. 575
  Pellebat somnos Tithoni roscida coniunx,
ac rutilus primis sonipes hinnitibus altos
afflarat montes roseasque mouebat habenas;
iam celsa e muris exstructa mole iuuentus
clausam nocturnis ostentat turribus urbem. 580
rerum omnes pendent actus, et milite maesto
laxata obsidio, ac pugnandi substitit ardor,
inque ducem uersae tanto discrimine curae.
  Interea Rutulis longinqua per aequora uectis
Herculei ponto coepere exsistere colles 585

**561** puer FCh : -ri Lβ **562** naua Cc *Em. 2, 11* : uana ω **564** munia α$G^2$Or2 : numina β **566–568** *verba* salutem – uelisque *ins.* Cc *Em. 2, 11* Cm *Ep. 41* (567 et Cm : ac Cc) : *desunt* ω rebus *expunctum in* G *deest* δ rebus reuocentque Sagunto/Sidonias flammas nunc ite BQYZ *edd. vett.* (*verba a Pomponio ficta ut videtur, quod non solum quattuor codicibus Pomponianis probatur, sed etiam hac Heinsii annotatione ad l.:'in Vaticano quodam codice vidi annotatum, cetera esse a manu Pomponii Laeti'; v. Praef. p. LVIII n. 2*) **569** martis Oς : matris ω **570** rupto ω : ra- $R^2$pb1Cd **577** ac Fv : at Lβ : et $\Gamma^2$ς **578** roseasque α$G^2\Gamma^2O^2$ς : -aque β **583** iamque δ

et nebulosa iugis attollere saxa Monoeci.
Thracius hos Boreas scopulos immitia regna
solus habet semperque rigens nunc litora pulsat,
nunc ipsas alis plangit stridentibus Alpes,
atque ubi se terris glaciali fundit ab Arcto, 590
haud ulli contra fiducia surgere uento.
uerticibus torquet rapidis mare, fractaque anhelant
aequora, et iniecto conduntur gurgite montes,
iamque uolans Rhenum Rhodanumque in nubila tollit.
hunc postquam Boreae dirum euasere furorem, 595
alternos maesti casus bellique marisque
et dubium rerum euentum sermone uolutant:
'o patria, o Fidei domus inclita, quo tua nunc sunt
fata loco? sacraene manent in collibus arces
an cinis, heu superi, tanto de nomine restat? 600
ferte leues auras flatusque ciete secundos,
si nondum insultat templorum Poenicus ignis
culminibus Latiaeque ualent succurrere classes'.
Talibus illacrimant noctemque diemque querelis,
donec Laurentes puppis defertur ad oras, 605
qua pater acceptis Anienis ditior undis
in pontum flauo descendit gurgite Thybris.
hinc consanguineae subeunt iam moenia Romae.
Consilium uocat augustum castaque beatos
paupertate patres ac nomina parta triumphis 610
consul et aequantem superos uirtute senatum.

586 iugi se *Blass 1867, 35 coll. Verg. Aen. 3, 552, sed cf. Lucan. 4, 157* 588 habet F (hēt) L *in ras.* G *m.2 marg.* Γ *in lac.* ς : hicbet G : hichet O : *lac.* V 589 plangit F (plargit) Cm *Ep. 83* : ta- F *m.2 marg.* Lβ : fra- b1 595 hunc ς : n- ω 598 o p. o f. Γ²BPΞr1 : o p. f. ω 599 -ne Γ²ς : -ue ω 601 auras αΓ²O²ς : -es β 602 poenicus Cc *Em. 2, 11* Cm *Ep. 41* : penicus F² : punicus R² : penitus ω : protinus Γ²ς 605 laurentis αΓ²O² : lamentis β 606 anienis FL²Γ²Oς : amenis Lβ : amoenis P 609 consilium ω : conc- O *in ras.* ς

facta animosa uiros et recti sacra cupido
attollunt, hirtaeque comae neglectaque mensa
dexteraque a curuis capulo non segnis aratris.
exiguo faciles et opum non indiga corda 615
ad paruos curru remeabant saepe penates.
In foribus sacris primoque in limine templi
captiui currus, belli decus, armaque rapta
pugnantum ducibus saeuaeque in Marte secures,
perfossi clipei et seruantia tela cruorem 620
claustraque portarum pendent. hic Punica bella,
Aegates, cernas fusaque per aequora classe
exactam ponto Libyen testantia rostra.
hic galeae Senonum pensatique improbus auri
arbiter ensis inest Gallisque ex arce fugatis 625
arma reuertentis pompa gestata Camilli,
hic spolia Aeacidae, hic Epirotica signa
et Ligurum horrentes coni parmaeque relatae
Hispana de gente rudes Alpinaque gaesa.
Sed postquam clades patefecit et horrida bella 630
orantum squalor praesensque adstare Sagunti
ante oculos uisa est extrema precantis imago,
tum senior maesto Sicoris sic incipit ore:
'sacrata gens clara fide, quam rite fatentur
Marte satam populi ferro parere subacti, 635
ne crede emensos leuia ob discrimina pontum.

**612** quia (*pro* et) O **613** comae ω : togae Cm *Ep. 57* menta *Garrod, fort. recte* **617** limine $F^2LO^2$ : lu- FV : limina O **618** captiui $FL^2\Gamma^2O$ : captum β **622** fusasque p.a. classes O **624** senonum *corr. ex* sonorum L : sonorum *v.l. marg.* F **628** horrentes coni parmaeque $F^2LG^2$Cm *Ep. 83* : h. comparmeque F : h. co..p. β (*in lac. pro* coni *m.2 ins.* tonse O) : horrentesque comae p. $\Gamma^2$ς **629** g(a)esa $F^2L^2$ς : c(a)esa ω (celsa O) **631** que *errore om. Drakenborch, edd. recc.* (tum *in apodosi etiam 10, 328; 11, 130; 15, 69; 16, 284*) **635** subacti ωCh : co- *edd. a* j **636** emensos Fv : -um Lβ

uidimus obsessam patriam murosque trementes
et, quem insana freta aut coetus genuere ferarum,
uidimus Hannibalem. procul his a moenibus, oro,
arcete, o superi, nostroque in Marte tenete 640
fatiferae iuuenem dextrae! qua mole sonantes
exigit ille trabes et quantus crescit in armis!
trans iuga Pyrenes medium indignatus Hiberum
exciuit Calpen et mersos Syrtis harenis
molitur populos maioraque moenia quaerit. 645
omnis Hiber, omnis rapidis fera Gallia turmis, 656
omnis ab aestifero sitiens Libys imminet axe. 657
spumeus hic medio qui surgit ab aequore fluctus, 646
si prohibere piget, uestras effringet in urbes.
an tanti pretium motus ruptique per enses
foederis hoc iuueni iurata in bella ruenti
creditis, ut statuat superatae iura Sagunto? 650
ocius ite, uiri, et nascentem exstinguite flammam,
ne serae redeant post aucta pericula curae.
quamquam o, si nullus terror, non obruta iam nunc
semina fumarent belli, uestraene Sagunto
spernendum consanguineam protendere dextram? 655
per uos culta diu Rutulae primordia gentis 658
Laurentemque larem et genetricis pignora Troiae,
conseruate pios, qui permutare coacti 660
Acrisioneis Tirynthia culmina muris.
uos etiam Zanclen Siculi contra arma tyranni
iuuisse egregium, uos et Campana tueri
moenia depulso Samnitum robore dignum

**642** exigit ω Cc *Em. 2, 11* : exycit Ch (*per errorem ut videtur*) : conijcit *edd. a* j **656.657** *huc transposuit Postgate, suo loco alienos esse vidit iam Buchwald* **650** superatae FO$^2$Ch : -taue Lβ : -ta Φ *edd. a* p **654** -ne L$^2$Γ$^2$r1 : -ue ω **658** rutilae GV **660** coacti F$^2$LΓO$^2$ : coasti FGVO **662** Zanclen F *m.2 marg.* LCc *Em. 2, 11* Cm *Ep. 41* : tandem Fβ

Sigeis duxistis auis. uetus incola Dauni 665
(testor uos, fontes et stagna arcana Numici),
cum felix nimium dimitteret Ardea pubem,
sacra domumque ferens et aui penetralia Turni
ultra Pyrenen Laurentia nomina duxi.
cur ut decisa atque auulsa a corpore membra 670
despiciar, nosterque luat cur foedera sanguis?'
  Tandem, ut finitae uoces, (miserabile uisu)
summissi palmas lacerato tegmine uestis
affigunt proni squalentia corpora terrae.
inde agitant consulta patres curasque fatigant. 675
Lentulus ut cernens accensae tecta Sagunti
poscendum poenae iuuenem celerique negantis
exuri bello Carthaginis arua iubebat.
at Fabius cauta speculator mente futuri
nec laetus dubiis parcusque lacessere Martem 680
et melior clauso bellum producere ferro,
prima super tantis rebus pensanda, ducisne
ceperit arma furor, patres an signa moueri
censuerint, mittique uiros, qui exacta reportent.
prouidus haec ritu uatis fundebat ab alto 685
pectore praemeditans Fabius surgentia bella,
ut saepe e celsa grandaeuus puppe magister
prospiciens signis uenturum in carbasa Corum
summo iam dudum substringit lintea malo.

**665** Daunus *Blass, sed cf. Verg. Aen. 10, 688 et e.g. Mart. 10, 87, 10; Iuv. 14, 271; Stat. Theb. 2, 119* **669** pyrenen α$\Gamma^2$$O^2$ς : pyren (pi-) β nomina duxi ω (nu- Γ) : numina duxit $\Gamma^2$ς : numina uexit *edd. a* r1 **670** a ωCh : e *edd. vett.* **671** despiciar $\Phi^2$ l : dispiçiat ω nosterque ω : ue- Yv1 **673** *versum in edd. a* v1 *omissum ins.* Cc *Em. 2, 11* (summissis palmis Ch *errore ut videtur*) **680** parcusque Cc *Em. 2, 11* Cm *Ep. 83* : paruisque ω **685** haec α$\Gamma^2$ : hoc β

sed lacrimae atque ira mixtus dolor impulit omnes 690
praecipitare latens fatum, lectique senatus,
qui ductorem adeant; si perstet surdus in armis
pactorum, uertant inde ad Carthaginis arces
nec diuum oblitis indicere bella morentur.

**691** l(a)etique δ (*corr. in* Γ) P senatu $\Gamma^2$ *edd., sed cf. e.g. Liv. 2, 15, 2; 24, 28, 8; 32, 25, 6; 34, 27, 2; Verg. Aen. 9, 48*

# SILI ITALICI
# PVNICORVM
## LIBER SECVNDVS

Caeruleis prouecta uadis iam Dardana puppis
tristia magnanimi portabat iussa senatus
primoresque patrum. Fabius, Tirynthia proles,
ter centum memorabat auos, quos turbine Martis
abstulit una dies, cum Fors non aequa labori 5
patricio Cremerae maculauit sanguine ripas.
huic comes aequato sociauit munere curas
Publicola, ingentis Volesi Spartana propago.
is cultam referens insigni nomine plebem
Ausonios atauo ducebat consule fastus. 10
  Hos ut depositis portum contingere uelis
allatum Hannibali consultaque ferre senatus
iam medio seram bello poscentia pacem
ductorisque simul conceptas foedere poenas,
ocius armatas passim per litora turmas 15
ostentare iubet minitantia signa recensque
perfusos clipeos et tela rubentia caede.
haud dictis nunc esse locum, strepere omnia clamat
Tyrrhenae clangore tubae gemituque cadentum.
dum detur, relegant pontum neu se addere clausis 20
festinent; notum, quid caede calentibus armis,
quantum irae liceat, motusue quid audeat ensis.

1 Eruleis γ (Erculeis O) 6 cremer(a)e α$\Gamma^2$ς : cremee β 8 uolesi pv : uolsci ω : Folci Ch : Folsci C *teste Dausqueio* (*v. Blass, Textesquellen 203*) 10 fastus ω : fasces $L^2\Gamma^2$ς 18 clamant L (-āt) G 20 neu FGr2 : ne an Lγ

sic ducis affatu per inhospita litora pulsi
conuerso Tyrios petierunt remige patres.
  Hic alto Poenus fundentem uela carinam 25
incessens dextra: 'nostrum, pro Iuppiter!' inquit
'nostrum ferre caput parat illa per aequora puppis.
heu caecae mentes tumefactaque corda secundis!
armatum Hannibalem poenae petit impia tellus!
ne deposce, adero; dabitur tibi copia nostri 30
ante exspectatum, portisque focisque timebis,
quae nunc externos defendis, Roma, penates.
Tarpeios iterum scopulos praeruptaque saxa
scandatis licet et celsam migretis in arcem,
nullo iam capti uitam pensabitis auro'. 35
  Incensi dictis animi, et furor additus armis.
conditur extemplo telorum nubibus aether,
et densa resonant saxorum grandine turres.
ardor agit, prouecta queat dum cernere muros,
inque oculis profugae Martem exercere carinae. 40
ipse autem incensas promissa piacula turmas
flagitat insignis nudato uulnere ductor
ac repetens questus furibundo personat ore:
'poscimur, o socii, Fabiusque e puppe catenas
ostentat, dominique uocat nos ira senatus. 45
si taedet coepti culpandaue mouimus arma,
Ausoniam ponto propere reuocate carinam;
nil moror; en uincta lacerandum tradite dextra.
nam cur Eoi deductus origine Beli
tot Libyae populis, tot circumfusus Hiberis 50
seruitium perferre negem? Rhoeteius immo

26 *ins.* Cc *Em. 2, 4* Cm *Ep. 76 eiecto versu spurio* : *deest* ω 43 ac β : at α 45 dominique αG (dñique) $\Gamma^2$ : dnnique O : durique G *m.2 marg.* : demumque V : domumque Γ : dominumque V *marg.* 46 si te taedet δ (*corr. in* Γ) 48 en uincta $L^2\Gamma^2$ς : en uicta ω : euincta Ch 51 rh(o)eteius ας : roheteius β

aeternum imperitet populus saeclisque propaget
regna ferox; nos iussa uirum nutusque tremamus'.
effundunt gemitus atque omina tristia uertunt
in stirpem Aeneadum ac stimulant clamoribus iras. 55
Discinctos inter Libyas populosque bilingues
Marmaricis audax in bella Oenotria signis
uenerat Asbyte, proles Garamantis Hiarbae.
Hammone hic genitus Phorcynidos antra Medusae
Cinyphiumque Macen et iniquo e sole calentes 60
Battiadas late imperio sceptrisque regebat.
cui patrius Nasamon aeternumque arida Barce,
cui nemora Autololum atque infidae litora Syrtis
parebant nullaque leuis Gaetulus habena.
atque is fundarat thalamos Tritonide nympha, 65
unde genus proauumque Iouem regina ferebat
et sua fatidico repetebat nomina luco.
haec ignara uiri uacuoque adsueta cubili
uenatu et siluis primos defenderat annos;
non calathis mollita manus operataue fuso 70
Dictynnam et saltus et anhelum impellere planta
cornipedem ac strauisse feras immitis amabat,
quales Threiciae Rhodopen Pangaeaque lustrant

52 aeternum imperitet $\Lambda^2$ *Heinsius* : aèternum imperet et ω : imperet aeternum et Γς populus *Bauer (2 p. VI)* : -is ω s(a)eclisque F *m. 2 marg.* GV$\Gamma^2$$O^2$Cm *Ep. 76* : seculisque O : sedisque LP *edd. vett.* : edisque F 53 regna αCh (C *teste Dausqueio*) : segna β : signa Γς 56 libyas $F^2$LGCh : libras F : libytas V : libies O : libycos Γς 58 asbyte $F^2$L (-i-) ς : asbt'te FV : absterte G : als terte O : hasbite Γ *edd. vett.* 59 phorcynidos F$\Gamma^2$ς : -cynidas (-ini-) Lβ : -cinidis O 60 ciurphiumque GV 62 patiens *van Veen coll. Lucan. 9, 439, sed* patrius *cum acumine dictum, quia Nasamones ab Hammone nominati sunt* nasamon $\Gamma^2$$O^2$ς : nasancom F : nasanan Lβ 63 autololum F$\Gamma^2$v : auta- Lβ : autoloum Γ : (a)et(h)olum ς syrtis $\Gamma^2$ς : -es ω 70 mollita F$L^2$r2 : molita Lβ 71 dictynnam $F^2$$L^2$ς : dictrimam ω : doctrinam ΓO

saxosis nemora alta iugis cursuque fatigant
Hebrum innupta manus; spreti Ciconesque Getaeque 75
et Rhesi domus et lunatis Bistones armis.
Ergo habitu insignis patrio, religata fluentem
Hesperidum crinem dono dextrumque feroci
nuda latus Marti ac fulgentem tegmine laeuam
Thermodontiaca munita in proelia pelta 80
fumantem rapidis quatiebat cursibus axem.
pars comitum biiugo curru, pars cetera dorso
fertur equi; nec non Veneris iam foedera passae
reginam cingunt, sed uirgine densior ala est.
ipsa autem gregibus per longa mapalia lectos 85
ante aciem ostentabat equos tumuloque propinquo,
dum sequitur gyris campum, uibrata per auras
spicula contorquens summa ponebat in arce.
Hanc hasta totiens intrantem moenia Mopsus
non tulit et celsis senior Gortynia muris 90
tela sonante fugat neruo liquidasque per auras
derigit aligero letalia uulnera ferro.
Cres erat, aerisonis Curetum aduectus ab antris,
Dictaeos agitare puer leuioribus annis
pennata saltus adsuetus harundine Mopsus. 95
ille uagam caelo demisit saepe uolucrem,
ille procul campo linquentem retia ceruum
uulnere sistebat, rueretque inopina sub ictu
ante fera incauto, quam sibila poneret arcus.

75 Haemum *Burmann* : Eurum *Ruperti, sed cf. Verg. Aen. 1, 317* 78 dono crinem Ch (*errore ut puto*) nodo *D. Heinsius* 79 fulgenti $\Gamma^2$ς laeuam $\Lambda^2$Ch : l(a)euum ω 86 propinqua *Bauer, sed* tumulo *dativus est, cf. e.g. 14, 305 et v. Lindblom 123* 89 hasta αp : -am β 90 gort- α$G^2\Gamma^2$ς : gart- β 92 derigit ω *cf. Thes. 5, 1, 1233, 16* : di- $L^2\Gamma^2O^2$ς : deligit Ch (*errore typogr. ut puto*) 94 melioribus *Bentley, sed cf. e.g. Liv. 9, 3, 5 et Hor. sat. 1, 1, 4* armis *Gronovius, Summers, sed M. nunc isdem armis utitur quibus puer*

nec se tum pharetra iactauit iustius ulla, 100
Eois quamquam certet Gortyna sagittis.
uerum ut opum leuior uenatu extendere uitam
abnuit atque artae res exegere per aequor,
coniuge cum Meroe natisque inglorius hospes
intrarat miseram fato ducente Saguntum. 105
coryti fratrum ex umeris calamique paterni
pendebant uolucerque chalybs, Minoia tela.
hic medius iuuenum Massylae gentis in agmen
crebra Cydoneo fundebat spicula cornu.
iam Garamum audacemque Thyrum pariterque ruentes 110
Gisconem laeuumque Bagam indignumque sagittae,
impubem malas, tam certae occurrere Lixum
fuderat et plena tractabat bella pharetra.
tum uultum intendens telumque in uirginis ora
desertum non grata Iouem per uota uocabat. 115
namque ut fatiferos conuerti prospicit arcus,
opposito procul insidiis Nasamonias Harpe
corpore praeripuit letum calamumque uolantem,
dum clamat, patulo excipiens tramisit hiatu,
et primae ferrum a tergo uidere sorores. 120
at comitis casu frendens labentia uirgo
membra leuat paruaque oculos iam luce natantes
irrorat lacrimis totisque annisa doloris
uiribus intorquet letalem in moenia cornum.
illa uolans umerum rapido transuerberat ictu 125
conantis Dorylae iunctis iam cornibus arcus
et ducti spatium nerui complente sagitta

**103** ar(c)t(a)e F$L^2\Gamma^2$ς : arc(c)ie Lβ (uarccie O) **111** gisconem FG : gisg- Lδ : grisogonem O laeuumque ω *i. ad laevam Gisconis agentem* : leuemque *edd. a* v **112** malas $F^2$Lr1 : -am F : -a β **117** nasamonias $L^2Q^2$YBr1pCh : -ius ω (-is $GO^2$) : -ia (sarpe) r2v **121** at QYJ *edd. vett.* : et ω casu frendens ω : -um f. BXZ *edd. vett.* : f. -u Ch (*manifesto Heinsii errore dum* -um *corrigere vult*) **127** et ducti ω : educti $\Gamma^2$ς Cm *Ep.* 76

excutere in uentos resoluto pollice ferrum.
tum subitum in uulnus praeceps deuoluitur altis
aggeribus muri, iuxtaque cadentia membra 130
effusi uersa calami fluxere pharetra.
exclamat paribus frater uicinus in armis
Icarus ulciscique parat lacrimabile fatum.
atque illum raptim promentem in proelia telum
Hannibal excussi praeuertit turbine saxi. 135
labuntur gelido torpentia frigore membra,
deficiensque manus pharetrae sua tela remisit.
at pater in gemino natorum funere Mopsus
correptos arcus ter maesta mouit ab ira,
ter cecidit dextra, et notas dolor abstulit artes. 140
paenitet heu sero dulces liquisse penates,
arreptoque auide, quo concidis, Icare, saxo,
postquam aeuum senior percussaque pectora frustra
sentit et, ut tantos compescat morte dolores,
nil opis in dextra, uastae se culmine turris 145
praecipitem iacit et delapsus pondere prono
membra super nati moribundos explicat artus.
Dum cadit externo Gortynius aduena bello,
iam noua molitus stimulato milite Theron,
Alcidae templi custos araeque sacerdos, 150
non exspectatum Tyriis effuderat agmen
et fera miscebat reserata proelia porta.
atque illi non hasta manu, non uertice cassis,
sed fisus latis umeris et mole iuuentae
agmina uastabat claua nihil indigus ensis. 155
exuuiae capiti impositae tegimenque leonis
terribilem attollunt excelso uertice rictum.
centum angues idem Lernaeaque monstra gerebat
in clipeo et sectis geminam serpentibus hydram.

**132** exclamat $\Gamma^2R^2Qr1$ : et c. ω **135** peruertit δ (-uor- V) **140** et *om.* δ (*corr. in* Γ) ς notas $F^2L^2\Gamma^2$ς : noctis ω **151** effuderat $F^2$β : -und- α

ille Iubam Thapsumque patrem clarumque Micipsam 160
nomine aui Maurumque Sacen a moenibus actos
palantesque fuga praeceps ad litora cursu
egerat, atque una spumabant aequora dextra.
nec contentus Idi leto letoque Cothonis
Marmaridae nec caede Rothi nec caede Iugurthae 165
Asbytes currum et radiantis tegmina laeuae
poscebat uotis gemmataque lumina peltae
atque in belligera uersabat uirgine mentem.
quem ruere ut telo uidit regina cruento,
obliquos detorquet equos laeuumque per orbem 170
fallaci gyro campum secat ac uelut ales
auerso rapitur sinuata per aequora curru.
dumque ea se ex oculis aufert atque ocior Euro
incita puluerеam campo trahit ungula nubem,
aduersum late stridens rota proterit agmen, 175
ingerit et crebras uirgo trepidantibus hastas.
hic cecidere Lycus Thamyrisque et nobile nomen
Eurydamas, clari deductum stirpe parentis,
qui thalamos ausus quondam sperare superbos
(heu demens!) Ithacique torum; sed enim arte pudica 180
fallacis totiens reuoluto stamine telae
deceptus mersum pelago iactarat Vlixen.
ast Ithacus uero ficta pro morte loquacem
affecit leto, taedaeque ad funera uersae.
gens extrema uiri campis deletur Hiberis 185

160 Thapsumque *Drakenborch, cf. Neumann 21* : ta- ω **164** idi Pr1 : hidi ς : hydi ω (*corr. in* hydri F) cothonis Γr1 : coch- ω **165** marmarid(a)e ας : -cid(a)e β **166** curru O tegmina $\Gamma^2$ς : -e ω l(a)eu(a)e Ov *cf. 79* : l(a)en(a)e ω **167** gemmataque $R^2$Qv : gemin- ω **170** obliquos $L^2\Gamma^2$ς : -itos ω **171** captum δ **178** Eurymachus *Heinsius coll. Hom. Od. 2, 177, sed error potius poetae est* **182** iactarat $\Gamma^2O^2$ς : la- ω ulixen L : -m Fβ **183** ficta α$\Gamma^2$ς : -am β

Eurydamas Nomados dextra; superinstrepit ater
et seruat cursum perfractis ossibus axis.
Iamque aderat remeans uirgo, inter proelia postquam
distringi Therona uidet, saeuamque bipennem
perlibrans mediae fronti spolium inde superbum 190
Herculeasque tibi exuuias, Dictynna, uouebat.
nec segnis Theron tantae spe laudis in ipsos
aduersus consurgit equos uillosaque fului
ingerit obiectans trepidantibus ora leonis.
attoniti terrore nouo rictuque minaci 195
quadrupedes iactant resupino pondere currum.
tum saltu Asbyten conantem linquere pugnas
occupat incussa gemina inter tempora claua
feruentesque rotas turbataque frena pauore
disiecto spargit collisa per ossa cerebro 200
ac rapta properans caedem ostentare bipenni
amputat e curru reuolutae uirginis ora.
necdum irae positae. celsa nam figitur hasta
spectandum caput; id gestent ante agmina Poenum
imperat et propere currus ad moenia uertant. 205
haec caecus fati diuumque abeunte fauore
uicino Theron edebat proelia leto.
namque aderat toto ore ferens iramque minasque
Hannibal et caesam Asbyten fixique tropaeum
infandum capitis furiata mente dolebat. 210
ac simul aerati radiauit luminis umbo
et concussa procul membris uelocibus arma

**186** Nomades Ch *mire* ater $F^2L^2\beta$ : acer $\alpha$Jr1 *fort. recte* **191** dictynna (-tin-) $F^2L^2\Gamma^2O^2\varsigma$ : dictrima $\beta$ : doctrima $\delta$ **193** aduersus $L\Gamma^2O\varsigma$ : au- $F\beta$ consurgit $\alpha\Gamma^2\varsigma$ : -at $\beta$ **200** spargit $\omega$Ch : -sit Q *edd. a* v **201** ac $F^2LOCh$ (*sed etiam Livineius*) : at $F\beta$ **203** necdum $\alpha\delta$ : nedum $\beta$ **205** imperat $F^2L^2\Gamma^2\varsigma$ : tem- $\omega$ **206** h(a)ec $F^2L^2\gamma$ : nec $\omega$ **208** iramque $\omega$Ch : irasque $L^2\varsigma$ **211** tegminis *van Veen, sed cf. 167*

letiferum intonuere, fugam perculsa repente
ad muros trepido conuertunt agmina cursu,
sicut agit leuibus per sera crepuscula pennis 215
e pastu uolucres ad nota cubilia uesper
aut, ubi Cecropius formidine nubis aquosae
sparsa super flores examina tollit Hymettos,
ad dulces ceras et odori corticis antra
mellis apes grauidae properant densoque uolatu 220
raucum conexae glomerant ad limina murmur.
praecipitat metus attonitos, caecique feruntur.
heu blandum caeli lumen! tantone cauetur
mors reditura metu nascentique addita fata?
consilium damnant portaque atque aggere tuto 225
erupisse gemunt. retinet uix agmina Theron
interdumque manu, interdum clamore minisque:
'state, uiri; meus ille hostis; mihi gloria magnae,
state, uenit pugnae. muro tectisque Sagunti
hac abigam Poenos dextra; spectacula tanta 230
ferte, uiri; uel si cunctos metus acer in urbem
(heu deforme!) rapit, soli mihi claudite portas'.
At Poenus rapido praeceps ad moenia cursu,
dum pauitant trepidi rerum fessique salutis,
tendebat. stat primam urbem murosque patentes 235
postposita caede et dilata inuadere pugna.
id postquam Herculeae custos uidet impiger arae,
emicat et uelox formidine praeuenit hostem.

213 percussa $\Gamma^2$ ς 216 et p. O 219 ad α$\Gamma^2$ς : at β 221 con(n)ex(a)e FOBQv : conu- $F^2$Lβ 225 consilium damnant $F^2$Lr2Cm *Ep. 76* : c. clamant Fβ : auxilium clamant Γ *marg.* ς portaque ω : portis *edd. a* j : portisque Cm *edd. recc., sed Modius* que *inseruisse, lectionem vulgatam* portis *neglexisse videtur* 230 tantum W *marg. edd. a* pCh (*perperam e silentio ut puto, cf. 11, 322*) 231 ferte $F^2$Ch : feste F : este β 233 praeceps rapido GV 236 proposita O 237 aras Ch *unde* arcis *Heinsius*

gliscit Elissaeo uiolentior ira tyranno:
'tu solue interea nobis, bone ianitor urbis, 240
supplicium, ut pandas' inquit 'tua moenia leto'.
nec plura effari sinit ira, rotatque coruscum
mucronem; sed contortum prior impete uasto
Daunius huic robur iuuenis iacit. arma fragore
icta graui raucum gemuere, alteque resultant 245
aere illisa cauo nodosae pondera clauae.
at uiduus teli et frustrato proditus ictu
pernici uelox cursu rapit incita membra
et celeri fugiens perlustrat moenia planta.
instat atrox terga increpitans fugientia uictor. 250
conclamant matres, celsoque e culmine muri
lamentis uox mixta sonat; nunc nomine noto
appellant, seras fesso nunc pandere portas
posse uolunt. quatit hortantum praecordia terror,
ne simul accipiant ingentem moenibus hostem. 255
incutit umbonem fesso adsultatque ruenti
Poenus et ostentans spectantem e moenibus urbem
'i, miseram Asbyten leto solare propinquo' –
haec dicens iugulo optantis dimittere uitam
infestum condit mucronem ac regia laetus 260
quadrupedes spolia abreptos a moenibus ipsis,
quis aditum portae trepidantum saepserat agmen,
uictor agit curruque uolat per ouantia castra.
At Nomadum furibunda cohors miserabile humandi
deproperat munus tumulique adiungit honorem 265
et rapto cineres ter circum corpore lustrat.
hinc letale uiri robur tegimenque tremendum
in flammas iaciunt ambustoque ore genisque
deforme alitibus liquere cadauer Hiberis.

241 et LJ  246 pondera $L^2 \Gamma^2 O^2$ ς : -e ω  247 et ωCh : *om.* ς *edd. vett.*  256 adsultatque $\alpha \Gamma^2 O^2$ : -taque β  257 obtestans ς *edd. vett.*  266 lustrant $\Gamma^2$ς  267 hinc O : huic ω  tegimenque $F^2$L : tegm- β *ut semper fere*

Poenorum interea quis rerum summa potestas, 270
consultant bello super et quae dicta ferantur
Ausoniae populis, oratorumque minaci
aduentu trepidant. mouet hinc foedusque fidesque
et testes superi iurataque pacta parentum,
hinc popularis amor coeptantis magna iuuentae, 275
et sperare iuuat belli meliora. sed olim
ductorem infestans odiis gentilibus Hannon
sic adeo increpitat studia incautumque fauorem:
'cuncta quidem, patres, (neque enim cohibere minantum
irae se ualuere) premunt formidine uocem. 280
haud tamen abstiterim. mortem licet arma propinquent,
testabor superos et caelo uota relinquam,
quae postrema salus rerum patriaeque reposcit.
nec nunc obsessa demum et fumante Sagunto
haec serus uates Hannon canit. anxia rupi 285
pectora; ne castris innutriretur et armis
exitiale caput, monui et, dum uita, monebo
ingenitum noscens uirus flatusque paternos,
ut, qui stelligero speculatur sidera caelo,
uenturam pelagi rabiem Caurique futura 290
praedicit miseris haud uanus flamina nautis.
consedit solio rerumque inuasit habenas;
ergo armis foedus fasque omne abrumpitur armis,
oppida quassantur, longeque in moenia nostra
Aeneadum arrectae mentes, disiectaque pax est. 295
exagitant manes iuuenem furiaeque paternae
ac funesta sacra et conuersi foedere rupto
in caput infidum superi Massylaque uates.

**272** a populis Ch, *sed sensus est 'quid Romanis respondendum sit'* **275** c(o)eptantis ωCh : cap- $L^2$δς **276** bello *vel* bellis *Burmann, sed cf. Stat. Theb. 4, 592* **281** *sic dist. Postgate 1902* **282** uota $F^2$Lγ : n- FG *Livineius, edd. recc.* **289** stellifero Γς **290** c(h)aurique $F^2L^2O^2$Γς : t(h)- ω **292** consedit O r1 : -cedit ω : -cessit $Γ^2$ς

an nunc ille noui caecus caligine regni
externas arces quatit aut Tirynthia tecta? 300
sic propria luat hoc poena nec misceat urbis
fata suis, nunc hoc, hoc inquam, tempore muros
oppugnat, Carthago, tuos teque obsidet armis.
lauimus Aetnaeas animoso sanguine ualles
et uix conducto produximus arma Lacone. 305
nos ratibus laceris Scyllaea repleuimus antra
classibus et refluo spectauimus aequore raptis
contorta e fundo reuomentem transtra Charybdin.
respice, pro demens, pro pectus inane deorum,
Aegates Libyaeque procul fluitantia membra! 310
quo ruis et patriae exitio tibi nomina quaeris?
scilicet immensae uisis iuuenilibus armis
subsident Alpes, subsidet mole niuali
Alpibus aequatum attollens caput Apenninus.
sed campos fac, uane, dari. num gentibus istis 315
mortales animi, aut ferro flammaue fatiscunt?
haud tibi Neritia cernes cum prole laborem.
pubescit castris miles, galeaque teruntur
nondum signatae flaua lanugine malae.
nec requies aeui nota, exsanguesque merendo 320
stant prima inter signa senes letumque lacessunt.
ipse ego Romanas perfosso corpore turmas
tela intorquentes correpta e uulnere uidi,

299 an nunc Ch : annuit ω 300 aut ω : haud Ch : ut b1 301 hoc $F^{2}$LCh : hac Fβ : haec $O^{2}$ς 302 hoc hoc inquam tempore A$R^{2}$Cm *Ep. 76* (*'locus transpositione turbatus levi mutatione ita scribendus videtur'*) : h.i.h.t. ω : h.i.h.in t. Ch *et sic Modius ad Livium p. 503* 304 (a)et(h)n(a)eas ω : hennaeas Ch *cf. 1, 93* 309 clemens GVO 310 fluitantia $F^{2}$LΓς : fluct- Fβ (flutt- V) *v. ad 4, 486* 312 *ins.* Cc *Em. 2, 4* Cm *Ep. 76* Ch : *deest* ω iuuenilibus CcCm : -alibus Ch *fort. recte, cf. Verg. Aen. 2, 518; sed* armis iuuenilibus *etiam 8, 289* 315 num $L^{2}$Γς : nunc ω 316 flammaque Γς fatiscunt $F^{2}L^{2}$Γς : -esc- ω 317 aut O ibi *Ker, sed Silius eo vocabulo non utitur* 320 aeuo *Livineius*

uidi animos mortesque uirum decorisque furorem.
si bello absistis nec te uictoribus offers, 325
quantum heu, Carthago, donat tibi sanguinis Hannon!'
Gestar ad haec (namque impatiens asperque coquebat
iamdudum immites iras mediamque loquentis
bis conatus erat turbando abrumpere uocem)
'concilione' inquit 'Libyae Tyrioque senatu, 330
pro superi, Ausonius miles sedet? armaque tantum
hauddum sumpta uiro? nam cetera non latet hostis.
nunc geminas Alpes Apenninumque minatur,
nunc freta Sicaniae et Scyllaei litoris undas.
nec procul est, quin iam manes umbrasque pauescat 335
Dardanias; tanta accumulat praeconia leto
uulneribusque uirum ac tollit sub sidera gentem.
mortalem, mihi crede, licet formidine turpi
frigida corda premant, mortalem sumimus hostem.
uidi ego, cum geminas artis post terga catenis 340
euinctus palmas uulgo traheretur ouante
carceris in tenebras spes et fiducia gentis
Regulus Hectoreae; uidi, cum robore pendens
Hesperiam cruce sublimis spectaret ab alta.
nec uero terrent puerilia protinus ora 345
sub galea et pressae properata casside malae.
indole non adeo segni sumus. adspice, turmae
quot Libycae certant annos anteire labore
et nudis bellantur equis. ipse, adspice, ductor,
cum primam tenero uocem proferret ab ore, 350
iam bella et lituos ac flammis urere gentem

325 absistis *edd. a* r1 *cf. Liv. 21, 6, 8* si non absisteretur bello : ob- ω 330 concilione Γς : concilion ω : consilio en O 333 minatur αΓ[2]ς : -aci β (-ati O) : -atus O[2] 337 ac tollit ωCh : att- F[2]L : tollitque Γ[2]ς sub αCh : ad β 339 premant ω *cf. 280; Verg. Aen. 10, 375* : tr- L[2] *edd. a* r1 : premat *Summers, sed poeta hanc synesin numeri adamat* 341 euinctus αCh : succinctus β 344 spectabat Γς 348 quod O

iurabat Phrygiam atque animo patria arma mouebat.
proinde polo crescant Alpes, astrisque coruscos
Apenninus agat scopulos, per saxa niuesque
(dicam etenim, ut stimulent atram uel inania mentem), 355
per caelum est qui pandat iter. pudet Hercule tritas
desperare uias laudemque timere secundam.
sed Libyae clades et primi incendia belli
aggerat atque iterum pro libertate labores
Hannon ferre uetat. ponat formidinis aestus 360
parietibusque domus imbellis femina seruet
singultantem animam; nos, nos contra ibimus hostem,
quis procul a Tyria dominos depellere Byrsa
uel Ioue non aequo fixum est. sin fata repugnant,
et iam damnata cessit Carthagine Mauors, 365
occumbam potius nec te, patria inclita dudum,
aeternum famulam liberque Acheronta uidebo.
nam quae, pro superi, Fabius iubet! "ocius arma
exuite et capta descendite ab arce Sagunti.
tum delecta manus scutorum incendat aceruos, 370
uranturque rates, ac toto absistite ponto."
di, procul o, merita est numquam si talia plecti
Carthago, prohibete nefas nostrique solutas
ductoris seruate manus!' ut deinde resedit,

*post 352 propter corruptelam versus sequentis interpolatum est, a Pomponio ut videtur,* ultor erit caedis iam te spectante propinquae BQZHJL*marg.* (*manu Bartholomaei Fontii*) *edd. a* r1 : *eiecerunt* Cc *Em. 2, 4* Cm *Ep. 76* **353** proinde polo F (-in- *ex corr.*) r2v : propinqu(a)eque polo β (propinque popolo V, *add.* que *marg.*) : satque que polo L (satque *in ras.*) : satque polo BQZJr1 astrisque ωCm : astusque δ : altusque Γ² ς **356** tantas δς **366** dudum ω *cf. Stat. Theb. 5, 684* : dedam Cm *Ep. 81* (*'manifeste scribendum'*) : ductam *Chory, cf. e.g. Sen. apoc. 11, 3* seruum me ducat **369** discedite O **374** ut ωCm : *om.* v : tum j

factaque censendi patrum de more potestas, 375
hic Hannon reddi propere certamine rapta
instat et auctorem uiolati foederis addit.
tum uero attoniti, ceu templo irrumperet hostis,
exsiluere patres Latioque id uerteret omen
orauere deum. at postquam discordia sensit 380
pectora et infidas ad Martem uergere mentes,
non ultra patiens Fabius rexisse dolorem
concilium propere exposcit patribusque uocatis
bellum se gestare sinu pacemque profatus,
quid sedeat, legere ambiguis neu fallere dictis 385
imperat ac, saeuo neutrum renuente senatu,
ceu clausas acies gremioque effunderet arma,
'accipite infaustum Libyae euentumque priori
par' inquit 'bellum' – et laxos effundit amictus.
tum patrias repetit pugnandi nuntius arces. 390
Atque ea dum profugae regnis agitantur Elissae,
accisis uelox populis, quis aegra lababat
ambiguo sub Marte fides, praedaque grauatus
ad muros Poenus reuocauerat arma Sagunti.
ecce autem clipeum saeuo fulgore micantem 395
Oceani gentes ductori dona ferebant,
Callaicae telluris opus, galeamque coruscis
subnixam cristis, uibrant cui uertice coni
albentis niueae tremulo nutamine pennae,
ensem, unam ac multis fatalem milibus hastam. 400

375–377 *Modii testimonio deerant in* C, *fortasse propter* (rese)-dit – (ad)dit, *del. Thilo, Bauer, def. Summers* 380 at $\Gamma^2$ς : ac ω sensit ωCh : -tit δς 382 rexisse ωCh : t- OJ *edd. a* j 383 consilium O exposcit propere Γς 388 euentumque ω *cf. 638* : -uque $L^2$Jr1 389 effudit $F^2$ B *edd. a* v 392 accisis *Barth, cf. 8, 588* : -tis ω (-tus G) : attritis $\Gamma^2$ς quibus $\Gamma^2$ς 398 subnexam *Bauer, sed cf. Ov. met. 6, 715 et Bömer ad l.* 399 albentis ωCh : -i $\Gamma^2$ς : -es *edd. vett.* *post 399 versum excidisse suspicor* 400 unam αr2Ch : -um β

praeterea textam nodis auroque trilicem
loricam et nulli tegimen penetrabile telo.
haec aere et duri chalybis perfecta metallo
atque opibus perfusa Tagi per singula laetis
lustrat ouans oculis †gaudetque origine regni†: 405
Condebat primae Dido Carthaginis arces,
instabatque operi subducta classe iuuentus.
molibus hi claudunt portus, his tecta domosque
partiris, iustae Bitia uenerande senectae.
ostentant caput effossa tellure repertum 410
bellatoris equi atque omen clamore salutant.
has inter species orbatum classe suisque
Aenean pulsum pelago dextraque precantem
cernere erat. fronte hunc auide regina serena
infelix ac iam uultu spectabat amico. 415
hinc et speluncam furtiuaque foedera amantum
Callaicae fecere manus; it clamor ad auras
latratusque canum, subitoque exterrita nimbo
occultant alae uenantum corpora siluis.
nec procul Aeneadum uacuo iam litore classis 420
aequora nequiquam reuocante operibat Elissa.
ipsa pyram super ingentem stans saucia Dido
mandabat Tyriis ultricia bella futuris,
ardentemque rogum media spectabat ab unda
Dardanus et magnis pandebat carbasa fatis. 425
parte alia supplex infernis Hannibal aris
arcanum Stygia libat cum uate cruorem
et primo bella Aeneadum iurabat ab aeuo.
at senior Siculis exsultat Hamilcar in aruis;

**401** texam Ch **402** loricam nulli Ch *edd. recc.* **405** gaudetque αΓ : gaudetque et GVO : gaudetque in $L^2$ς : et gaudet Ch : *post* gaudetque *aliquid excidisse suspicor* (*1983, 219*) **409** partiris $F^2$L$Γ^2$ς : -tis F : pauciris β uenerande αr1 : -a $F^2$β **421** operibat *Heinsius*, *v. Håkanson* : peribat F : pr(a)eibat $F^2$Lβ : petebat *edd. a* r2 **429** at GΓς : ac αVO aruis F$V^2$Γς : armis Lβ

spirantem credas certamina anhela mouere; 430
ardor inest oculis, toruumque minatur imago.
  Necnon et laeuum clipei latus aspera signis
implebat Spartana cohors; hanc ducit ouantem
Ledaeis ueniens uictor Xanthippus Amyclis.
iuxta, triste decus, pendet sub imagine poenae 435
Regulus et fidei dat magna exempla Sagunto.
laetior at circa facies, agitata ferarum
agmina uenatu et caelata mapalia fulgent.
nec procul usta cutem nigri soror horrida Mauri
adsuetas mulcet patrio sermone leaenas. 440
it liber campi pastor, cui fine sine ullo
inuetitum saltus penetrat pecus; omnia Poenum
armenti uigilem patrio de more sequuntur:
gaesaque latratorque Cydon tectumque focique
in silicis uenis et fistula nota iuuencis. 445
eminet excelso consurgens colle Saguntos,
quam circa immensi populi condensaque cingunt
agmina certantum pulsantque trementibus hastis.
extrema clipei stagnabat Hiberus in ora
curuatis claudens ingentem flexibus orbem. 450
Hannibal abrupto transgressus foedere ripas
Poenorum populos Romana in bella uocabat.
tali sublimis dono noua tegmina latis
aptat concutiens umeris celsusque profatur:
'heu quantum Ausonio sudabitis, arma, cruore! 455
quas, belli iudex, poenas mihi, Curia, pendes!'
  Iamque senescebat uallatus moenibus hostis,

434 xant(h)ippus $F^2LG^2V\Gamma$ : exant(h)ippus FGO 435 pendit *Summers 1899, 298 sq., Kissel 188 n. 80, sed v. Henry 3, 510* 436 sagunto $\Gamma^2O^2\varsigma$ : -os ω 437 at $\Gamma^2\varsigma$ : ac ω 438 uenatu FGOv : -atū V : -ātū LΓ : -antum ς 440 patrio mulcet Γς 441 campi ωCm *Ep. 81* : -is Γς 444 g(a)esaque Lς : c- Fβ que *alterum om.* O tectique O 445 uiuentis Or1v : iumentis *edd. a* b1 447 circa ω : -um Γς 456 iudex ω : uin- $L^2\Gamma\varsigma$ 457 uallatus αCm *Ep. 81* : -tis β

carpebatque dies urbem, dum signa manusque
exspectant fessi socias. tandem aequore uano
auertunt oculos frustrataque litora ponunt 460
et propius suprema uident. sedet acta medullis
iamdudum atque inopes penitus coquit intima pestis.
est furtim lento misere durantia tabo
uiscera et exurit siccatas sanguine uenas
per longum celata fames. iam lumina retro 465
exesis fugere genis, iam lurida sola
tecta cute et uenis male iuncta trementibus ossa
exstant consumptis uisu deformia membris.
umentis rores noctis terramque madentem
solamen fecere mali cassoque labore 470
e sicco frustra presserunt robore sucos.
nil temerare piget; rabidi ieiunia uentris
insolitis adigunt uesci, resolutaque nudos
linquentes clipeos armorum tegmina mandunt.
Desuper haec caelo spectans Tirynthius alto 475
illacrimat fractae nequiquam casibus urbis.
namque metus magnique tenent praecepta parentis,
ne saeuae tendat contra decreta nouercae.
sic igitur coepta occultans ad limina sanctae
contendit Fidei secretaque pectora temptat. 480
arcanis dea laeta polo tum forte remoto
caelicolum magnas uoluebat conscia curas.
quam tali alloquitur Nemeae pacator honore:
'ante Iouem generata, decus diuumque hominumque,
qua sine non tellus pacem, non aequora norunt, 485
iustitiae consors tacitumque in pectore numen,

462 inops L (*corr.*) O 463 et OBQr1 misere αCh : -ris β 466 genis αΓ$O^2$ς : u- β 469 (h)umentis LΓOς : uiu- FGV 471 e sicco α$Γ^2$$O^2$ : e succo β : et sicco Γς 472 rabidi α$Γ^2$ς : rap- β 483 tali ωCc *Em. 2, 4* Cm *Ep. 83* : tamen Γς neme(a)e $F^2$$O^2$CcCm : nemae F : nenie O : ueni(a)e Lβ

exitiumne tuae durum spectare Sagunti
et tot pendentem pro te, dea, cernere poenas
urbem lenta potes? moritur tibi uulgus, et unam
te matres uincente fame, te maesta uirorum 490
ora uocant, primaque sonant te uoce minores.
fer caelo auxilium et fessis da surgere rebus'.
Haec satus Alcmena; contra cui talia uirgo:
'cerno equidem nec pro nihilo est mihi foedera rumpi,
statque dies ausis olim tam tristibus ultor. 495
sed me pollutas properantem linquere terras
sedibus his tectisque Iouis succedere adegit
fecundum in fraudes hominum genus; impia liqui
et, quantum terrent, tantum metuentia regna
ac furias auri nec uilia praemia fraudum 500
et super haec ritu horrificos ac more ferarum
uiuentes rapto populos luxuque solutum
omne decus multaque oppressum nocte pudorem.
uis colitur, iurisque locum sibi uindicat ensis,
et probris cessit uirtus. en, adspice gentes: 505
nemo insons; pacem seruant commercia culpae.
sed si cura tua fundata ut moenia dextra
dignum te seruent memorando fine uigorem
dedita nec fessi tramittant corpora Poeno,
quod solum nunc fata sinunt seriesque futuri, 510
extendam leti decus atque in saecula mittam
ipsaque laudatas ad manes prosequar umbras'.
Inde seuera leui decurrens aethere uirgo
luctantem fatis petit inflammata Saguntum.
inuadit mentes et pectora nota pererrat 515
immittitque animis numen. tum fusa medullis
implicat atque sui flagrantem inspirat amorem.

**487** durum F : diuum G : dirum Lγ **489** una Γς **497** iouis αr2v : n- β **500** ac α *Drakenborch tacite* : et β **507** si cura *Heinsius* : secura ω **513** leui Cm *Ep. 83* : loui F : ioui Lβ

arma uolunt temptantque aegros ad proelia nisus.
insperatus adest uigor, interiusque recursat
dulcis honor diuae et sacrum pro uirgine letum. 520
it tacitus fessis per ouantia pectora sensus
uel leto grauiora pati saeuasque ferarum
attemptare dapes et mensis addere crimen.
sed prohibet culpa pollutam extendere lucem
casta fides paribusque famem compescere membris. 525
Quam simul inuisae gentis conspexit in arce,
forte ferens sese Libycis Saturnia castris,
uirgineum increpitat miscentem bella furorem
atque ira turbata gradum ciet ocius atram
Tisiphonen imos agitantem uerbere manes 530
et palmam tendens 'hos' inquit 'noctis alumna,
hos muros impelle manu populumque ferocem
dextris sterne suis. Iuno iubet. ipsa propinqua
ęffectus studiumque tuum de nube uidebo.
illa deos summumque Iouem turbantia tela, 535
quis Acheronta moues, flammam immanesque chelydros
stridoremque tuum, quo territa comprimit ora
Cerberus, ac mixto quae spumant felle uenena
et quicquid scelerum, poenarum quicquid et irae
pectore fecundo coquitur tibi, congere praeceps 540
in Rutulos totamque Erebo demitte Saguntum.
hac mercede Fides constet delapsa per auras'.
Sic uoce instimulans dextra dea concita saeuam
Eumenida incussit muris, tremuitque repente
mons circum, et grauior sonuit per litora fluctus. 545

**521** it αYCh : et β **526** conspexit αR²Ch : in- β : pro- Γ²ς **529** ira turbata gradum αb2 : ita t. gladium β : ita t. gradum ςr2v : ita perturbata g. BΓ²r1mp **530** tisi- r2 : t(h)esi- ω **531** palmam FAXZ *ut coni. Lefebvre* : -as F²β **533** suis αCc *Em. 2, 4* Cm *Ep. 41* : t- β **534–537** de nube – quo territa *ins.* CcCm : tuum quo comprimit ora ω **541** dimitte GΓ (*corr.*)

sibilat insurgens capiti et turgentia circa
multus colla micat squalenti tergore serpens.
Mors graditur uasto caua pandens guttura rictu
casuroque inhiat populo; tunc Luctus et atri
pectora circumstant Planctus Maerorque Dolorque, 550
atque omnes adsunt Poenae, formaque trifauci
personat insomnis lacrimosae ianitor aulae.
protinus adsimulat faciem mutabile monstrum
Tiburnae gressumque simul sonitumque loquenti.
haec bello uacuos et saeui turbine Martis 555
lugebat thalamos Murro spoliata marito,
clara genus Daunique trahens a sanguine nomen.
cui uultus induta pares disiectaque crinem
Eumenis in medios irrumpit turbida coetus
et maestas lacerata genas 'quis terminus?' inquit 560
'sat Fidei proauisque datum. uidi ipsa cruentum,
ipsa meum uidi lacerato funere nostras
terrentem Murrum noctes et dira sonantem:
"eripe te, coniunx, miserandae casibus urbis
et fuge, si terras adimit uictoria Poeni, 565
ad manes, Tiburna, meos; cecidere penates,
occidimus Rutuli, tenet omnia Punicus ensis."
mens horret, nec adhuc oculis absistit imago.
nullane iam posthac tua tecta, Sagunte, uidebo?
felix, Murre, necis patriaque superstite felix. 570
at nos Sidoniis famulatum matribus actas
post belli casus uastique pericula ponti

**546** circa ωCc : -um *edd. a* v **547** tergore ωCc : pectore Q *edd. vett.* **548** caua pandens ωr2 Ch : p.c. BY *edd. a* r1 **550** circumstant ωCc : -dant QZ *edd. vett.* **554** loquenti ω : -is R$^2$Γ$^2$ς *Summers, sed cf. Verg. Aen. 12, 224* **557** Daunique Cc *Em. 2, 4* Cm *Ep. 83* : clarumque ω **561** sat … datum ωCm : stat … d. δ : stat … -us Γ$^2$ς **562** funere *Lefebvre, v. Håkanson* : uulnere ω **563** terrentem αΓ$^2$O$^2$ : -um β **571** at F$^2$Γ$^2$ς : ac ω (hac δ) actas F$^2$L$^2$Γ$^2$O$^2$ : -us ω

Carthago adspiciet uictrix, tandemque supremum
nocte obita Libyae gremio captiua iacebo.
sed uos, o iuuenes, uetuit quos conscia uirtus 575
posse capi, quis telum ingens contra aspera mors est,
uestris seruitio manibus subducite matres.
ardua uirtutem profert uia. pergite primi
nec facilem populis nec notam inuadere laudem'.
His ubi turbatas hortatibus impulit aures, 580
inde petit tumulum, summo quem uertice montis
Amphitryoniades spectandum ex aequore nautis
struxerat et grato cineres decorarat honore.
excitus sede, horrendum, prorumpit ab ima
caeruleus maculis auro squalentibus anguis. 585
ignea sanguinea radiabant lumina flamma,
oraque uibranti stridebant sibila lingua.
isque inter trepidos coetus mediamque per urbem
uoluitur et muris propere delabitur altis
ac similis profugo uicina ad litora tendit 590
spumantisque freti praeceps immergitur undis.
Tum uero excussae mentes, ceu prodita tecta
expulsi fugiant manes umbraeque recusent
captiuo latuisse solo. sperare saluti
pertaesum, damnantque cibos, agit addita Erinys. 595
haud grauior duris diuum inclementia rebus
quam leti perferre moras; abrumpere uitam
ocius attoniti quaerunt lucemque grauantur.

573 supremum ω : -ma *Bothe, edd. recc.* 574 nocte ωCh : morte $\Gamma^{2}$ς 577 seruitio αr1 : -um β 590 profuge F (*corr.*) δ 592 excussae mentes Cm *Ep. 81* : excussi amentes ω 594 latuisse $F^{2}L^{2}$β : lic- α : iac- Ch salutem $R^{2}$ *van Veen, Summers, sed cf. e.g. Cic. Cluent. 68* saluti desperare 595 damnantque α l *D. Heinsius* Ch : clamantque β : damnant Γ *marg.* (*sc. pro* clamant) ς : damnare g addita ΓP *recte, cf. Verg. Aen. 6, 90* : adita FV : abdita $F^{2}$LGO erinys (-is) α$\Gamma^{2}$ς : crinis β 597 perferre ω *cf. Ov. epist. 10, 82* : pro- $L^{2}\Gamma^{2}$ς

certatim structus surrectae molis ad astra
in media stetit urbe rogus; portantque trahuntque 600
longae pacis opes quaesitaque praemia dextris,
Callaico uestes distinctas matribus auro
armaque Dulichia proauis portata Zacyntho
et prisca aduectos Rutulorum ex urbe penates.
huc, quicquid superest captis, clipeosque simulque 605
infaustos iaciunt enses et condita bello
effodiunt penitus terrae gaudentque superbi
uictoris praedam flammis donare supremis.
  Quae postquam congesta uidet feralis Erinys,
lampada flammiferis tinctam Phlegethontis in undis 610
quassat et inferna superos caligine condit.
inde opus aggressi, toto quod nobile mundo
aeternum inuictis infelix gloria seruat.
princeps Tisiphone lentum indignata parentem
pressit ouans capulum cunctantemque impulit ensem 615
et dirum insonuit Stygio bis terque flagello.
inuitas maculant cognato sanguine dextras
miranturque nefas auersa mente peractum
et facto sceleri illacrimant. hic turbidus ira
et rabie cladum perpessaeque ultima uitae 620
obliquos uersat materna per ubera uisus.
hic raptam librans dilectae in colla securim
coniugis increpitat sese mediumque furorem
proiecta damnat stupefactus membra bipenni.

**601** longae Cm *Ep. 81* : -as ω (*m.2 in ras.* F) **602** distinctas α$\Gamma^2$Oς : de- β **607** penitis *Bauer, sed dativus* terrae *pendet ab* effodiunt, *cf. Verg. georg. 2, 290* terra *Dausqueius, Summers* **610** tinctam $F^2$L$\Gamma^2$P : tractam Fβ (tractam) ab undis QY *edd. a* r1 **614** tisi- Fr2 : t(h)esi- Lβ parentem ωCm *Ep. 34* : -um $L^2$ *edd. a* r1 : pauentum *Heinsius, Summers, sed* parentem *collective accipiendum* **618** auersa αGVCm *Ep. 34* : ad- ΓOς **619** facto $L^2\Gamma^2O^2$ς : fr- ωCh **623** fauorem δς

nec tamen euasisse datur; nam uerbera Erinys 625
incutit atque atros insibilat ore timores.
sic thalami fugit omnis amor, dulcesque marito
effluxere tori et subiere obliuia taedae.
ille iacit totis conisus uiribus aegrum
in flammas corpus, densum qua turbine nigro 630
exundat fumans piceus caligine uertex.
At medios inter coetus pietate sinistra,
infelix Tymbrene, furis, Poenoque parentis
dum properas auferre necem, reddentia formam
ora tuam laceras temerasque simillima membra. 635
uos etiam primo gemini cecidistis in aeuo,
Eurymedon fratrem et fratrem mentite Lycorma,
cuncta pares, dulcisque labor sua nomina natis
reddere et in uultu genetrici stare suorum.
iam fixus iugulo culpa te soluerat ensis, 640
Eurymedon, inter miserae lamenta senectae,
dumque malis turbata parens deceptaque uisis
'quo ruis? huc ferrum' clamat 'conuerte, Lycorma',
ecce simul iugulum perfoderat ense Lycormas.
sed magno 'quinam, Eurymedon, furor iste?' sonabat 645
cum planctu geminaeque notis decepta figurae
funera mutato reuocabat nomine mater,
donec transacto tremebunda per ubera ferro
tunc etiam ambiguos cecidit super inscia natos.

**626** timores ω : tu- p *Heinsius, edd. recc.* **629** connisus *Heinsius* (-x- *iam Dausqueius*) : -sum FCm *Ep. 34* : -xum Lβ **631** fumans ω : fumum $F^2$Cm (*'scribendum'*) *edd., sed verbo exundare Silius semper intransitive utitur;* densum *obiectum internum est* **632** pietate *om.* F (*lac.*) **633** Tymbrene *om.* F (*lac.*) **634** reddentia αOCm : redol- β **638** cura patri (*pro* cuncta pares) $O^2$Ξ **639** genitricis F$O^2R^2$Q stare ωCh : haerere j **645** quinam ωCm : quo nam *edd. vett.* **646** nota Ch *edd. recc., mire* **647** funera ... nomine α$\Gamma^2$Cm *Ep. 34* : -e ... -e β : -e ... -a ς : nomine ... funera *edd. a* j **649** tunc etiam ω (tunc et ΓP) Cm : cessit et *edd. a* r1

Quis diros urbis casus laudandaque monstra 650
et fidei poenas ac tristia fata piorum
imperet euoluens lacrimis? uix Punica fletu
cessassent castra ac miserescere nescius hostis.
urbs habitata diu Fidei caeloque parentem
murorum repetens ruit inter perfida gentis 655
Sidoniae tela atque immania facta suorum,
iniustis neglecta deis. furit ensis et ignis,
quique caret flamma, scelerum est locus. erigit atro
nigrantem fumo rogus alta ad sidera nubem.
ardet in excelso proceri uertice montis 660
arx intacta prius bellis (hinc Punica castra
litoraque et totam soliti spectare Saguntum),
ardent tecta deum. resplendet imagine flammae
aequor, et in tremulo uibrant incendia ponto.
Ecce inter medios caedum Tiburna furores 665
fulgenti dextram mucrone armata mariti
et laeua infelix ardentem lampada quassans
squalentemque erecta comam ac liuentia planctu
pectora nudatis ostendens saeua lacertis
ad tumulum Murri super ipsa cadauera fertur, 670
qualis, ubi inferni dirum tonat aula parentis
iraque turbatos exercet regia manes,
Allecto solium ante dei sedemque tremendam
Tartareo est operata Ioui poenasque ministrat.
arma uiri multo nuper defensa cruore 675
imponit tumulo illacrimans manesque precata,
acciperent sese, flagrantem lampada subdit.
tunc rapiens letum 'tibi ego haec' ait 'optime coniunx,

**651** ac ω : et Oς fata αr2 *Livineius* : facta β **652** temperet $F^2$Ξp *edd. a* l **656** fata r1mpCh **663** resplendet ωCc *Em. 2, 4* Cm *Ep. 34* : respondet Yr2 *edd. a* v **668** -que $L^2$Γς : *om.* ω erepta F (*corr.*) L planctu $F^2L^2Γ^2O^2$ς : -nto ω **678** haec αOς : hoc β

ad manes, en, ipsa fero'. sic ense recepto
arma super ruit et flammas inuadit hiatu. 680
Semambusta iacet nullo discrimine passim
infelix obitus permixto funere turba,
ceu stimulante fame cum uictor ouilia tandem
faucibus inuasit siccis leo, mandit hianti
ore fremens imbelle pecus, patuloque redundat 685
gutture ructatus large cruor; incubat atris
semesae stragis cumulis aut murmure anhelo
infrendens laceros inter spatiatur aceruos;
late fusa iacent pecudes custosque Molossus
pastorumque cohors stabulique gregisque magister, 690
totaque uastatis disiecta mapalia tectis.
irrumpunt uacuam Poeni tot cladibus arcem.
tum demum ad manes perfecto munere Erinys
Iunoni laudata redit magnamque superba
exsultat rapiens secum sub Tartara turbam. 695
At uos, sidereae, quas nulla aequauerit aetas,
ite, decus terrarum, animae, uenerabile uulgus,
Elysium et castas sedes decorate piorum.
cui uero non aequa dedit uictoria nomen
(audite, o gentes, neu rumpite foedera pacis 700
nec regnis postferte fidem!), uagus exul in orbe
errabit toto patriis proiectus ab oris,
tergaque uertentem trepidans Carthago uidebit.
saepe Saguntinis somnos exterritus umbris
optabit cecidisse manu, ferroque negato 705
inuictus quondam Stygias bellator ad undas
deformata feret liuenti membra ueneno.

**680** hiatu *om.* F **684** siccis α$G^2Γ^2$ς : -us β (siculus $V^2$) manditque Γ (*corr.*) ς **686** ructatus $F^2$γv : luc- F : rup- Lς : ructans G **689** fusa $Γ^2$ς : -(a)e ω **699** cui FlCh : qui L : quis $L^2$β

## SILI ITALICI
## PVNICORVM
### LIBER TERTIVS

Postquam rupta fides Tyriis et moenia castae
non aequo superum genitore euersa Sagunti,
extemplo positos finiti cardine mundi
uictor adit populos cognataque limina Gades.
nec uatum mentes agitare et praescia corda 5
cessatum super imperio. citus aequore Bostar
uela dare et rerum praenoscere fata iubetur.
prisca fides adytis longo seruatur ab aeuo,
qua sublime sedens, Cirrhaeis aemulus antris,
inter anhelantes Garamantas corniger Hammon 10
fatidico pandit uenientia saecula luco.
hinc omen coeptis et casus scire futuros
ante diem bellique uices nouisse petebat.
  Exin clauigeri ueneratus numinis aras
captiuis onerat donis, quae nuper ab arce 15
uictor fumantis rapuit semusta Sagunti.
uulgatum, nec cassa fides, ab origine fani
impositas durare trabes solasque per aeuum
condentum nouisse manus. hinc credere gaudent
consedisse deum seniumque repellere templis. 20
tum quis fas et honos adyti penetralia nosse
femineos prohibent gressus ac limine curant

**14** clauigeri $\Delta^2$ b1 *et marg. exemplarium r2 Stamp. Ross. 1446 v1 Vat. Inc. II 427, emendatio ut puto Calderini* : corni- ω Cm *Ep. 34, sed de testimonio licet dubitare* (*'plane legendum reponendumque uideri'*) **16** semusta α : semi- β **19** hinc ωCh : hic r1 m j **21** quis $\Gamma^2 O^2$ ς : qui ω

saetigeros arcere sues. nec discolor ulli
ante aras cultus; uelantur corpora lino,
et Pelusiaco praefulget stamine uertex. 25
discinctis mos tura dare atque e lege parentum
sacrificam lato uestem distinguere clauo.
pes nudus tonsaeque comae castumque cubile.
irrestincta focis seruant altaria flammae.
sed nulla effigies simulacraue nota deorum 30
maiestate locum et sacro impleuere timore.
In foribus labor Alcidae: Lernaea recisis
anguibus hydra iacet, nexuque elisa leonis
ora Cleonaei patulo caelantur hiatu.
at Stygius saeuis terrens latratibus umbras 35
ianitor aeterno tum primum tractus ab antro
uincla indignatur, metuitque Megaera catenas.
iuxta Thraces equi pestisque Erymanthia et altos
aeripedis ramos superantia cornua cerui.
nec leuior uinci Libycae telluris alumnus 40
matre super stratique, genus deforme, bimembres
Centauri frontemque minor nunc amnis Acarnan.
inter quae fulget sacratis ignibus Oete,
ingentemque animam rapiunt ad sidera flammae.
Postquam oculos uaria impleuit uirtutis imago, 45
mira dehinc cernit: surgentis mole profundi
inuectum terris subitum mare nullaque circa

26 e *om.* β (*corr. in* Γ) 29 flammas *Bothe, Thilo 1891, 616, sed cf. Tib. 3, 12, 17* 30 nulla effigies *i. absentia effigiei* (*Bailey 173*) 34 cleonei FΓ²ς : -ea β 35 ast Γς saeuis αΓ²ς : -us β 39 cerui ω Ch : -ae B *edd. a* v *cf. Verg. Aen. 6, 802, sed de sexu v. K. Meuli, Schweiz. Arch. f. Volkskunde 56, 1960, 130*[139] (= *Ges. Schr. 2, 803*[2]) 42 minor αr2 Ch : rumor β : timet Γ²ς amnis p *et manu fort. Pomponii Laeti in exemplari r1 Vat. Inc. I 4, Livineius* : omnis ω (frontemque timet minor omnis Acarnan *edd. a* v) 47 inuectum ω *voce propria, cf. Poseidonios F 26 Th.* (*Strabo 3, 5, 8*) ἐπιβαίνειν τῆς γῆς, *Curt. 9, 9, 9* Oceanus ... inuehi coepit : inie- F² *edd. a* r1

litora et infuso stagnantes aequore campos.
nam qua caeruleis Nereus euoluitur antris
atque imo freta contorquet Neptunia fundo, 50
proruptum exundat pelagus, caecosque relaxans
Oceanus fontes torrentibus ingruit undis.
tum uada ceu saeuo penitus permota tridenti
luctantur terris tumefactum imponere pontum.
mox remeat gurges tractoque relabitur aestu; 55
at ratis erepto campis deserta profundo
et fusi transtris exspectant aequora nautae.
Cymothoes ea regna uagae pelagique labores
Luna mouet, Luna immissis per caerula bigis
fertque refertque fretum, sequiturque reciproca Tethys. 60
Haec propere spectata duci; nam multa fatigant.
curarum prima exercet subducere bello
consortem thalami paruumque sub ubere natum.
uirgineis iuuenem taedis primoque Hymenaeo
imbuerat coniunx memorique tenebat amore. 65
at puer obsessae generatus in ore Sagunti
bis senos lunae nondum compleuerat orbes.
quos ut seponi stetit et secernere ab armis,
affatur ductor: 'spes o Carthaginis altae,
nate, nec Aeneadum leuior metus, amplior, oro, 70
sis patrio decore et factis tibi nomina condas,
quis superes bellator auum; iamque aegra timoris
Roma tuos numeret lacrimandos matribus annos.
ni praesaga meos ludunt praecordia sensus,

51 proruptum αCh : prae- β 52 oceanus ωCh : -i $\Gamma^2$ς 56 at *scripsi cum aliquot codicibus deterioribus* : ac ω : stat *Livineius* erecto δ 57 et fusi ω *Livineius* : eff- $\Gamma^2$ς 58 cymothoes $F^2\Gamma^2$ς : -theos ω 62 curarum prima exercet ω Cm *Ep. 98* : (multa fatigant) pondera curarum primum *edd. a* j 66 at Fς : ac $F^2$Lβ 68 secernier armis *Ker* : secedere ab armis *Buchwald* 69 ductor α$\Gamma^2$O : -to β 72 quis $\Gamma^2$ς : qui ω 73 numeret Y *edd. a* v : -a ω : -at $V^2\Gamma$ς

ingens hic terris crescit labor. ora parentis 75
agnosco toruaque oculos sub fronte minaces
uagitumque grauem atque irarum elementa mearum.
si quis forte deum tantos inciderit actus,
ut nostro abrumpat leto primordia rerum,
hoc pignus belli, coniunx, seruare labora. 80
cumque datum fari, duc per cunabula nostra;
tangat Elissaeas palmis puerilibus aras
et cineri iuret patrio Laurentia bella.
inde ubi flore nouo pubescet firmior aetas,
emicet in Martem et calcato foedere uictor 85
in Capitolina tumulum mihi uindicet arce.
tu uero, tanti felix quam gloria partus
exspectat, ueneranda fide, discede periclis
incerti Martis durosque relinque labores.
nos clausae niuibus rupes suppostaque caelo 90
saxa manent, nos Alcidae mirante nouerca
sudatus labor et, bellis labor acrior, Alpes.
quod si promissum uertat Fortuna fauorem
laeuaque sit coeptis, te longa stare senecta
aeuumque extendisse uelim; tua iustior aetas, 95
ultra me improperae ducant cui fila sorores.'
Sic ille. at contra Cirrhaei sanguis Imilce
Castalii, cui materno de nomine dicta
Castulo Phoebei seruat cognomina uatis
atque ex sacrata repetebat stirpe parentes: 100
tempore quo Bacchus populos domitabat Hiberos
concutiens thyrso atque armata Maenade Calpen,

79 et *Livineius, edd. recc.* **81** per $\Gamma^2 O^2 \varsigma$ : pr(a)e ω **97** at $F^2 \Gamma^2 \varsigma$ : ac ω at contra *sc. argumentatur* (*de forma sententiae cf. 13, 30 sqq.*) imilce v : inulce *vel* inult(a)e ω **98** castalii $\alpha\varsigma$ : -alli G : -allu V : -elli O **99** ph(o)ebei ... uatis αGj : -i ... natis γ : -is ... natis ς **100** et quae *van Veen, sed v. K.–St. 2, 323 sq.* **101** bac(c)hus $\Gamma^2 O^2 \varsigma$ : bacelus ω : baelus $F^2$

lasciuo genitus Satyro nymphaque Myrice
Milichus indigenis late regnarat in oris
cornigeram attollens genitoris imagine frontem. 105
hinc patriam clarumque genus referebat Imilce
barbarica paulum uitiato nomine lingua.
quae tunc sic lacrimis sensim manantibus infit:
'mene, oblite tua nostram pendere salute,
abnuis inceptis comitem? sic foedera nota 110
primitiaeque tori, gelidos ut scandere tecum
deficiam montes coniunx tua? crede uigori
femineo. castum haud superat labor ullus amorem.
sin solo adspicimur sexu fixumque relinqui,
cedo equidem nec fata moror; deus annuat, oro. 115
i felix, i numinibus uotisque secundis
atque acies inter flagrantiaque arma relictae
coniugis et nati curam seruare memento.
quippe nec Ausonios tantum nec tela nec ignes 119
nec quemquam horresco, qui se tibi conferet unus, 125
quantum te metuo. ruis ipsos acer in enses 120
obiectasque caput telis. te nulla secundo
euentu satiat uirtus, tibi gloria soli
fine caret, credisque uiris ignobile letum
belligeris in pace mori. tremor implicat artus. 124
sed tu, bellorum genitor, miserere nefasque 126
auerte et serua caput inuiolabile Teucris.'
Iamque adeo egressi steterant in litore primo,
et promota ratis pendentibus arbore nautis
aptabat sensim pulsanti carbasa uento, 130

**103** myrice α (mi- F) r2v : uir(r)ice β **104** regnabat *van Veen* **106** imilce *v. ad 97* **107** barbarico $\Gamma^2$O uitiata $\Gamma^2$V$^2$ **109** salute αGr2Ch : -m γ **111** ut ωCh : sic r1 : ne *edd. a* j **125** *post 119 inserui* : *post 124 aliquid excidisse putat Summers* conferet ω : -at ς **121** te nulla *scripsi* : nec ulla ω : nec te ulla R$^2$r2v **124** ar(c)tus FOr1 : armis Lβ **128** egressi $\Gamma^2$ς : gressi ω

cum lenire metus properans aegramque leuare
attonitis mentem curis sic Hannibal orsus:
'ominibus parce et lacrimis, fidissima coniunx.
et pace et bello cunctis stat terminus aeui,
extremumque diem primus tulit. ire per ora 135
nomen in aeternum paucis mens ignea donat,
quos pater aetheriis caelestum destinat oris.
an Romana iuga et famulas Carthaginis arces
perpetiar? stimulant manes noctisque per umbras
increpitans genitor, stant arae atque horrida sacra 140
ante oculos, breuitasque uetat mutabilis horae
prolatare diem. sedeamne, ut nouerit una
me tantum Carthago et, qui sim, nesciat omnis
gens hominum? letique metu decora alta relinquam?
quantum etenim distant a morte silentia uitae? 145
nec tamen incautos laudum exhorresce furores.
et nobis est lucis honos, gaudetque senecta
gloria, cum longo titulis celebratur in aeuo.
te quoque magna manent suscepti praemia belli;
dent modo se superi, Thybris tibi seruiet omnis 150
Iliacaeque nurus et diues Dardanus auri.'
dumque ea permixtis inter se fletibus orant,
confisus pelago celsa de puppe magister
cunctantem ciet. abripitur diuulsa marito.
haerent intenti uultus et litora seruant, 155
donec iter liquidum uolucri rapiente carina
consumpsit uisus pontus tellusque recessit.
At Poenus belli curis auertere amorem
apparat et repetit properato moenia gressu.
quae dum perlustrat crebroque obit omnia uisu, 160
tandem sollicito cessit uis dura labori,
belligeramque datur somno componere mentem.

**136** paucis ATX$^2$Ξv : pacis ω **150** amnis *Blomgren, sed* Thybris *i. Latium* **154** arripitur LΓς

Tum pater omnipotens gentem exercere periclis
Dardaniam et fama saeuorum tollere ad astra
bellorum meditans priscosque referre labores 165
praecipitat consulta uiri segnemque quietem
terret et immissa rumpit formidine somnos.
iamque per umentem noctis Cyllenius umbram
aligero lapsu portabat iussa parentis.
nec mora mulcentem securo membra sopore 170
aggreditur iuuenem ac monitis incessit amaris:
'turpe duci totam somno consumere noctem,
o rector Libyae. uigili stant bella magistro.
iam maria effusas cernes turbare carinas
et Latiam toto pubem uolitare profundo, 175
dum lentus coepti terra cunctaris Hibera.
scilicet id satis est decoris memorandaque uirtus,
quod tanto cecidit molimine Graia Saguntos?
en age, si quid inest animo par fortibus ausis,
fer gressus agiles mecum et comitare uocantem. 180
respexisse ueto; monet hoc pater ille deorum.
uictorem ante altae statuam te moenia Romae.'
iamque uidebatur dextram iniectare graduque
laetantem trahere in Saturnia regna citato,
cum subitus circa fragor et uibrata per auras 185
exterrent saeuis a tergo sibila linguis
ingentique metu diuum praecepta pauenti
effluxere uiro et turbatus lumina flectit.
ecce iugis rapiens siluas ac robora uasto
contorta amplexu tractasque per inuia rupes 190
ater letifero stridebat turbine serpens.
quantus non aequas perlustrat flexibus Arctos
et geminum lapsu sidus circumligat Anguis,

**167** rupit F **181** ipse *Livineius, cf. Verg. Aen. 7, 110, ubi v.l.* ille *praetulerim coll. Coripp. Joh. 1, 451 sq.* sic Iuppiter ille, / ut ueteres aiunt gentili carmine uates / ... monebat **192** (a)equas α (*corr. ex* -os F) Γ$V^2$ $O^2$ : aquas β

immani tantus fauces diducit hiatu
attollensque caput nimbosis montibus aequat. 195
congeminat sonitus rupti uiolentia caeli
imbriferamque hiemem permixta grandine torquet.
hoc trepidus monstro (neque enim sopor ille nec altae
uis aderat noctis, uirgaque fugante tenebras
miscuerat lucem somno deus) ardua quae sit, 200
scitatur, pestis terrasque urgentia membra
quo ferat et quosnam populos depascat hiatu.
cui gelidis almae Cyllenes editus antris:
'bella uides optata tibi. te maxima bella,
te strages nemorum, te moto turbida caelo 205
tempestas caedesque uirum magnaeque ruinae
Idaei generis lacrimosaque fata sequuntur.
quantus per campos populatis montibus actas
contorquet siluas squalenti tergore serpens
et late umectat terras spumante ueneno, 210
tantus perdomitis decurrens Alpibus atro
inuolues bello Italiam tantoque fragore
eruta conuulsis prosternes oppida muris.'
His aegrum stimulis liquere deusque soporque.
it membris gelidus sudor, laetoque pauore 215
promissa euoluit somni noctemque retractat.
iamque deum regi Martique sub omine fausto
instauratus honos, niueoque ante omnia tauro
placatus meritis monitor Cyllenius aris.
extemplo edicit conuellere signa, repensque 220
castra quatit clamor permixtis dissona linguis.
Prodite, Calliope, famae, quos horrida coepta
excierint populos tulerintque in regna Latini,

194 deducit O 196 rupti α *Livineius* : ra- β 202 depascat *Heinsius, cf. 16, 680* : -po- ω 203 cui α$\Gamma^2$ς : qui β 211.212 decurrens ... inuolues ωCh : -ens ... ens ΞQr2 : -es ... -ens *edd. a* r1 222 prodite ωCm *Ep. 98* : -to $\Gamma^2$ς

et quas indomitis urbes armarit Hiberis
quasque Paraetonio glomerarit litore turmas 225
ausa sibi Libye rerum deposcere frenos
et terris mutare iugum. non ulla nec umquam
saeuior it trucibus tempestas acta procellis,
nec bellum ruptis tam dirum mille carinis
acrius infremuit trepidumque exterruit orbem. 230
Princeps signa tulit Tyria Carthagine pubes,
membra leuis celsique decus fraudata superbum
corporis, at docilis fallendi et nectere tectos
numquam tarda dolos. rudis his tum parma, breuique
bellabant ense, ac uestigia nuda, sinusque 235
cingere inadsuetum, et rubrae uelamine uestis
ars erat in pugna fusum occuluisse cruorem.
his rector fulgens ostro super altior omnes
germanus nitet Hannibalis gratoque tumultu
Mago quatit currus et fratrem spirat in armis. 240
Proxima Sidoniis Vtica est effusa maniplis,
prisca situ ueterisque ante arces condita Byrsae.
tunc, quae Sicanio praecinxit litora muro
in clipei speciem curuatis turribus, Aspis.
sed dux in sese conuerterat ora Sychaeus, 245
Hasdrubalis proles, cui uano corda tumore
maternum implebat genus et resonare superbo
Hannibal haud umquam cessabat auunculus ore.

224 in domitis ... Hiberis *Heinsius, sed cf. Blomgren 8sqq.* Hiberas Ch (?) 228 s(a)euior Γς : s(a)en- ω 229 ruptis ωCh *bene de naufragio classis Graecorum e bello redeuntis; mire delirant interpretes et editores* : ra- r1v 233 at *Livineius* : ac ω 234 rudis (h)is Γς (*de re cf. Liv. 22, 46, 4*) : radis iis β (*corr. in* rudis iis V) : radix iis α : radiis O 235 at Ch (*sed 'sic legendum' Heinsius Adversaria 363*) *edd. recc.* 236 uelamine $Γ^2$ς : -a ω 242 ueteresque Γς 243 percinxit Γς 247 implebat $Γ^2$ς : -ant ω 248 usquam $Γ^2$ς

Affuit undosa cretus Berenicide miles,
nec tereti dextras in pugnam armata dolone 250
destituit Barce sitientibus arida uenis.
nec non Cyrene Pelopei stirpe nepotis
Battiadas prauos fidei stimulauit in arma.
quos trahit antiquo laudatus Hamilcare quondam
consilio uiridis, sed belli serus, Ilertes. 255
Sabratha tum Tyrium uulgus Sarranaque Leptis
Oeaque Trinacrios Afris permixta colonos
et Tingim rapido mittebat ab aequore Lixus.
tum Vaga et antiquis dilectus regibus Hippo,
quaeque procul cauit non aequos Ruspina fluctus, 260
et Zama et uberior Rutulo nunc sanguine Thapsus.
ducit tot populos ingens et corpore et armis
Herculeam factis seruans ac nomine famam
Antaeus celsumque caput super agmina tollit.
Venere Aethiopes, gens haud incognita Nilo, 265
qui magneta secant; solis honor ille metalli
intactum chalybem uicino ducere saxo.
his simul immitem testantes corpore solem
exusti uenere Nubae. non aerea cassis,
nec lorica riget ferro, non tenditur arcus; 270
tempora multiplici mos est defendere lino

253 paruos δς : (Battiadae) proauos *D. Heinsius, alii alia, sed poeta* prauos *suo iure dixit, quia Aegyptum, sub cuius dicione Cyrene tunc erat, societatem cum Romanis iunxisse historici tradebant: Liv. perioch. 14* armis Γ (*corr.*) ς **255** bello Ξ *edd. a* r1 Ilerces Ch **256** tabraca $R^2$p1b1 **257** oeaque αCh : oraque β : (a)eaque r2 *edd. a* v **258** tingim $V^2\Gamma^2$ς : tingun L : tingum F : trigun G : tingu O **259** tum uaga ω : tinuaga ς : Tamuaga Cd **260** cauit $O^2$BCh : canit ω : cernit $R^2W^2$ς **261** rutulo nunc G *m. 2 marg.* RΛ$M^2$Ch : rutulomine ω : rutulorum ς : rutulo de r1 Dapsus Ch **263** ac ωCm *Ep. 98* : a *edd. a* r1 **266** metallis *Bothe* : metallo *Summers, sed v. Thes. 7, 1, 2067, 26* **269** exusto ς mib(a)e Γς **270** non t. ωCh : nec t. *edd. a* r1

et lino munire latus scelerataque sucis
spicula dirigere et ferrum infamare ueneno.
tum primum castris Phoenicum tendere ritu
Cinyphii didicere Macae. squalentia barba 275
ora uiris, umerosque tegunt uelamine capri
saetigero. panda manus est armata cateia.
uersicolor contra caetra et falcatus ab arte
ensis Adyrmachidis ac laeuo tegmina crure.
sed mensis asper populus uictuque maligno; 280
nam calida tristes epulae torrentur harena.
quin et Massyli fulgentia signa tulere,
Hesperidum ueniens lucis domus ultima terrae.
praefuit intortos demissus uertice crines
Bocchus atrox, qui sacratas in litore siluas 285
atque inter frondes reuirescere uiderat aurum.
Vos quoque desertis in castra mapalibus itis,
misceri gregibus Gaetulia sueta ferarum
indomitisque loqui et sedare leonibus iras.
nulla domus; plaustris habitant; migrare per arua 290
mos atque errantes circumuectare penates.
hinc mille alipedes turmae (uelocior Euris
et doctus uirgae sonipes) in castra ruebant,
ceu, pernix cum densa uagis latratibus implet
uenator dumeta Lacon aut exigit Vmber 295
nare sagax e calle feras, perterrita late
agmina praecipitant uolucres formidine cerui.

**274** ph(o)enicum $F^2\Gamma^2O\varsigma$ : phoeinum (?) F : phemeum L$\beta$ **277** cateia $\alpha G^2\Gamma^2\varsigma$ : cat(h)ena $\beta$ **279** Adyrmachidis Cd (*sed sic iam Dausqueius et* b2) : adymaradis L : achimaradis (-idis) $\beta$ : acinaradis *corr. in* acinacidis $F^2$ *in lac.* : adyrmachid(a)e (adi-) *edd. a* v **288** g(a)etulia sueta $\Sigma$ *marg.* Ch : getula sueta V *marg.* $\Gamma$O : gens assueta $\omega$ : getula ass- r1 : getuli ass- *edd. a* v **290** arua $F\Gamma^2\varsigma$ : arma $F^2L\beta$ **292** hinc LGOr2Ch : huic FV ($\Gamma$ *legi nequit*) : his $\varsigma$ mille $\alpha\Gamma O^2$ : nulle $\beta$

hos agit haud laeto uultu nec fronte serena
Asbytes nuper caesae germanus Acherras.
Marmaridae, medicum uulgus, strepuere cateruis, 300
ad quorum cantus serpens oblita ueneni,
ad quorum tactum mites iacuere cerastae.
tum chalybis pauper Baniurae cruda iuuentus,
contenti parca durasse hastilia flamma,
miscebant auidi trucibus fera murmura linguis. 305
necnon Autololes, leuibus gens ignea plantis,
cui sonipes cursu, cui cesserit incitus amnis –
tanta fuga est; certant pennae, campumque uolatu
cum rapuere, pedum frustra uestigia quaeras.
spectati castris, quos suco nobilis arbor 310
et dulci pascit lotos nimis hospita baca.
quique atro rabidas efferuescente ueneno
dipsadas immensis horrent Garamantes harenis.
fama docet, caesae rapuit cum Gorgonis ora
Perseus, in Libyam dirum fluxisse cruorem; 315
inde Medusaeis terram exundasse chelydris.
milibus his ductor spectatus Marte Choaspes,
Neritia Meninge satus, cui tragula semper
fulmineam armabat, celebratum missile, dextram.
huic coit aequoreus Nasamon, inuadere fluctu 320
audax naufragia et praedas auellere ponto,
huic, qui stagna colunt Tritonidos alta paludis,

299 acherras ωCh : acheras δς    301.302 serpens – tactum *om.* LJK    302 tactum ωCm *Ep.16* : -s ΓςCm *Ep. 98* (*errore manifesto dum* cantus *corrigere vult*) : cantus G *edd.a*r1    303 Baniurae Ch : bamurae ω    311 uimis L (*in* F *lac.*, nimis *suppl. m.2*)    312 rapidas Γς    313 dipsadas LΓ$^2$O$^2$ς : dispadas F : dipsidas β    315 libyam ωCh : -a *edd.a*r1    317 marte FΓ$^2$ς : in arce F$^2$Lβ    318 mericia VO    meninge Y *in ras. edd.a* v : meanige α : mauige GO$^2$ : mauigie δ    319 libratum *Heinsius, sed cf. e.g. 8, 582*    320 huic FGCh : hinc Lγ : huc *Heinsius, edd. recc.*    322 huic PR$^2$ : huc ω (hunc V) Ch : hinc Γ$^2$ς

qua uirgo, ut fama est, bellatrix edita lympha
inuento primam Libyen perfudit oliuo.
Necnon totus adest uesper populique reposti. 325
Cantaber ante omnes hiemisque aestusque famisque
inuictus palmamque ex omni ferre labore.
mirus amor populo, cum prima incanuit aetas,
imbelles iam dudum annos praeuertere saxo
nec uitam sine Marte pati; quippe omnis in armis 330
lucis causa sita et damnatum uiuere paci.
Venit et, Aurorae lacrimis perfusus, in orbem
diuersum patrias fugit cum deuius oras,
armiger Eoi non felix Memnonis, Astyr.
his paruus sonipes nec Marti natus, at idem 335
aut inconcusso glomerat uestigia dorso,
aut molli pacata celer rapit esseda collo.
Cydnus agit, iuga Pyrenes uenatibus acer
metiri iaculoue extendere proelia Mauro.
Venere et Celtae sociati nomen Hiberis. 340
his pugna cecidisse decus, corpusque cremari
tale nefas. caelo credunt superisque referri,
impastus carpat si membra iacentia uultur.
Fibrarum et pennae diuinarumque sagacem
flammarum misit diues Callaecia pubem, 345
barbara nunc patriis ululantem carmina linguis,
nunc pedis alterno percussa uerbere terra
ad numerum resonas gaudentem plaudere caetras.
haec requies ludusque uiris, ea sacra uoluptas.

323 bellatis F 328 prima Fς *cf. 1, 226* : pigra Lβ 329 iam dum δ (*corr. in* Γ) : iam tunc ς taxo *Ruperti* : fato *Bentley* **332–334** *sic distinxi, sc. venit et Astyr, qui Aurorae lacrimis perfusus erat, cum patrias oras devius in orbem diversum fugit* 334 astyr LBr2v : -ur FQr1p : -ir Gς : -it δ : astre O 335 natus *Heinsius, cf. e.g. Stat. Theb. 10, 233sq.* : notus ω *def. Blomgren* at Gδ : ac αO 337 rapit ωCh : trahit Γς asseda G (*corr.*) VO (*corr.*) 338 cydnus Ch : cidnus F[2] : cidinis α : erduus β : herdus ς

cetera femineus peragit labor; addere sulco 350
semina et impresso tellurem uertere aratro
segne uiris. quicquid duro sine Marte gerundum,
Callaici coniunx obit irrequieta mariti.
hos Viriatus agit Lusitanumque remotis
extractum lustris, primo Viriatus in aeuo, 355
nomen Romanis †pactum† mox nobile damnis.
Nec Cerretani, quondam Tirynthia castra,
aut Vasco insuetus galeae ferre arma morati,
non quae Dardanios post uidit Ilerda furores
nec qui Massageten monstrans feritate parentem 360
cornipedis fusa satiaris, Concane, uena.
iamque Ebusus Phoenissa mouet, mouet Arbacus arma
aclyde uel tenui pugnax instare ueruto,
iam cui Tlepolemus sator et cui Lindus origo,
funda bella ferens Baliaris et alite plumbo, 365
et quos nunc Grauios uiolato nomine Graium
Oeneae misere domus Aetolaque Tyde.
dat Carthago uiros Teucro fundata uetusto,
Phocaicae dant Emporiae, dat Tarraco pubem
uitifera et Latio tantum cessura Lyaeo. 370
hos inter clara thoracis luce nitebat
Sedetana cohors, quam Sucro rigentibus undis
atque altrix celsa mittebat Saetabis arce,
Saetabis et telas Arabum spreuisse superba
et Pelusiaco filum componere lino. 375

350 abdere R$^2$ *Livineius* 356 factum Γ$^2$ς *cf. 14, 270 de part. perf. et Curt. 4, 9, 9 de re* : *an* cladum *i. cladibus damnosis ?* damnis R$^2$Pr1 : daunus ω : -is ς 357 cerretani αr2Ch : terr- β : cer- *edd. a* v 359 non αCh : nec β 361 concane Jp : -ue ω 362 mouet *alterum om.* O arbacus Γ$^2$Ch : -atus ω : -utus O : artabrus *edd. a* v 363 aclyde Ch : acclyde L : aclide Fβ 365 funda Cm *Ep. 98* : feruida ω gerens O Baliaris Ch : bale- ω 372 sedet(h)ana ωCh : sedent- ς sucro αVBv : succa G : sacro O : succo Γς 374 superba ωCm : -as QZr2 *edd. a* v

Mandonius populis domitorque insignis equorum
imperitat Caeso, et socio stant castra labore.
At Vettonum alas Balarus probat aequore aperto.
hic adeo, cum uer placidum flatusque tepescit,
concubitus seruans tacitos grex perstat equarum 380
et Venerem occultam genitali concipit aura.
sed non multa dies generi, properatque senectus,
septimaque his stabulis longissima ducitur aestas.
at non Sarmaticos attollens Vxama muros
tam leuibus persultat equis; hinc uenit in arma 385
haud aeui fragilis sonipes crudoque uigore
asper frena pati aut iussis parere magistris.
Rhyndacus his ductor, telum sparus; ore ferarum
et rictu horrificant galeas; uenatibus aeuum
transigitur, uel more patrum uis raptaque pascunt. 390
Fulget praecipuis Parnasia Castulo signis
et celebre Oceano atque alternis aestibus Hispal
ac Nebrissa dei Nysaei concita thyrsis,
quam Satyri coluere leues redimitaque sacra
nebride et †ortano† Maenas nocturna Lyaeo. 395
Arganthoniacos armat Carteia nepotes.

378 Vet(t)onum *edd. a* v : Vect- Ch : uest- ω : uesc- Γς 379 placitum Γς 380 perstat α$V^2$pCh : prae- β : pro- QZr2 *edd. a* v 383 aestas αΦCc *Em.* 2, 4 Ch : aetas β 384 Vxama *Heinsius* : suxana α (-ania L) Ch : suuania β (smiania O) : saunia $\Gamma^2$ς : susana *edd. a* v 385 leuibus αΓς : len- β 390 poscunt $\Gamma^2 O^2$ς 391 Parsania Ch 393 dei Nysaei *scripsi* : dei Nysaeis *Scaliger et Lachmann ad Lucr. 6, 1067 metri causa* : dionis(s)eis ω concita *Heinsius, cf. 399* : conscia ω 394 lenes GO 395 hortano $V^2$P *edd. a* v : hortando δς : arcano $G^2$EJM$K^2R^2U^2$Ch (? *'ita certe Coloniensis codex cum aliis quibusdam'*) *edd. recc.* : *signum corruptelae posui; scribendum puto* ornatu, *cf. Dict. 3, 2* antistites nouo ac barbaro redimitae ornatu effusis ... crinibus *et Verg. Aen. 1, 686* laticemque Lyaeum 396 arganthoniacos (arc-) $F^2$ς : -omacos ω

rex proauis fuit humani ditissimus aeui
ter denos decies emensus belliger annos.
armat Tartessos stabulanti conscia Phoebo
et Munda Emathios Italis paritura labores. 400
nec decus auriferae cessauit Corduba terrae.
hos duxere uiros flauenti uertice Phorcys
spiciferisque grauis bellator Arauricus oris,
aequales aeui, genuit quos ubere ripa
Palladio Baetes umbratus cornua ramo. 405
Talia Sidonius per campos agmina ductor
puluere nigrantes raptat lustransque sub armis,
qua uisu comprendere erat, fulgentia signa
ibat ouans longaque umbram tellure trahebat.
non aliter, quotiens perlabitur aequora curru 410
extremamque petit, Phoebea cubilia, Tethyn
frenatis Neptunus equis, fluit omnis ab antris
Nereidum chorus et sueto certamine nandi
candida perspicuo conectunt brachia ponto.
At Pyrenaei frondosa cacumina montis 415
turbata Poenus terrarum pace petebat.
Pyrene celsa nimbosi uerticis arce
diuisos Celtis late prospectat Hiberos
atque aeterna tenet magnis diuortia terris.
nomen Bebrycia duxere a uirgine colles, 420
hospitis Alcidae crimen, qui, sorte laborum
Geryonae peteret cum longa tricorporis arua,
possessus Baccho saeua Bebrycis in aula
lugendam formae sine uirginitate reliquit
Pyrenen, letique deus, si credere fas est, 425

399 tartessos $Γ^2$ς : tarc- ω 400 italis BQr1 : itidis ω : itidem O 403 arauricus FCh : arant(h)- Lβ 405 betes ω *cf. 13, 676* : Baetis *edd.* 407 aptat F 410 curru ωCm *Ep. 98* : -su QZ *edd. vett.* 414 connectunt Ch : -uert- ω 418 late ωCm : alt(a)e ς *edd. vett.* 420 bebrycia (-i-) $Γ^2O^2$ς : bab- F : heb- Lβ 422 longa $Γ^2$ς : -o ω

causa fuit leti miserae deus. edidit aluo
namque ut serpentem patriasque exhorruit iras,
confestim dulces liquit turbata penates.
tum noctem Alcidae solis plangebat in antris
et promissa uiri siluis narrabat opacis, 430
donec maerentem ingratos raptoris amores
tendentemque manus atque hospitis arma uocantem
diripuere ferae. laceros Tirynthius artus,
dum remeat uictor, lacrimis perfudit et amens
palluit inuento dilectae uirginis ore. 435
at uoce Herculea percussa cacumina montis
intremuere iugis; maesto clamore ciebat
Pyrenen, scopulique omnes ac lustra ferarum
Pyrenen resonant. tumulo tum membra reponit
supremum illacrimans, nec honos intercidet aeuo, 440
defletumque tenent montes per saecula nomen.
Iamque per et colles et densos abiete lucos
Bebryciae Poenus fines transcenderat aulae.
inde ferox quaesitum armis per inhospita rura
Volcarum populatur iter tumidique minaces 445
accedit Rhodani festino milite ripas.
aggeribus caput Alpinis et rupe niuali
proserit in Celtas ingentemque extrahit amnem
spumanti Rhodanus proscindens gurgite campos
ac propere in pontum lato ruit incitus alueo. 450
auget opes stanti similis tacitoque liquore
mixtus Arar, quem gurgitibus complexus anhelis
cunctantem immergit pelago raptumque per arua
ferre uetat patrium uicina ad litora nomen.
inuadunt alacres inimicum pontibus amnem; 455
nunc celso capite et ceruicibus arma tuentur,
nunc ualidis gurges certatim frangitur ulnis.

**436** at $F^2$PCh : ac ω **440** intercidit Γς **448** proserit αCh : -selit β : -sedit δ : -silit $Γ^2$ς **452** complexis F (*corr.*) O : -pressis V **457** ulnis $F^2$L$G^2$$Γ^2$ς : undis Fβ

fluminea sonipes religatus ducitur alno,
belua nec retinet tardante Libyssa timore;
nam trabibus uada et iniecta tellure repertum 460
conexas operire trabes ac ducere in altum
paulatim ripae resolutis aggere uinclis.
at gregis illapsu fremebundo territus atras
expauit moles Rhodanus stagnisque refusis
torsit harenoso minitantia murmura fundo. 465
Iamque Tricastinis incedit finibus agmen,
iam faciles campos, iam rura Vocontia carpit.
turbidus hic truncis saxisque Druentia laetum
ductoris uastauit iter. namque Alpibus ortus
auulsas ornos et adesi fragmina montis 470
cum sonitu uoluens fertur latrantibus undis
ac uada translato mutat fallacia cursu,
non pediti fidus, patulis non puppibus aequus.
et tunc imbre recens fuso correpta sub armis
corpora multa uirum spumanti uertice torquens 475
immersit fundo laceris deformia membris.
Sed iam praeteritos ultra meminisse labores
conspectae propius dempsere pauentibus Alpes.
cuncta gelu canaque aeternum grandine tecta
atque aeui glaciem cohibent; riget ardua montis 480
aetherii facies surgentique obuia Phoebo
duratas nescit flammis mollire pruinas.

458 alno $R^2$p : aluo ω 460 iniecta $F^2G^2\Gamma^2\varsigma$ : inl- ω 463 atras *Heinsius, cf. 9, 570* : acres (-is) αδς : accis β 466 trig- δς incedit ω : incendit γ : intendit $\Gamma^2$ΞP 467 uocontia $F^2$LJ$R^2$ : -antia Fβ : -untia *edd. a* r1 468 druentia Qr2 *edd. a* v : druantia $F^2$ : durentia ω : durantia Γς 473 (a)equis V (*corr.*) Γ (*corr.*) ΞP 476 laceris $F^2\Gamma^2\varsigma$ : lat- ω 479 canaque $\Gamma^2\varsigma$ : cau- ω 480 (a)eui ω : cui $G^2$O *locus varie temptatus mihi sanus esse videtur:* cuncta ... tecta *sc. sunt* (*de ellipsi cf. 1, 366 sq.; 3, 503 sqq.; 6, 74 sq.*) atque aeui glaciem *i. aeternam glaciem* cohibent *i. solvi non sinunt, cf. 14, 66 sqq.*

quantum Tartareus regni pallentis hiatus
ad manes imos atque atrae stagna paludis
a supera tellure patet, tam longa per auras 485
erigitur tellus et caelum intercipit umbra.
nullum uer usquam nullique aestatis honores.
sola iugis habitat diris sedesque tuetur
perpetuas deformis hiems; illa undique nubes
huc atras agit et mixtos cum grandine nimbos. 490
iam cuncti flatus uentique furentia regna
Alpina posuere domo. caligat in altis
obtutus saxis, abeuntque in nubila montes.
mixtus Athos Tauro Rhodopeque adiuncta Mimanti
Ossaque cum Pelio cumque Haemo cesserit Othrys. 495
primus inexpertas adiit Tirynthius arces.
scindentem nubes frangentemque ardua montis
spectarunt superi longisque ab origine saeclis
intemerata gradu magna ui saxa domantem.
At miles dubio tardat uestigia gressu, 500
impia ceu sacros in fines arma per orbem
natura prohibente ferant diuisque repugnent.
contra quae ductor – non Alpibus ille nec ullo
turbatus terrore loci, sed languida maestus
corda uirum fouet hortando reuocatque uigorem: 505
'non pudet obsequio superum fessosque secundis
post belli decus atque acies dare terga niuosis
montibus et segnes summittere rupibus arma?
nunc, o nunc, socii, dominantis moenia Romae
credite uos summumque Iouis conscendere culmen. 510

**493** obtuitus $\Gamma^2$ ς **494** mimanti $\Lambda^2$ *edd. a* b1 : min- ω **495** pelio $\Gamma^2$ ς : peleo ω *tuetur Bauer 1893, 36 coll. Catull. 64, 278* Pelei, *fort. recte* : Phlegeo Ch : Pindo *Livineius, commendat L. Müller, Berl. philol. Wochenschr. 1891/92, 623 coll. Ov. met. 2, 225* **504** maestus ω : monstris $\Gamma^2$ ς : maestis *Schrader, edd. recc., sed* maestus *sc. ira, cf. Thes. 8, 49, 35 sqq.*

hic labor Ausoniam et dabit hic in uincula Thybrim.'
nec mora commotum promissis ditibus agmen
erigit in collem et uestigia linquere nota
Herculis edicit magni crudisque locorum
ferre pedem ac proprio turmas euadere calle. 515
rumpit inaccessos aditus atque ardua primus
exsuperat summaque uocat de rupe cohortes.
tum, qua durati concreto frigore collis
lubrica frustratur canenti semita cliuo
luctantem, ferro glaciem premit. haurit hiatu 520
nix resoluta uiros, altoque e culmine praeceps
umenti turmas operit delapsa ruina.
interdum aduerso glomeratas turbine Corus
in media ora niues fuscis agit horridus alis
aut rursum immani stridens auulsa procella 525
nudatis rapit arma uiris uoluensque per orbem
contorto rotat in nubes sublimia flatu.
quoque magis subiere iugo atque euadere nisi
erexere gradum, crescit labor. ardua supra
sese aperit fessis et nascitur altera moles, 530
unde nec edomitos exsudatosque labores
respexisse libet; tanta formidine prona
exterrent repetita oculis, atque una pruinae
canentis, quacumque datur promittere uisus,
ingeritur facies. medio sic nauita ponto, 535

**511** et F (*sed expunctum*) Ch : *om.* Lβ **515** proprio *sc. Hannibalis, non turmarum* calle Γς : calpe ω (t- O) **519.520** *sic dist. Spaltenstein, post* cliuo *edd.* **520** ferro *i. dolabra, cf. Curt.* 5, 6, 14; *Appian. Hann.* 15 **521** e *om.* OW : a W²ς **522** umenti Cm *Ep. 98* (o- *errore typogr.*) : uiuenti Lβ : ingenti F *fort. recte* : uiuentes (-is) Γς **523** glomeratas ωCm : -us b2 **526** nudatis ... uiris Cm : audacis ... -is ω : audacis ... -i Γ²ς **530** sedem aperit Γς **532** prona *scripsi, cf. 634* : plana ωCh : plena Γ²ς **534** quocumque *Summers* promittere Ch : per- ω *Summers* uisus β : n- α

cum dulces liquit terras et inania nullos
inueniunt uentos securo carbasa malo,
immensas prospectat aquas ac uicta profundis
aequoribus fessus renouat sua lumina caelo.
Iamque super clades atque importuna locorum 540
illuuie rigidaeque comae squalore perenni
horrida semiferi promunt e rupibus ora,
atque effusa cauis exesi pumicis antris
Alpina inuadit manus adsuetoque uigore
per dumos notasque niues atque inuia pernix 545
clausum montiuagis infestat cursibus hostem.
mutatur iam forma locis. hic sanguine multo
infectae rubuere niues, hic nescia uinci
paulatim glacies cedit tepefacta cruore,
dumque premit sonipes duro uestigia cornu, 550
ungula perfossis haesit comprensa pruinis.
nec pestis lapsus simplex; abscisa relinquunt
membra gelu, fractosque asper rigor amputat artus.
bis senos soles, totidem per uulnera saeuas
emensi noctes optato uertice sidunt 555
castraque praeruptis suspendunt ardua saxis.
At Venus ancipiti mentem labefacta timore
affatur genitorem et rumpit maesta querelas:
'quis poenae modus aut pereundi terminus, oro,
Aeneadis erit, et quando terrasque fretumque 560
emensis sedisse dabis? cur pellere nostros
a te concessa Poenus parat urbe nepotes?
Alpibus imposuit Libyam finemque minatur
imperio. casus metuit iam Roma Sagunti.
quo Troiae extremos cineres sacramque ruinam 565
Assaracique larem et Vestae secreta feramus?

543 effusa ωCm *Ep. 106* : euulsa *edd. a* r1 pumicis αΓ : pun- β 551 comprensa *Heinsius et Bentley, cf. Liv. 21, 26, 8* iumenta ... uelut pedica capta : -pressa ω 552 obscis(s)a δς 558 querelis O 563 libyam F[2]β : libram α

da sedem, genitor, tutisque iacere. parumne est
exilia errantes totum quaesisse per orbem?
anne iterum capta repetentur Pergama Roma?'
His Venus; et contra genitor sic deinde profatur: 570
'pelle metus, neu te Tyriae conamina gentis
turbarint, Cytherea; tenet longumque tenebit
Tarpeias arces sanguis tuus. hac ego Martis
mole uiros spectare paro atque expendere bello.
gens ferri patiens ac laeta domare labores 575
paulatim antiquo patrum desuescit honori,
atque ille haud umquam parcus pro laude cruoris
et semper famae sitiens obscura sedendo
tempora agit mutum uoluens inglorius aeuum
sanguine de nostro populus, blandoque ueneno 580
desidiae uirtus paulatim euicta senescit.
magnae molis opus multoque labore parandum
tot populos inter soli sibi poscere regna.
iamque tibi ueniet tempus, quo maxima rerum
nobilior sit Roma malis. hinc nomina nostro 585
non indigna polo referet labor, hinc tibi Paulus,
hinc Fabius gratusque mihi Marcellus opimis.
hi tantum parient Latio per uulnera regnum,
quod luxu et multum mutata mente nepotes
non tamen euertisse queant. iamque ipse creatus, 590
qui Poenum reuocet patriae Latioque repulsum
ante suae muros Carthaginis exuat armis.
hinc, Cytherea, tuis longo regnabitur aeuo.
exin se Curibus uirtus caelestis ad astra
efferet, et sacris augebit nomen Iulis 595
bellatrix gens bacifero nutrita Sabino.

574 mole α$G^2Γ^2$O : molle β 576 desuescit $Γ^2$ς *v. Thes. 5, 1, 1508, 42* : diss- ω 581 desidia $F^2G^2K^2R^2$J 594 se curibus αΓ: securibus β 595 *versum in* v2 j b1 b2 *omissum ins.* Cm *Ep. 106, post 596 habent* QYZr1mpl efferet ωCm : exseret Ch (*sed* efferet *Heinsius Adversaria 374*) iulis $H^2$DCm : -us ω : -i r2v

hinc pater ignotam denabit uincere Thylen
inque Caledonios primus trahet agmina lucos,
compescet ripis Rhenum, reget impiger Afros
palmiferamque senex bello domitabit Idymen. 600
nec Stygis ille lacus uiduataque lumine regna,
sed superum sedem nostrosque tenebit honores.
tum iuuenis magno praecellens robore mentis
excipiet patriam molem celsusque feretur
aequatum imperio tollens caput. hic fera gentis 605
bella Palaestinae primo delebit in aeuo.
at tu transcendes, Germanice, facta tuorum,
iam puer auricomo praeformidate Batauo.
nec te terruerint Tarpei culminis ignes;
sacrilegas inter flammas seruabere terris. 610
nam te longa manent nostri consortia mundi.
huic laxos arcus olim Gangetica pubes
summittet uacuasque ostendent Bactra pharetras.
hic et ab Arctoo currus aget axe per urbem,
ducet et Eoos Baccho cedente triumphos. 615
idem indignantem tramittere Dardana signa
Sarmaticis uictor compescet sedibus Histrum.
quin et Romuleos superabit uoce nepotes,
quis erit eloquio partum decus. huic sua Musae
sacra ferent, meliorque lyra, cui substitit Hebrus 620
et uenit Rhodope, Phoebo miranda loquetur.
ille etiam, qua prisca, uides, stat regia nobis,

597 huic FG²Ξ denabit *scripsi, cf. 15, 160* : donabit β : -bat α 599 ripis *suspectum* : remis *Schrader, cf. Lucan. 1, 370* : *an* uiridis*? cf. Sen. contr. 4 praef. 3* audiui ... illum et uiridem et postea iam senem 602 sedes BY *edd. a* r1 607 transcendes αV : -ens βς 608 performidate Γς batauo Γ²W²Ξ *edd. a* p : -no ω : britanno δ 617 sedibus αΓ²ς : sect- β : sept- δ 619 quis erit Γ²Oς : qui serit ω : qui ferit Ch (*sed* qui foret *Heinsius Adversaria 376*) patrum Γς 622 ille Γ²ς : -a ω uides ωCm *Ep. 106* : f- Γ²ς

aurea Tarpeia ponet Capitolia rupe
et iunget nostro templorum culmina caelo.
tunc, o nate deum diuosque dature, beatas 625
imperio terras patrio rege. tarda senectam
hospitia excipient caeli, solioque Quirinus
concedet, mediumque parens fraterque locabunt;
siderei iuxta radiabunt tempora nati.'
Dum pandit seriem uenturi Iuppiter aeui, 630
ductor Agenoreus tumulis delatus iniquis
lapsantem dubio deuexa per inuia nisu
firmabat gressum atque umentia saxa premebat.
non acies hostisue tenet, sed prona minaci
praerupto turbant et cautibus obuia rupes. 635
stant clausi maerentque moras et dura uiarum.
nec refouere datur torpentia membra quiete;
noctem operi iungunt et robora ferre coactis
approperant umeris ac raptas collibus ornos.
iamque ubi nudarunt silua densissima montis, 640
aggessere trabes, rapidisque accensus in orbem
excoquitur flammis scopulus. mox proruta ferro
dat gemitum putris resoluto pondere moles
atque aperit fessis antiqui regna Latini.
his tandem ignotas transgressus casibus Alpes 645
Taurinis ductor statuit tentoria campis.
Interea uoces Iouis atque oracula portans
emensis aderat Garamantum laetus harenis
Bostar et ut uiso stimulabat corda Tonante:
'maxime Belide, patriis qui moenibus arces 650
seruitium dextra, Libycas penetrauimus aras.

**629** iuxta β : iusta α **632** nisu $F^2Γ^2$ς : u- ω **635** turbant ωCh : -at $Γ^2$ *edd. a* r1 cautibus α$G^2Γ^2$ : cant- β **639** ac αGV *edd. a* v : et ΓOς **642** prorupta GVO **643** putris K *marg.* Cm *Ep. 106* : pa- αGΓ : patens $G^2$VO : patiens $Γ^2$ς moles α$G^2Γ^2$ : molles β **651** aras ω *v. Blomgren 7* : oras $Γ^2$ς

nos tulit ad superos perfundens sidera Syrtis,
nos paene aequoribus tellus uiolentior hausit.
ad finem caeli medio tenduntur ab orbe
squalentes campi. tumulum natura negauit 655
immensis spatiis, nisi quem caua nubila torquens
construxit turbo impacta glomeratus harena,
uel si perfracto populatus carcere terras
Africus aut pontum spargens super aera Corus
inuasere truces capientem proelia campum 660
inque uicem ingesto cumularunt puluere montes.
has obseruatis ualles enauimus astris;
namque dies confundit iter, peditemque profundo
errantem campo et semper media arua uidentem
Sidoniis Cynosura regit fidissima nautis. 665
uerum ubi defessi lucos nemorosaque regna
cornigeri Iouis et fulgentia templa subimus,
exceptos hospes tectis inducit Arisbas.
stat fano uicina, nouum et memorabile, lympha,
quae nascente die, quae deficiente tepescit 670
quaeque riget, medius cum sol accendit Olympum,
atque eadem rursum nocturnis feruet in umbris.
tum loca plena deo, dites sine uomere glebas
ostentat senior laetaque ita mente profatur:
"has umbras nemorum et conexa cacumina caelo 675
calcatosque Ioui lucos prece, Bostar, adora.

**652** nos α$\Gamma^{2}$O : non β **653** hos δ (*corr. in* Γ) **657** constrinxit δς **659** et *Blass* **665** cruosura γ (*corr. in* Γ) **667** subimus Cm *Ep. 106* : columnis ω (columus O) *post 667 legitur* aduenimus magnis quam laeta fronte sacerdos *in margine* RVΓWΛΣ, *in textu* ς (mente *pro* fronte P) *edd. vett.* **668** arisbas αr2 : -tas β **671** quaeque riget $\Gamma^{2}$r1 : quae riget ω (*corr. ex* regit F) : quae friget $R^{2}$ *Postgate* medius ωCh : -m ΞX *edd. a* r1 ascendit *Heinsius* **672** rursum ω *Drakenborch tacite* : -s Γς **675** con(n)exa αr1 : -uexa β

nam cui dona Iouis †non diuulgata per orbem†
in gremio Thebes geminas sedisse columbas?
quarum Chaonias pennis quae contigit oras,
implet fatidico Dodonida murmure quercum. 680
at quae Carpathium super aequor uecta per auras
in Libyen †niueis† tranauit concolor alis,
hanc sedem templo Cythereia condidit ales.
hic, ubi nunc aram lucosque uidetis opacos,
ductore electo gregis, admirabile dictu, 685
lanigeri capitis media inter cornua perstans
Marmaricis ales populis responsa canebat.
mox subitum nemus atque annoso robore lucus
exsiluit, qualesque premunt nunc sidera quercus,
a prima uenere die; prisco inde pauore 690
arbor numen habet coliturque tepentibus aris."
dumque ea miramur, subito stridore tremendum
impulsae patuere fores, maiorque repente
lux oculos ferit. ante aras stat ueste sacerdos
effulgens niuea, et populi concurrere certant. 695
inde ubi mandatas effudi pectore uoces,
ecce intrat subitus uatem deus. alta sonoro
collisis trabibus uoluuntur murmura luco,
ac maior nota iam uox prorumpit in auras:
"tenditis in Latium belloque agitare paratis 700
Assaraci prolem, Libyes. coepta aspera cerno
Gradiuumque trucem currus iam scandere et atram
in latus Hesperium flammam exspirare furentes
cornipedes multoque fluentia sanguine lora.

677 *signum corruptelae posui; duo hemistichia excidisse videntur* 680 dodonida BQR$^2$W$^2$ r1 : donidam ω (domandam O) murmure ωCm *Ep. 106* : munere *edd. a* v 682 nigris *Beger, v. Drakenborch* : furuis *Heinsius* : *an* nigris ... Afris ? *nam et* alis *suspectum propter* ales 683 templo ωCm *Ep. 106* : primo ς 684 aram *Heinsius* : arma ω : aras Γ$^2$ς 690 pauore ωCm : f- *edd. a* r1

tu, qui pugnarum euentus extremaque fati 705
deposcis claroque ferox das uela labori,
inuade Aetoli ductoris Iapyga campum.
Sidonios augebis auos nullique relinques
altius Ausoniae penetrare in uiscera gentis,
donec uicta tibi trepidabunt Dardana regna. 710
nec ponet pubes umquam Saturnia curam,
dum carpet superas in terris Hannibal auras."
Talia portabat laetis oracula Bostar
impleratque uiros pugnae propioris amore.

714 implebatque A P T W[2] X Ψ b1 proprioris G δ *errore vulgari*

# SILI ITALICI
## PVNICORVM
### LIBER QVARTVS

Fama per Ausoniae turbatas spargitur urbes
nubiferos montes et saxa minantia caelo
accepisse iugum Poenosque per inuia uectos
aemulaque Herculei iactantem facta laboris
descendisse ducem. diros capit improba motus 5
et gliscit gressu uolucrique citatior Euro
terrificis quatit attonitas rumoribus arces.
adstruit auditis docilis per inania rerum
pascere rumorem uulgi pauor; itur in acres
bellorum raptim curas, subitusque per omnem 10
Ausoniam Mauors strepit et ciet arma uirosque.
pila nouant, ac detersa rubigine saeuus
induitur ferro splendor, niueumque repostae
instaurant galeae coni decus; hasta iuuatur
ammento, reuocantque noua fornace bipennes. 15
conseritur tegimen laterum impenetrabile, multas
passurus dextras atque irrita uulnera thorax.
pars arcu inuigilant, domitat pars uerbere anhelum
cornipedem in gyros saxoque exasperat ensem.
nec uero muris, quibus est luctata uetustas, 20

1 fama αG²O : arma G : ama δ   4 iactantem facta Ch; *v. Blass Textesquellen 210, sed in exemplari Guelferbytano Livinei nota 'p', qua coniecturas suas signat, erasa est, ergo de Coloniensi non dubitandum* : iactatur fama ω   5 capit *Damsté, cf. Thes. 3, 323, 35 sqq.* : canit ω   13 niueumque Cm *Ep. 66* : iuuenumque ω reperto F   15 reuocantque ωCm : renou- ς

ferre morantur opem; subuectant saxa cauasque
retractant turris, edit quas longior aetas.
hinc tela accipiunt arces, ac robora portis
et fidos certant obices accersere silua.
circumdant fossas. haud segnis cuncta magister 25
praecipitat timor. at uastis trepidatur in agris.
deseruere larem, portant ceruicibus aegras
attoniti matres ducentesque ultima fila
grandaeuos rapuere senes, tum crine soluto
ante agitur coniunx, dextra laeuaque trahuntur 30
parui non aequo comitantes ordine nati.
sic uulgus, traduntque metus, nec poscitur auctor.
at patres, quamquam exterrent immania coepta
inque sinu bellum, atque Alpes et peruia saxa
decepere, tamen crudam contra aspera mentem 35
et magnos tollunt animos. iuuat ire periclis
ad decus et dextra memorandum condere nomen,
quale dedit numquam rebus Fortuna secundis.
Sed Libyae ductor tuto fouet agmina uallo
fessa gradum multoque gelu torpentia neruos, 40
solandique genus laetis ostentat ad urbem
per campos superesse uiam Romamque sub ictu.
at non et rerum curas consultaque belli
stare probat solusque nequit perferre quietem.
armiferae quondam prisca inter tempora gentes 45
Ausonium inuasere latus sedesque beatas
et metui peperere manu. mox impia bella
Tarpeius pater et capti sensere Quirites.
hic dum sollicitat donis et inania corda
ac fluxam morum gentem fouet armaque iungit, 50

21 morantur αPYΞp : -atur β 23 ac α *Drakenborch tacite* : et β 26 at *Summers* : ac ω agris αCh : aruis β (armis O) 33 inania F 35 decepere ωCm *Ep.* 66 : acc- *edd. a* h 39 uallo $\alpha G^2\Gamma^2$ : -um β 40 gradum ω : -u $\Gamma^2$QXZCh 41 laetos *Markland ad Stat. silv. 1, 6, 26*

iam consul uolucri praeuectus litora classe
Scipio Phocaicis sese referebat ab oris,
ingentesque duces pelagi terraeque laborem
diuersum emensos propiora pericula uallo
iungebant, magnaeque aderant primordia cladis. 55
namque ut collatis admoto consule castris
sustulerat Fortuna moras, signumque furoris
accensae uiso poscebant hoste cohortes,
debellata procul, quaecumque †uocantur Hiberis†
ingenti Tyrius numerosa per agmina ductor 60
uoce sonat; non Pyrenen Rhodanumue ferocem
iussa aspernatos, Rutulam fumasse Saguntum,
raptum per Celtas iter, et, qua ponere gressum
Amphitryoniadae fuerit labor, isse sub armis
Poenorum turmas, equitemque per ardua uectum 65
insultasse iugo, et fremuisse hinnitibus Alpes.
Contra pulchra suos uocat ad discrimina consul:
'hostem, miles, habes fractum ambustumque niuosis
cautibus atque aegre torpentia membra trahentem.
en age, qui sacros montes rupesque profundas 70
transiluit, discat, quanto stat celsius arce
Herculea uallum et, maius sit scandere colles
an uestros rupisse globos. det inania famae,
dum magna fuso pugna retroque ruenti,
qua uentum est, obstent Alpes. super ardua ductum 75
huc egere dei, Latios ut sanguine fines
imbueret tellusque hostilis conderet ossa.

51 praeuectus l *Heinsius* : per- ω 54 propiora αGΓ$^2$ : propria γ 59 debellata αV$^2$Γ : -as β colantur *Thilo 1858, 22, alii alia; verba corrupta mordicus def. Bauer* (Hiberis *i. Hiberia*) 60 numerosa p *Marsus in comm., Livineius* : nemor- ω 61 ferocem αCh : furentem β 63 certas GV (*corr.*) 65 turmas αv : -bas β 66 (h)innitibus Fδς : limit- Lβ 68 combustumque O 71 stet *Heinsius, sed cf. Lindblom 69 sq.* 73 uestros αGCh : no- γ

scire libet, noua nunc nobis atque altera bellum
Carthago anne eadem mittat, quae mersa sub aequor
Aegates inter uasto iacet obruta ponto.' 80
Haec ait atque agmen Ticini flectit ad undas.
caeruleas Ticinus aquas et stagna uadoso
perspicuus seruat turbari nescia fundo
ac nitidum uiridi lente trahit amne liquorem.
uix credas labi; ripis tam mitis opacis 85
argutos inter uolucrum certamine cantus
somniferam ducit lucenti gurgite lympham.
Iamque sub extremum noctis fugientibus umbris
lux aderat somnusque suas confecerat horas.
explorare locos consul collisque propinqui 90
ingenium et campis quae sit natura parabat.
par studium Poeno similesque in pectore curae.
ergo aderant rapidis equitum comitantibus alis.
uerum ubi commoto docuerunt puluere nubes
hostem ferre gradum et propius propiusque sonoro 95
quadrupedum cornu tellus gemit ac simul acer
uincentum lituos hinnitus saeuit equorum,
'arma, uiri, capite arma, uiri!' dux instat uterque.
ambobus uelox uirtus geminusque cupido
laudis et ad pugnas Martemque insania concors. 100
Haud mora iam tantum campi dirimebat ab ictu,
quantum impulsa ualet comprendere lancea nodo,
cum subitum liquida non ullis nubibus aethra
augurium mentes oculosque ad sidera uertit.
accipiter medio tendens a limite solis 105
dilectas Veneri notasque ab honore Diones
turbabat uiolentus aues atque unguibus idem,

83 perspicuus $\Gamma^2$ς : -as ω 84 at ς 86 certamine ωCh : -a *edd. a* j 88 fugientibus ωCm *Ep. 66* : fulg- *edd. a* r1 96 quadrupedem GV (*corr.*) 98 capite FCh *cf. Liv. 21, 43, 7* arma capite : r- $F^2$Lβ 103 liquida QXZr1 : -o ω 105 accipiter α$\Gamma^2$ς : anc- β limine Γς

idem nunc rostro, duris nunc ictibus alae,
ter quinas dederat saeua inter uulnera leto;
nec finis satiasue, noui sed sanguinis ardor 110
gliscere, et urgebat trepidam iam caede priorum
incertamque fugae pluma labente columbam,
donec Phoebeo ueniens Iouis ales ab ortu
in tenues tandem nubes dare terga coegit.
tum uictrix laetos signa ad Romana uolatus 115
conuertit, prolesque ducis qua parte decora
Scipio quassabat puerilibus arma lacertis,
clangorem bis terque dedit rostroque coruscae
perstringens conum galeae se reddidit astris.
Exclamat Liger (huic superos sentire monentes 120
ars fuit ac penna monstrare futura magistra):
'Poene, bis octonos Italis in finibus annos
audaci similis uolucri sectabere pubem
Ausoniam multamque feres cum sanguine praedam.
sed compesce minas; renuit tibi Daunia regna 125
armiger ecce Iouis. nosco te, summe deorum.
adsis o firmesque tuae, pater, alitis omen.
nam tibi seruantur, nị uano cassa uolatu
mentitur superos praepes, postrema subactae
fata, puer, Libyae et maius Carthagine nomen.' 130
Contra laeta Bogus Tyrio canit omina regi,
et faustum accipitrem caesasque in nube uolucres
Aeneadis cladem et Veneris portendere genti.
tum dictis comitem contorquet primus in hostes
ceu suadente deo et fatorum conscius hastam. 135
illa uolans patuli longe per inania campi

**110** satiasue *Dausqueius, cf. 6, 52* : saciesue ω (aciesue G, sacrasue O) : satiesue Q *edd. a* r1 **111** suorum LJ **119** prestringens O **120** hinc LO monentis (-es) $\Gamma^2$ς : mom- ω **122** octonos αBY r1 : octauos β **131** omina Fδ : omnia Lβ **132** accipitrem αΓ : anc- β

ictum perdiderat spatio, ni fusus habenas,
dum primae decus affectat decerpere pugnae,
obuia quadrupedis praeceps Catus ora tulisset.
sic elanguescens ac iam casura petitum 140
inuenit uulnus sedemque accepit ab hoste
cornus et oblatae stetit inter tempora frontis.
Incurrunt acies, magnoque fragore per aequor
suspendunt cuncti frenis sublime reductos
cornipedes ultroque ferunt. erectus in auras 145
it sonipes rapidaque uolans per aperta procella
tenuia uix summo uestigia puluere signat.
Boiorum ante alias Crixo duce mobilis ala
arietat in primos obicitque immania membra.
ipse tumens ataui Brenni se stirpe ferebat 150
Crixus et in titulos Capitolia capta trahebat
Tarpeioque iugo demens et uertice sacro
pensantes aurum Celtas umbone gerebat.
colla uiri fuluo radiabant lactea torque,
auro uirgatae uestes, manicaeque rigebant 155
ex auro, et simili uibrabat crista metallo.
Sternitur impulsu uasto perculsa Camertum
prima phalanx, spissaeque ruunt conferta per arma
undae Boiorum, sociata examina densent
infandi Senones, collisaque quadrupedantum 160
pectoribus toto uoluuntur corpora campo.

**137** ictum Cm *Ep. 66* : letum ω ni fusus αGΓ$^2$V$^2$ : infusus γ **140** ac α *Drakenborch tacite* : et β **141** sedem F *recte ut videtur, cf. e.g. 1, 540 et Manil. 1, 856 sq.* : c(a)edem F$^2$Lβ accepit αr2Ch : inuenit β : recepit *edd. a* r1 **142** tempora ας : ti- (ty-) β **145** ferunt *vix sanum; an* tenent*? cf. 6, 231* **147** tenuia LV$^2$Γς : tennia F : tenua β **150** ataui ω (-ni VO) : -is *Heinsius* brenni αΓ$^2$ς : breuni β **153** pensantes αG$^2$Γ$^2$ : -em β gerebat ωCh : f- Γς **156** uibrabat αΓ$^2$ς : rub- β **158** conferta F$^2$Γς : -rcta L : -sta Fβ

arua natant, altusque uirum cruor, altus equorum
lubrica belligerae sorbet uestigia turmae.
seminecum letum peragit grauis ungula pulsu
et circumuolitans taetros e sanguine rores 165
spargit humo miserisque suo lauit ora cruore.
spicula prima, puer, tumidi, Tyrrhene, Pelori
purpureo moriens uictricia sanguine tinguis.
nam tibi, dum stimulas cornu atque in proelia mentes
accendis renouasque uiros ad uulnera cantu, 170
haesit barbaricum sub anhelo gutture telum
et clausit raucum letali uulnere murmur.
at sonus extremo morientis fusus ab ore
flexa pererrauit mutis iam cornua labris.
Crixus Picentem Laurumque, nec eminus ambo, 175
sed gladio Laurum; Picenti rasilis hasta
ripis lecta Padi letum tulit. auia namque
dum petit ac laeuo meditatur fallere gyro,
hasta uiri femur et pariter per anhela uolantis
ilia sedit equi, geminam dedit horrida mortem. 180
idem sanguinea Venuli ceruice reuellens
sternit praecipitem tepido te, Farfare, telo
et te sub gelido nutritum, Tulle, Velino,
egregium Ausoniae decus ac memorabile nomen,
si dent fata moras aut seruent foedera Poeni. 185
tum Remulum atque, olim celeberrima nomina bello,

166 ora ω : arma P 167 dumidi Ch *unde* Numidae *Heinsius* tyrrhene (tirrene) Γς : -na ω 171 haesit αΓ² ς : nescit β (hescit V) 174 flexa ωCm *Ep.* 66 : fessa ς 176 gladio F²LΓ²ς : glacho Fβ : gladius (Lauro) *Heinsius* 179 hasta αV²Γς : -i β an(h)ela F²Lβ : unda F : nuda r2Ch *testimonio suspecto, sed* ilia nuda ... equi *habes Stat. silv. 5, 2, 115* 180 et *post* equi *ins. Heinsius falso cod.* P *attribuens; de asyndeto v. Blomgren 26* 182 tepido ωCh : tr- *edd. a* r1 183 tulle αG²Γ² : tule β 186 remulum αGp : ro- γ

Tiburtes Magios Hispellatemque Mataurum
et Clanium dubia meditantem cuspide uulnus.
  Nec locus est Tyriis belli pugnaeue, sed omnem
Celticus impleuit campum furor. irrita nulli 190
spicula torquentur, statque omne in corpore ferrum.
hic inter trepidos immane Quirinius audens,
cui fugere ignotum atque inuicta mente placebat
rebus in aduersis exceptum pectore letum,
cuspide flammat equum ac dispergit gaesa lacerto, 195
si reserare uiam atque ad regem rumpere ferro
detur iter, certusque necis petit omnibus ausis,
quod nequeat sentire, decus. cadit inguine fosso
Teutalus, et uasto quatitur sub pondere tellus.
occumbit Sarmens, flauam qui ponere uictor 200
caesariem crinemque tibi, Gradiue, uouebat
auro certantem et rutilum sub uertice nodum.
sed Parcae intonsa non exaudita uouentem
ad manes traxere coma. per candida membra
it fumans cruor, et tellus perfusa rubescit. 205
at non tardatus iaculo occurrente Ligaunus
irruit aduersumque uiro rotat obuius ensem
et ferit insurgens, umero qua bracchia lenti
annectunt nerui, decisaque uulnere dextra
laxatis paulum moribunda pependit habenis, 210
dumque micans tremulo conatu lora retemptat,
flectentem adsuetos imitatur nescia frenos.

**187** hispellantemque O  mataurum ω *cf. Blomgren 3 sq.* : me- Ch, *sed contra lectionem* ς *adductum* : metaurumque ς  **188** clanium $F^2$Ch : clamum F : damum Lβ  meditantem *Summers* : -tatus ω : -tatum *Barth*  **192** quirinus F (*corr.*) G  **195** gesa β : c- α$G^2$  **198** fosso αΓO : fe- β  **199** teutalus FGO : tent- Lδ : tant- ς  **202** rutilum L$\Gamma^2$ς : ritulum FGV : rutulum $F^2$ΓO  **203** intonsam δς  **204** comam Γς  **205** it α$G^2$Γ : id β  **206** licaunus Γς  **209** laeua *edd. a* v, *sed dormire potuit poeta dum Vergilium imitatur, Aen. 10, 341*

demetit auersi Vosegus tum colla iubaque
suspensam portans galeam atque inclusa perempti
ora uiri patrio diuos clamore salutat. 215
Dumque ea Gallorum populi dant funera campo,
accitas propere castris in proelia consul
raptabat turmas primusque ruebat in hostem
candenti sublimis equo. trahit undique lectum
diuitis Ausoniae iuuenem, Marsosque Coramque 220
Laurentumque decus iaculatoremque Sabellum
et Gradiuicolam celso de colle Tudertem
indutosque simul gentilia lina Faliscos,
quosque sub Herculeis taciturno flumine muris
pomifera arua creant Anienicolae Catilli, 225
quosque in praegelidis duratos Hernica riuis
mittebant saxa et nebulosi rura Casini.
ibant in Martem terrae dominantis alumni,
damnati superis nec iam reditura iuuentus.
Scipio qua medius pugnae uorat agmina uertex 230
infert cornipedem atque instinctus strage suorum
inferias caesis mactat Labarumque Padumque
et Caunum et multo uix fusum uulnere Breucum
Gorgoneoque Larum torquentem lumina uultu.
occidis et tristi, pugnax Lepontice, fato; 235
nam dum frena ferox obiecto corpore prensat
atque aequat celsus residentis consulis ora

213 uosegus F²Ch : uese- ω : uesa- Γς cum Γ (*corr.*) O 222 gradinicolam LGO 223 indutosque αΓς : -ctosque β 224 flumine αr2 *edd. a* v (*de abl. loci v. Blomgren 4 sq.*) : murmure β *per anticipationem vocis* muris *ut puto* : Herculei t. murmure luci *Thilo 1891, 606* : *crucem apposuit Summers* 225 arma α (*corr. in utroque*) anienicolae F² : amen- ω : anienicolaeque Γ²ς 227 mittebat δ (*corr. in* Γ) 230 uorat *edd. a* j : n- ω : notat Γ²ς : rotat v 232 bauarumque ς 233 Caunum Ch : camium α : camum β breucum ωCh : brennum ς 234 limina VO 235 occidit F

ipse pedes, frontem in mediam grauis incidit ensis,
et diuisum umeris iacuit caput. at Batus, amens
qui luctatur equo parmaque incursibus obstat, 240
ictu quadrupedis fulua porrectus harena
elisa incussis amisit calcibus ora.
perfurit Ausonius turbata per aequora ductor,
ceu Geticus Boreas, totum cum sustulit imo
Icarium fundo uictor mare; nauita uasto 245
iactatur sparsus lacerata classe profundo,
cunctaque canenti perfunditur aequore Cyclas.
Crixus, ut in tenui spes exiguumque salutis,
armat contemptu mentem necis. horrida barba
sanguinea rutilat spuma, rictusque furentis 250
albet, et affuso squalent a puluere crines.
inuadit Tarium uicino consule pugnas
miscentem saeuisque uirum circumtonat armis.
uoluitur ille solo; nam pronum effundit in armos
fata extrema ferens abies, rapiturque pauore 255
tractus equi uinctis conexa ad cingula membris.
longa cruor sparso linquit uestigia campo,
et tremulos cuspis ductus in puluere signat.
laudabat leti iuuenem egregiosque parabat
ulcisci consul manes, cum dira per auras 260

238 incidit αr2 *edd. a* v : occ- β 239 at batus αCh : athatus *vel* achatus β : abbatus *edd. a* v 244 gelidus ς uno α 245 icarium $F^2R^2$ *edd. a* v : irarum ω : iratum Λ *Heinsius* 248 exiguaeque (*nom. pl.*) *Watt 1985* : *an* exiguoque? *post 248 versum excidisse putat Summers qualem habet* j iam uidet esse suae mortemque astare propinquam, *sed ellipsis verbi in sententiis secundariis reperitur e.g. 7, 88; 14, 458; 16, 227* 251 affuso ω *Livineius* : eff- $\Gamma^2$ς 252 tarium ω : 'Darium *vel* Clarium' Ch : '*forte* Marium *ut sit Romanum nomen*' *Heinsius, sed v. RE s.v. Tarius* 254 armos *suspectum; an* ora? *cf. 17, 484* 256 iunctis $F^2L^2V^2$ cingula $R^2\Pi^2$ *Marsus in comm. edd. a* l : s- ω 257 linquit αΓς : liquit β 260 auras $W^2$ς : -is (-es) ω *edd. recc.*

uox uenit, et Crixum ferri clamoribus audit,
haud notum uultu. surgit uiolentior ira
comminus atque oculos optato in corpore figit.
tum stimulans grato plausae ceruicis honore
cornipedem alloquitur: 'uulgum Martemque minorem 265
mox, Gargane; uocant superi ad maiora. uidesne,
quantus eat Crixus? iam nunc tibi praemia pono
illum Sidonio fulgentem ardore tapeta,
barbaricum decus, et fuluis donabere frenis.'
sic fatus magno Crixum clamore ciebat 270
in pugnam ac uacuo poscebat proelia campo.
nec detrectantem par ira accenderat hostem.
ut iussae cessere retro spatiumque dederunt
hinc atque hinc alae, et medio stetit aequore pugna,
quantus Phlegraeis Telluris alumnus in aruis 275
mouit signa Mimas caelumque exterruit armis,
tantus semifero Crixus sub pectore murmur
torquet et horrisonis ululatibus erigit iras:
'nemone incensae captaeque superfuit urbi,
ut tibi, quas Brenni populus ferremus in arma, 280
narraret, dextras? disce en nunc' inquit et una
contorquet nodis et obusto robore duram
uel portas quassare trabem. sonat illa tremendum
ac nimio iactu seruasse improuida campi
distantis spatium propiorem transuolat hostem. 285
cui consul: 'ferre haec umbris proauoque memento,
quam procul occumbas Tarpeia sede, tibique
haud licitum sacri Capitolia cernere montis.'
tum nodo cursuque leui simul adiuuat hastam

*versus 265 sq. frustra varie temptatos def. Blomgren 21* **267** eat αGς : erat γ nunc Γς : t- ω **272** detrectantem F²r1 : detra- ω **274** et αr2Ch : *om.* β **276** Mimas b1 (*Modius Ep. 66 totum versum in* b2 *omissum inseruit*) : mumas F : numas L : minax β caelumque Cm : et c. ω **277** semifero αΓ² : serui- β **278** exigit Γς **281** nunc αΓς : t- β **282** duram *Gronovius* : di- ω

dignum mole uiri nisus. fugit illa per oras 290
multiplicis lini subtextaque tegmina neruis
atque altum tota metitur cuspide pectus.
procumbit lata porrectus in arua ruina,
et percussa gemit tellus ingentibus armis.
haud aliter structo Tyrrhena ad litora saxo 295
pugnatura fretis subter caecisque procellis
pila immane sonans impingitur ardua ponto;
immugit Nereus, diuisaque caerula pulsu
illisum accipiunt irata sub aequora montem.
ductore amisso pedibus se credere Celtae; 300
una spes anima tantusque pependerat ardor.
ac ueluti summo uenator densa Picano
cum lustra exagitat spissisque cubilibus atram
immittit passim dumosa per inuia pestem,
dum tacitas uires et flammam colligit ignis, 305
nigranti piceus sensim caligine uertex
uoluitur et pingui contorquet nubila fumo,
mox subita in toto lucent incendia monte,
fit sonitus, fugere ferae, fugere uolucres,
atque ima longe trepidant in ualle iuuencae. 310
At Mago ut uertisse globos primumque laborem,
qui solus genti est, cassum uidet, arma suorum
ac patrium in pugnas equitem uocat. undique nudi
adsiliunt frenis infrenatique manipli.
nunc Itali in tergum uersis referuntur habenis, 315

**290** dignum FCm *Ep. 88* : -am F²Lβ nisus αGCm : nixus γ oras ωCm : ora *edd. a* r1 **291** subtextaque Ch : -tect- ω **293** arua ωCm : arma *edd. a* r1 **301** anima ωCm : -ae *edd. a* l **302** ac Γ²ς : at ω *mons Picanus ignotus, cf. Avien. orb. terr. 499* **308** toto ω : tanto Ch **310** ima QZr2Cm : una ω **312** cassum FΓς : casum Lβ **313** patrium ωCm : primum *edd. a* r1 nudi ω (*ex corr.* FL) : -is Γ²ς **314** infrenati *i. cum frenis, perperam Thes. 7, 1, 1488, 7* **315** itali αΓ² : -is β

nunc rursus Tyrias retro pauor auehit alas.
aut illi dextros lunatis flexibus orbes,
aut illi laeuos sinuant in cornua gyros.
texunt alterno glomerata uolumina cursu
atque eadem refuga cedentes arte resoluunt. 320
hac pontum uice, ubi exercet discordia uentos,
fert Boreas Eurusque refert molemque profundi
nunc huc alterno, nunc illuc flamine gestant.
Aduolat aurato praefulgens murice ductor
Sidonius circaque Metus Terrorque Furorque. 325
isque ubi Callaici radiantem tegminis orbem
extulit et magno percussit lumine campos,
spes uirtusque cadunt, trepidaque a mente recedit
uertere terga pudor, nec leti cura decori,
sed fugere infixum est, terraeque optantur hiatus. 330
sic, ubi Caucaseis tigris se protulit antris,
linquuntur campi et tutas petit omne latebras
turbatum insano uultu pecus; illa pererrat
desertas uictrix ualles iamque ora reducto
paulatim nudat rictu ut praesentia mandens 335
corpora et immani stragem meditatur hiatu.
non illum Metabus, non illum celsior Vfens
euasere tamen, quamuis hic alite planta,
hic ope cornipedis totis ferretur habenis.
nam Metabum ad manes demisit cuspide fulgens 340
fraxinus, Vfentem collapsum poplite caeso
ensis obit laudemque pedum cum sanguine ademit.

316 auehit ω *Livineius* : adu- LG²Γς 318 sinuant F²Γ²O : sumant ω 320 atque eadem αCm *Ep. 88* : atque c(a)edem β (sedem O) : ac caedem Γ²ς refuga Cm : -am ω arce α (*corr. in* F) 322 eurusque *edd. a* v : cursusque ω 334 desertas αCm *Ep. 88* : desiectas GV : disiectas ΓO ora F²Γ²ς : ore ω 335 mandens Cm *Ep. 88* (-ans Ch *fort. per errorem typogr.*) : -des F : -det F²Lβ : -dat Γ²ς 336 et αG²Γ : atque β meditatur αΓ²ς : -etur β 341 fraxinus αG²Γ²ς : era- β caeso αCh : fesso GT : flexo G²VΓ²O

iamque dedit leto Stheniumque Larumque domoque
Collinum gelida, uiridi quem Fucinus antro
nutrierat dederatque lacum tramittere nando. 345
fit socius leti coniecta Massicus hasta,
uitiferi sacro generatus uertice montis
et Liris nutritus aquis, qui fonte quieto
dissimulat cursum ac nullo mutabilis imbri
perstringit tacitas gemmanti gurgite ripas. 350
exoritur rabies caedum, ac uix tela furori
sufficiunt. teritur iunctis umbonibus umbo,
pesque pedem premit, et nutantes casside cristae
hostilem tremulo pulsant conamine frontem.
Tergemini primam ante aciem fera proelia fratres 355
miscebant, quos Ledaeo Sidonia Barce
Xanthippo felix uteri inter bella crearat.
res Graiae ductorque parens ac nobile Amyclae
nomen et iniectus Spartanis colla catenis
Regulus inflabant ueteri praecordia fama. 360
Marte probare genus factisque Lacona parentem
ardebant gelidosque dehinc inuisere montes
Taygeta et tandem bellis innare subactis
Eurotan patrium ritusque uidere Lycurgi.
sed Spartam penetrare deus fratresque negabant 365
Ausonii, totidem numero, quos miserat altis
Egeriae genitos immitis Aricia lucis,

343 Stheniumque Larumque *scripsi* (Larumque Ch) : sthemumque laurumque ω : stemum (*vel* stemium) laurumque $\Gamma^2$ς : Shenium Laurumque *edd. recc.* 344 fucinus L$\Gamma^2$ς : -mus F (-ci- *ex corr.*) : fuscinus β 345 lacum ας : lo- β 348 fronte quieta *Thilo* (*Bauer praef. XV*), *Summers, perverse, v. Håkanson* 350 gemmanti $\Gamma^2$W$^2$BQ : gemin- ω (germ- F) *versus 351–354 ut huic loco parum aptos vituperant Lenz et Summers* 355 fera ω (fra F *omisso* fratres) : sacra Ch 358 Graias Ch 361 lacona α$\Gamma^2$ς : li- β 362 que *om.* Γς 363 innare F$^2$Π$^2$ *edd. a* v : iuuare ω : iuuat ire $\Gamma^2$ς 364 patrium α$\Gamma^2$ς : patrum β ritusque αG$^2\Gamma^2$ : rict- β 365 negarunt Ch *edd. recc., sed cf. 368*

aetatis mentisque pares; at non dabat ultra
Clotho dura lacus aramque uidere Dianae.
namque ut in aduersos impacti turbine pugnae 370
Eumachus et Critias et laetus nomine patris
Xanthippus iunxere gradus, ceu bella leones
inter se furibunda mouent et murmure anhelo
squalentes campos et longa mapalia complent –
omnis in occultas rupes atque auia pernix 375
Maurus saxa fugit, coniunxque Libyssa profuso
uagitum cohibens suspendit ab ubere natos;
illi dira fremunt, perfractaque in ore cruento
ossa sonant, pugnantque feri sub dentibus artus –
haud secus Egeriae pubes, hinc Virbius acer, 380
hinc Capys, adsiliunt paribusque Albanus in armis.
subsidens paulum perfossa proruit aluo
Albanum Critias; ast illi cuncta repente
implerunt clipeum miserando uiscera lapsu.
Eumachus inde Capyn; sed tota mole tenebat 385
ceu fixum membris tegimen; tamen improbus ensis
annexam parmae decidit uulnere laeuam,
inque suo pressa est non reddens tegmina nisu
infelix manus atque haesit labentibus armis.
ultima restabat fusis iam palma duobus 390
Virbius. huic trepidos simulanti ducere gressus
Xanthippus gladio, rigida cadit Eumachus hasta,
et tandem aequatae geminato funere pugnae.
inde alterna uiris transegit pectora mucro,
inque uicem erepta posuerunt proelia uita. 395
felices leti, pietas quos addidit umbris!

368 at Γ²ς : ac ω 369 dira ς 374 ac F²L 378 dira F²LGO : dura Fδς perfractaque F²Lγ (que *om.* O) : -factaque F : -fectaque GCh 379 feri ω : -is HQZΠr2 *edd. recc.* 380 uiribus LG 384 uiscera G²Γ²ς : misera ω 385 capyn Lv : capin F : capiti β : capi Γ²ς 388 nisu F²Γ²ς : u- ω 391 uiribus O simulanti r1 : sti- ω 396 addidit ω : abd- G² : all- δ : allicit Γ²ς

optabunt similes uenientia saecula fratres,
aeternumque decus memori celebrabitur aeuo,
si modo ferre diem serosque uidere nepotes
carmina nostra ualent, nec famam inuidit Apollo. 400
At consul toto palantes aequore turmas
uoce tenet, dum uoce uiget: 'quo signa refertis?
quis uos heu uobis pauor abstulit? horrida primi
si sors uisa loci pugnaeque lacessere frontem,
post me state uiri et pulsa formidine tantum 405
adspicite! has dextras capti genuere parentes,
quas fugitis. quae spes uictis? Alpesne petemus?
ipsam turrigeros portantem uertice muros
credite summissas Romam nunc tendere palmas.
natorum passim raptus caedemque parentum 410
Vestalesque focos exstingui sanguine cerno.
hoc arcete nefas!' postquam inter talia crebro
clamore obtusae crassoque a puluere fauces,
hinc laeua frenos, hinc dextra corripit arma
et latum obiectat pectus strictumque minatur 415
nunc sibi, nunc trepidis, ni restent, comminus ensem.
Quas acies alto genitor dum spectat Olympo,
consulis egregii mouere pericula mentem.
Gradiuum uocat et patrio sic ore profatur:
'magnanimi me, nate, uiri, ni bella capessis, 420
haud dubie extremus terret labor. eripe pugnae
ardentem oblitumque sui dulcedine caedum.
siste ducem Libyae; nam plus petit improbus uno
consulis exitio tota quam strage cadentum.
praeterea, cernis, tenerae qui proelia dextrae 425

399 serosque *Livineius* : miserosque ω 405 stare F 406 parentes ς : -m ω 407 quas L *Heinsius* : qua Fβ : quos r2 *edd. a* v *in 406 post* dextras *interpungentes* alpesne ας : -ue β 408 turrigeros ω *cf. Ov. fast. 4, 219; 6, 321; am. 3, 8, 47; trist. 3, 4, 105* : -o *edd. a* r1 410 parentum $V^2$ΓO : -em ω 420 ni LGΓ$^2$ : in Fγ 423 ducem αΓ$^2$ς : -s β

iam credit puer atque annos transcendere factis
molitur longumque putat pubescere bello,
te duce primitias pugnae, te magna magistro
audeat et primum hoc uincat, seruasse parentem.'
  Haec rerum sator. at Mauors in proelia currus 430
Odrysia tellure uocat; tum fulminis atri
spargentem flammas clipeum galeamque deorum
haud ulli facilem multoque labore Cyclopum
sudatum thoraca capit quassatque per auras
Titanum bello satiatam sanguinis hastam 435
atque implet curru campos. exercitus una
Irarum Eumenidesque simul letique cruenti
innumerae facies, frenisque operata regendis
quadriiugos atro stimulat Bellona flagello.
fertur ab immenso tempestas horrida caelo 440
nigrantesque globos et turbida nubila torquens
inuoluit terras. quatitur Saturnia sedes
ingressu tremefacta dei, ripasque relinquit
audito curru fontique relabitur amnis.
  Ductorem Ausonium telis Garamantica pubes 445
cinxerat et Tyrio regi noua dona parabat,
armorum spolium ac rorantia consulis ora.
stabat Fortunae non cedere certus et acri
mole retorquebat crudescens caedibus hastas,
iamque suo, iamque hostili perfusa cruore 450
membra madent, cecidere iubae gyroque per orbem
artato Garamas iaculis propioribus instat
et librat saeua contortum cuspide ferrum.
hic puer ut patrio defixum corpore telum
conspexit, maduere genae, subitoque trementem 455
corripuit pallor, gemitumque ad sidera rupit.
bis conatus erat praecurrere fata parentis

**431** odrisia $\alpha\Gamma^2\varsigma$ : -tia (-cia) β **436** at i. δς **447** ac α : et β **453** contortum *Delz 1983, 219, cf. e.g. 2, 87sq.* : contum F : coniectum $F^2L\beta$ : traiectum Ch

conuersa in semet dextra, bis transtulit iras
in Poenos Mauors. fertur per tela, per hostes
intrepidus puer et Gradiuum passibus aequat. 460
continuo cessere globi, latusque repente
apparet campo limes. metit agmina tectus
caelesti clipeo et sternit super arma iacentum
corporaque auctorem teli multasque paternos
ante oculos animas, optata piacula, mactat. 465
tunc rapta propere duris ex ossibus hasta
innixum ceruice ferens umeroque parentem
emicat. attonitae tanta ad spectacula turmae
tela tenent, ceditque loco Libys asper, et omnis
late cedit Hiber, pietasque insignis et aetas 470
belligeris fecit miranda silentia campis.
tum celso e curru Mauors 'Carthaginis arces
exscindes' inquit 'Tyriosque ad foedera coges.
nulla tamen longo tanta exorietur in aeuo
lux tibi, care puer. macte, o macte indole sacra, 475
uera Iouis proles. et adhuc maiora supersunt,
sed nequeunt meliora dari.' tum nubila Mauors
aetheraque emenso terras iam sole capessit,
et fessas acies castris clausere tenebrae.

Condebat noctem deuexo Cynthia curru 480
fraternis afflata rotis, et ab aequore Eoo
surgebant roseae media inter caerula flammae.
at consul tristes campos Poenisque secundam
planitiem metuens Trebiam collesque petebat.
iamque dies rapti cursu nauoque labore, 485
et medio abruptus fluitabat in amne solutis
pons uinclis, qui Dardanium trauexerat agmen,
Eridani rapidas aderat cum Poenus ad undas,

**464** corpora et O **466** durisque o. F (*corr.*) : duris et o. O **474** exoriretur V (*corr.*) O **485** nauoque *Livineius* : uanoque ωCh : uarioque Ξ *edd. a* v **486** fluitabat Γς : fluct- α : fluctu- β *v. ad 2, 310*

dumque uada et molles aditus per deuia flexo
circuitu petit et stagni languentia quaerit, 490
interdum rapta uicinis saltibus alno
flumineam texit, qua trauehat agmina, classem.
ecce aderat Trebiaeque simul uicina tenebat
Trinacrio accitus per caerula longa Peloro
Gracchorum proles, consul. gens inclita magno 495
atque animosa uiro, multusque in imagine claris
praefulgebat auus titulis bellique domique.
Nec Poeni positis trans amnem in gramine castris
derant; namque animos stimulabant prospera rerum
increpitansque super ductor: 'quis tertius urbi 500
iam superest consul? quaenam altera restat in armis
Sicania? en omnes Latiae Daunique nepotum
conuenere manus. feriant nunc foedera mecum
ductores Italum ac leges et pacta reposcant.
at tu, donata tela inter Martia luce, 505
infelix animae, sic, sic uiuasque tuoque
des iterum hanc laudem nato, nec fine sub aeui
oppetere in bello detur, cum fata uocabunt.
pugnantem cecidisse meum est.' haec personat ardens.
inde leui iaculo Massylumque impiger alis 510
castra sub ipsa datis irritat et elicit hostem.
Nec Latius uallo miles debere salutem
fas putat aut clausas pulsari cuspide portas.
erumpunt, cunctisque prior uolat aggere aperto
degener haud Gracchis consul. quatit aura comantes 515
cassidis Auruncae cristas, umeroque refulget
sanguinei patrium saguli decus. agmina magno
respectans clamore uocat, quaque obuia densos
artat turba globos, rumpens iter aequore fertur,

497 perfulgebat Gς  499 derant F *cf. Thes. 5, 1, 778, 55 sqq.* : degant L : deerant β  503 *om.* F *propter* -um *in fine versus*  504 itallum F : italium L  515 gracc(h)us Γς

ut torrens celsi praeceps e uertice Pindi 520
cum sonitu ruit in campos magnoque fragore
auulsum montis uoluit latus, obuia passim
armenta immanesque ferae siluaeque trahuntur,
spumea saxosis clamat conuallibus unda.
Non, mihi Maeoniae redeat si gloria linguae 525
centenasque pater det Phoebus fundere uoces,
tot caedes proferre queam, quot dextera magni
consulis aut contra Tyriae furor edidit irae.
Murranum ductor Libyae, ductorque Phalantum
Ausonius, gnaros belli ueteresque laborum, 530
alter in alterius fuderunt comminus ore.
monte procelloso Murranum miserat Axur,
Tritonis niueo te sacra, Phalante, profundo.
ut primum insigni fulsit uelamine consul,
quamquam orbus partem uisus unoque Cupencus 535
lumine sufficiens bellis, citat improbus hastam
et summae figit tremebundam margine parmae.
cui consul, namque ira coquit: 'pone, improbe, quicquid
restat in ore fero et truncata fronte relucet.'
sic ait intorquens derecto turbine robur 540
et dirum tota tramittit cuspide lumen.
nec leuior dextra generatus Hamilcare saeuit.
huic cadit infelix niueis Varenus in armis,
Meuanas Varenus, arat cui diuitis uber
campi Fulginia et patulis Clitumnus in aruis 545

**521** rumpit c. F (*corr. marg.*) **526** rumpere *edd. a* r1 **529** *et* **532** mur(r)anum $\Gamma^2$ς : murmuranum ω **532** axur ω : anxur ΓO (au- O) ς *v. Blomgren 4* **533** tritonis ς : tric- ω uitreo *Markland ad Stat. silv. 2, 3, 16, sed poetam de sale concreto cogitasse arbitror* **535** Cupencus Ch *cf. Verg. Aen. 12, 539* : co- F : ca- L : cupentus β **539** relucet $\Gamma^2$ς : red- ω **540** derecto ωCh : di- $\Gamma^2$ς **543** huic α$\Gamma^2$ς : hinc β uarenus $G^2$YCh : -os ω (*sed* -us *in* 544) : uarrenos V : uarrenus $V^2$Γς **544** meuanas αCh : -no β : -nus *edd. a* v **545** fulginia δ$O^2$ς : -ea ω

candentes gelido perfundit flumine tauros.
sed tristes superi, atque ingrata maxima cura
uictima Tarpeio frustra nutrita Tonanti.
instat Hiber leuis et leuior discurrere Maurus.
hinc pila, hinc Libycae certant subtexere cornus 550
densa nube polum, quantumque interiacet aequi
ad ripas campi, tantum uibrantia condunt
tela, nec artatis locus est in morte cadendi.
Allius Argyripa Daunique profectus ab aruis
uenator rudibus iaculis et Iapyge campum 555
persultabat equo mediosque inuectus in hostes
Apula non uana torquebat spicula dextra.
huic horret thorax Samnitis pellibus ursae,
et galea annosi uallatur dentibus apri.
uerum ubi turbantem, solo ceu lustra pererret 560
in nemore aut agitet Gargano terga ferarum,
hinc Mago, hinc saeuus pariter uidere Maharbal,
ut subigente fame diuersis rupibus ursi
inuadunt trepidum gemina inter proelia taurum
nec partem praedae patitur furor, haud secus acer 565
hinc atque hinc iaculo deuoluitur Allius acto.
it stridens per utrumque latus Maurusia taxus;
obuia tum medio sonuerunt spicula corde,
incertumque fuit, letum cui cederet hastae.
et iam dispersis Romana per agmina signis 570
palantes agit ad ripas, miserabile, Poenus
impellens trepidos fluuioque immergere certat.
Tum Trebia infausto noua proelia gurgite fessis
incohat ac precibus Iunonis suscitat undas.
haurit subsidens fugientum corpora tellus 575
infidaque soli frustrata uoragine sorbet.

554 profectus $R^2Q^2H^2\Pi$v : -fessus ω 558 huic $\Gamma^2\Pi^2$pc : hinc ω sannitis $F^2$ *in lac.* : sannutis L 563 diuersi L 569 crederet F (*corr.*) *Heinsius, sed cf. Lucan. 2, 150sq.* 573 infausta δ (*corr. in* Γ) 574 ac ωCh : et δς

nec niti lentoque datur conuellere limo
mersa pedum penitus uestigia; labe tenaci
haerent deuincti gressus, resolutaque ripa
implicat aut caeca prosternit fraude paludis. 580
iamque alius super atque alius per lubrica surgens
dum sibi quisque uiam per inextricabile litus
praeripit et putri luctatur caespite, lapsi
occumbunt seseque sua pressere ruina.
ille celer nandi iamiamque apprendere tuta 585
dum parat et celso conisus corpore prensat
gramina summa manu liquidisque emergit ab undis,
contorta ripae pendens affigitur hasta.
hic hostem orbatus telo complectitur ulnis
luctantemque uado permixta morte coercet. 590
mille simul leti facies. Ligus occidit aruis,
sed proiecta uiri lymphis fluuialibus ora
sanguineum hauserunt longis singultibus amnem.
enabat tandem medio uix gurgite pulcher
Hirpinus sociumque manus clamore uocabat, 595
cum rapidis illatus aquis et uulnere multo
impulit asper equus fessumque sub aequora mersit.
  Accumulat clades subito conspecta per undas
uis elephantorum turrito concita dorso.
namque uadis rapitur praeceps ceu proruta cautes 600
auulsi montis Trebiamque insueta timentem
prae se pectore agit spumantique incubat alueo.
explorant aduersa uiros, perque aspera duro
nititur ad laudem uirtus interrita cliuo.

578 tabe *Ruperti, sed v. Thes. 7, 2, 770, 65* 579 adiuncti O 585 iamiamque $\Gamma^2$ς : ianuamque ω 586 connisus αGCh : -xus γ 590 luctantemque αCm *Ep. 88* : und- β 595 Hirpinus *edd. vett. cf. 8, 569* : ir- ωCh 597 fessusque $\Gamma^2$ς 598 accumulat $F^2$Γς : ac tumula F : at cumula L : at comula β 600 praeceps rapitur *Drakenborch per errorem* 601 trementem $\Gamma^2$ς 604 cliuo $F^2$L$G^2$ς : diuo Fβ

namque inhonoratam Fibrenus perdere mortem 605
et famae nudam impatiens 'spectabimur' inquit
'nec, Fortuna, meum condes sub gurgite letum.
experiar, sitne in terris, domitare quod ensis
non queat Ausonius Tyrrhenaue permeet hasta.'
tum iacit adsurgens dextroque in lumine sistit 610
spicula saeua ferae telumque in uulnere linquit.
stridore horrisono penetrantem cuspidis ictum
belua prosequitur laceramque cruore profuso
attollit frontem ac lapso dat terga magistro.
tum uero inuadunt iaculis crebraque sagitta 615
ausi iam sperare necem, immensosque per armos
et laterum extensus uenit atra cuspide uulnus.
stat multa in tergo et nigranti lancea dorso,
ac siluam ingentem concusso corpore uibrat,
donec consumptis longo certamine telis 620
concidit et clausit magna uada pressa ruina.
Ecce per aduersum, quamquam tardata morantur
uulnere membra uirum, subit implacabilis amnem
Scipio et innumeris infestat caedibus hostem.
corporibus clipeisque simul galeisque cadentum 625
contegitur Trebia, et uix cernere linquitur undas.
Mazaeus iaculo, Gestar prosternitur ense,
tum Pelopeus auis Cyrenes incola Thelgon.

605 perdere ωCm *Ep. 16* : cernere *edd. a* j 606 nudam LCm : undam Fβ : mundam $Γ^2$ς spectabitur $Γ^2$r1mpCh (?) 609 -ue αCm : -ne β : -que $Γ^2$ς permeet Cm : -uicet α : -uitet G : -nicet γ : -necet Γς 611 uulnere αr2b1 : lumine β linquit ωCh : liquit Γς 614 ac αGO *Drakenborch tacite* : et δς 616 immensoque V (*corr.*) O 617 extensus ω : -tus P *Lefebvre, Summers* (*neutrum substantivum alibi invenitur, sed cf. Stat. silv. 1, 1, 29* laterum passus) arta *i. densa Schrader, Damsté post 618 excidit fort. versus* 621 uada pressa Cm *Ep. 16* : pressa F : pressura $F^2$ : pressante L : depressa β 627 mezeus Γς 628 pelope(i)us $F^2R^2Γ^2$ς : pol- ω aruis Γς Cyrenes b1 : -is ω

huic torquet rapido correptum e gurgite pilum
et quantum longo ferri tenuata rigore 630
procedit cuspis, per hiantia transigit ora.
pulsati ligno sonuere in uulnere dentes.
nec leto quaesita quies: turgentia membra
Eridano Trebia, Eridanus dedit aequoris undis.
tu quoque, Thapse, cadis tumulo post fata negato. 635
quid domus Hesperidum aut luci iuuere dearum
fuluos aurifera seruantes arbore ramos?
  Intumuit Trebia et stagnis se sustulit imis
iamque ferox totum propellit gurgite fontem
atque omnes torquet uires. furit unda sonoris 640
uerticibus, sequiturque nouus cum murmure torrens.
sensit et accensa ductor uiolentius ira
'magnas, o Trebia, et meritas mihi, perfide, poenas
exsolues' inquit. 'lacerum per Gallica riuis
dispergam rura atque amnis tibi nomina demam, 645
quoque aperis te fonte, premam, nec tangere ripas
illabique Pado dabitur. quaenam ista repente
Sidonium, infelix, rabies te reddidit amnem?'
  Talia iactantem consurgens agger aquarum
impulit atque umeros curuato gurgite pressit. 650
arduus aduersa mole incurrentibus undis
stat ductor clipeoque ruentem sustulit amnem.
necnon a tergo fluctus stridente procella
spumeus irrorat summas adspergine cristas.
ire uadis stabilemque uetat defigere gressum 655
subducta tellure deus, percussaque longe
raucum saxa sonant, undaeque ad bella parentis

629 huic α$\Gamma^2$ς : hinc β 630 longo α *edd. a* v : -um β 633 leto Cm *Ep. 16* : iacto ω 635 t(h)apse ω *Livineius* : lapse r2 *edd. a* v 638 intumuit α *edd. a* r1 : -ton- βr2 649 aggere ς 651 mola δ (*corr. in* Γ) incurrentibus αCh : irrumpentibus β 652 sustinet *edd. a* c, *sed cf. Stat. Theb. 9, 464* 657 parentis ω (-antis G)Ch : patentes *edd. a* j

excitae pugnant, et ripas perdidit amnis.
tum madidos crines et glauca fronde reuinctum
attollit cum uoce caput: 'poenasne superbas 660
insuper et nomen Trebiae delere minaris,
o regnis inimice meis? quot corpora porto
dextra fusa tua! clipeis galeisque uirorum,
quos mactas, artatus iter cursumque reliqui.
caede, uides, stagna alta rubent retroque feruntur. 665
adde modum dextrae aut campis incumbe propinquis.'
Haec Venere adiuncta tumulo spectabat ab alto
Mulciber obscurae tectus caligine nubis.
ingrauat ad caelum sublatis Scipio palmis:
'di patrii, quorum auspiciis stat Dardana Roma, 670
talin me leto tanta inter proelia nuper
seruastis? fortine animam hanc exscindere dextra
indignum est uisum? redde o me, nate, periclis,
redde hosti! liceat bellanti accersere mortem,
quam patriae fratrique probem.' tum percita dictis 675
ingemuit Venus et rapidas derexit in amnem
coniugis inuicti uires. agit undique flammas
dispersus ripis ignis multosque per annos
nutritas fluuio populatur feruidus umbras.
uritur omne nemus, lucosque effusus in altos 680
immissis crepitat uictor Vulcanus habenis.
iamque ambusta comas abies, iam pinus et alni,
iam solo restans trunco dimisit in altum
populus adsuetas ramis habitare uolucres.
flamma uorax imo penitus de gurgite tractos 685

**659** fronde αGV²O²ς : -te γ **660** -ne F²p : -ue α : -que β **661** minaris F²Γς : -cis ω **662** quot ωCh : tot δς porto α *edd. a* j : porro β **663** tua αYp : mea β **666** et Γς **672** fortine FCh : fortun(a)e Lβ **673** me *edd. a* r1 : mi ω **676** derexit *v. ad* 2, 92 : di- Ch : detexit ω : detrusit Γ²ς **677** flammas ωCh : -m ς **679** umbras ωlCm *Ep. 59* : undas *edd. a* r1 **685** imo αΓ²ς : uno β

absorbet latices, saeuoque urgente uapore
siccus inarescit ripis cruor. horrida late
scinditur in rimas et hiatu rupta dehiscit
tellus, ac stagnis altae sedere fauillae.
  Miratur pater aeternos cessare repente 690
Eridanus cursus, Nympharumque intima maestus
impleuit chorus attonitis ululatibus antra.
ter caput ambustum conantem attollere iacta
lampade Vulcanus mersit fumantibus undis,
ter correpta dei crines nudauit harundo. 695
tum demum admissae uoces et uota precantis
orantique datum ripas seruare priores,
ac tandem a Trebia reuocauit Scipio fessas
munitum in collem Graccho comitante cohortes.
at Poenus multo fluuium ueneratus honore 700
gramineas undis statuit socialibus aras,
nescius heu, quanto superi maiora mouerent,
et quos Ausoniae luctus, Thrasymenne, parares.
  Boiorum nuper populos turbauerat armis
Flaminius, facilisque uiro tum gloria belli 705
corde leuem atque astus inopem contundere gentem.
sed labor haud idem Tyrio certasse tyranno.
hunc laeuis urbi genitum ad fatalia damna
ominibus parat imperio Saturnia fesso
ductorem dignumque uirum ueniente ruina. 710
inde ubi prima dies iuris, clauumque regendae
inuasit patriae, et sub nutu castra fuere,
ut pelagi rudis et pontum tractare per artem
nescius accepit miserae si iura carinae,

**687** siccus $\alpha G^2 \Gamma^2 \varsigma$ : succus $\beta$ **692** attonitis $\Gamma^2 \varsigma$ : -us $\omega$ **693** iacta $\Gamma^2 \varsigma$ : -u $\omega$ **695** nudauit $\Gamma^2 \varsigma$ : und- $\omega$ **696** admissae uoces $\omega$ (a. *etiam* Ch) : amissae u. $\delta$ : amissae uires $\Gamma^2 \varsigma$ uota $R^2$ *Livineius, Gronovius* : uoce $\omega$ **700** at $\delta \varsigma$ : ac $\omega$ **701** statuit $\alpha$Ch : strauit $\beta$ **705** dum Ch **711** iuris $F \Gamma^2 \varsigma$ : uiris L$\beta$ **712** et $\omega$ : ac PCd *edd. recc.* **714** iura $\alpha \delta \varsigma$ : uita $\beta$

uentorum tenet ipse uicem cunctisque procellis 715
dat iactare ratem, fertur uaga gurgite puppis
ipsius in scopulos dextra impellente magistri –
ergo agitur raptis praeceps exercitus armis
Lydorum populos sedemque ab origine prisci
sacratam Corythi iunctosque a sanguine auorum 720
Maeonios Italis permixta stirpe colonos.

Nec regem Afrorum noscenda ad coepta moratur
laude super tanta monitor deus. omnia somni
condiderant aegrisque dabant obliuia curis,
cum Iuno in stagni numen conuersa propinqui 725
et madidae frontis crines circumdata fronde
populea stimulat subitis praecordia curis
ac rumpit ducis haud spernenda uoce quietem:
'o felix famae et Latio lacrimabile nomen
Hannibal, Ausonia si te fortuna creasset, 730
ad magnos uenture deos, cur fata tenemus?
pelle moras. breuis est magni fortuna fauoris.
quantum uouisti, cum Dardana bella parenti
iurares, fluet Ausonio tibi corpore tantum
sanguinis, et patrias satiabis caedibus umbras. 735
nobis persolues meritos securus honores.
namque ego sum, celsis quem cinctum montibus ambit
Tmolo missa manus, stagnis Thrasymennus opacis.'

His agitur monitis et laetam numine pubem
protinus aerii praeceps rapit aggere montis. 740

719 L. in p. *edd. a* j, *sed v. Blomgren* **722** noscenda Ξb1 : na- ω : *locum varie temptatum Summers corruptum putat, non ego, cf. Sen. nat. 5, 18, 14* dedit uentos ad ulteriora noscenda *et Caes. civ. 2, 39, 6* ne haec quidem res Curionem ad spem morabatur **725** cum Fβ : quin F²L numen αCm *Ep. 59* : iuuenem β **730** ausonia F²Lβ : -ae F *edd. recc., sed v. Blomgren et cf. 7, 36* **731** cur αδ : cui GO : cum *edd. a* r1 **735** caedibus V²Γ²ς : sed- ω **737** cinctum montibus Γ²ς : cunctis mentibus ω **738** tmolo F²Γ²ς : tinolo α : tiuola β (tmola O)

horrebat glacie saxa inter lubrica summo
piniferum caelo miscens caput Apenninus.
condiderat nix alta trabes, et uertice celso
canus apex stricta surgebat ad astra pruina.
ire iubet. prior exstingui labique uidetur 745
gloria, post Alpes si stetur montibus ullis.
scandunt praerupti nimbosa cacumina saxi.
nec superasse iugum finit mulcetue laborem;
plana natant, putrique gelu liquentibus undis
inuia limosa restagnant arua palude. 750
iamque ducis nudus tanta inter inhospita uertex
saeuitia quatitur caeli manante per ora
perque genas oculo. facilis spreuisse medentes
optatum bene credit emi quocumque periclo
bellandi tempus; non frontis parcit honori, 755
dum ne perdat iter, non cetera membra moratur
in pretium belli dare, si uictoria poscat,
satque putat lucis, Capitolia cernere uictor
qua petat atque Italum feriat qua comminus hostem.
talia perpessi tandem inter saeua locorum 760
optatos uenere lacus, ubi deinde per arma
sumeret amissi numerosa piacula uisus.
Ecce autem patres aderant Carthagine missi.
causa uiae non parua uiris, nec laeta ferebant.
mos fuit in populis, quos condidit aduena Dido, 765
poscere caede deos ueniam ac flagrantibus aris,
infandum dictu, paruos imponere natos.
urna reducebat miserandos annua casus
sacra Thoanteae ritusque imitata Dianae.
cui fato sortique deum de more petebat 770

744 structa *Livineius, sed cf. e.g. Val. Fl. 1, 513* 748 *et* 750 *deerant in* C *teste Heinsio* 748 -ue ω : -que Oς 749 liquentibus αΓς : linqu- β 753 oculos F (*corr.*) BXΠ *edd. vett.* medentes $\Pi^2\Sigma^2$ *edd. a* m : ma- ω 759 feriat $\alpha G^2 V^2 \Gamma$ : feria β 770 fortique FGV

Hannibalis prolem discors antiquitus Hannon.
sed propior metus armati ductoris ab ira
et magna ante oculos stabat redeuntis imago.
  Asperat haec foedata genas lacerataque crines
atque urbem complet maesti clamoris Imilce, 775
Edonis ut Pangaea super trieteride mota
it iuga et inclusum suspirat pectore Bacchum.
ergo inter Tyrias facibus ceu subdita matres
clamat: 'io coniunx, quocumque in cardine mundi
bella moues, huc signa refer. uiolentior hic est, 780
hic hostis propior. tu nunc fortasse sub ipsis
urbis Dardaniae muris uibrantia tela
excipis intrepidus clipeo saeuamque coruscans
lampada Tarpeis infers incendia tectis.
interea tibi prima domus atque unica proles 785
heu gremio in patriae Stygias raptatur ad aras.
i nunc, Ausonios ferro populare penates
et uetitas molire uias. i, pacta resigna
per cunctos iurata deos. sic praemia reddit
Carthago et tales iam nunc tibi soluit honores. 790
quae porro haec pietas delubra adspergere tabo?
heu primae scelerum causae mortalibus aegris,
naturam nescire deum! iusta ite precatum
ture pio caedumque feros auertite ritus.
mite et cognatum est homini deus. hactenus, oro, 795
sit satis ante aras caesos uidisse iuuencos.
aut si uelle nefas superos fixumque sedetque,
me, me, quae genui, uestris absumite uotis.

773 redeuntis ω : genitoris Cm *Ep. 59* (*error Modii ut videtur*) 774 asperat Cm : asper ad ω : aspar. ad ς 775 imilce $\Pi^2$ *edd. a* v : inulce ω *cf. 3, 97* 776 mota c : -u ω 785 interea $\Gamma^2$ς : incerta ω (interta V) 790 soluit αCh : fouit β : uouit *edd. a* r1 793 precatum *Delz 1983, 219* : -ti ω : -ri *edd. a* j 798 absumite LGVCh : ass- FΓOς

cur spoliare iuuat Libycas hac indole terras?
an flendae magis Aegates et mersa profundo 800
Punica regna forent, olim si sorte cruenta
esset tanta mei uirtus praerepta mariti?'
haec dubios uario diuumque hominisque timore
ad cauta illexere patres, ipsique relictum,
abnueret sortem an superum pareret honori. 805
tum uero trepidare metu uix compos Imilce
magnanimi metuens immitia corda mariti.
His auide auditis ductor sic deinde profatur:
'quid tibi pro tanto non impar munere soluat
Hannibal aequatus superis? quae praemia digna 810
inueniam, Carthago parens? noctemque diemque
arma feram, templisque tuis hinc plurima faxo
hostia ab Ausonio ueniat generosa Quirino.
at puer armorum et belli seruabitur heres.
spes, o nate, meae Tyriarumque unica rerum 815
Hesperia minitante salus, terraque fretoque
certare Aeneadis, dum stabit uita, memento.
perge (patent Alpes) nostroque incumbe labori.
uos quoque, di patrii, quorum delubra piantur
caedibus atque coli gaudent formidine matrum, 820
huc laetos uultus totasque aduertite mentes.
namque paro sacra et maiores molior aras.
tu, Mago, aduersi conside in uertice montis,
tu laeuos propior colles accede, Choaspe,

801 sorte αG : f- γς  802 praecepta O  803 hominumque Br2 *edd. a* v  804 ipsique $\Gamma^2$ς : ipseque ω  806 sui (*pro* metu) *Heinsius*  imilce $\Pi^2$ *edd. a* v : inulce *vel* inulte ω (in luce V)  808 profatur β : prae- α  812 faxo $\Gamma^2$ς : fixo ω  822 maiores ωCh : meliores $\Gamma^2$ς  molior $\Gamma^2$ς : melior ω  823 conside in β : concide in F (in *expunctum*) O : concides L  824 laetos Γς  accedes $F^2$L choaspe Γς *v. 3, 317* : (h)idaspe ω (hy- O)

ad claustra et fauces ducat per opaca Sychaeus. 825
ast ego te, Thrasymenne, uago cum milite praeceps
lustrabo et superis quaeram libamina belli.
namque haud parua deus promissis spondet apertis,
quae spectata, uiri, patriam referatis in urbem.'

**825** ad $\Gamma^2$ O ς : at ω **826** te *om.* Γ (*ins. m.2*) ς

# SILI ITALICI
# PVNICORVM
## LIBER QVINTVS

Ceperat Etruscos occulto milite colles
Sidonius ductor perque alta silentia noctis
siluarum anfractus caecis insederat armis.
at parte e laeua restagnans gurgite uasto
effigiem in pelagi lacus umectabat inerti 5
et late multo foedabat proxima limo.
quae uada Faunigenae regnata antiquitus Arno
nunc uoluente die Thrasymenni nomina seruant.
Lydius huic genitor, Tmoli decus; aequore longas
Maeoniam quondam in Latias aduexerat oras 10
Tyrrhenus pubem dederatque uocabula terris.
isque insueta tuba monstrauit murmura primus
gentibus et bellis ignaua silentia rupit.
nec modicus uoti natum ad maiora fouebat.
uerum ardens puero castumque exuta pudorem 15

3 insederat ω *edd. a* r1 : -sid- δςCh 4 dextra *Drakenborch ad 5, 95, alii, v. Hilff 7 sqq.* 5 (h)umectabat αplgCh : inuetabat β (inuoc- G inuetebat O) : inuitabat $V^2Γ^2$ς : inundabat v : exundabat b1 inertis *Livineius, edd. recc., sed v. Housman ad Lucan. 1, 637* 6 f(o)edebat FO 7 arno αCh : aruo $GV^2$ : auro γ : auno $Γ^2$ς *cf. ad 6, 109; Arnum fluvium olim in lacum Trasimenum se effudisse poetae rerum geographicarum peritissimo notum fuisse arbitror* 9 tmoli $Π^2Σ^2H^2$v : molli ω longas ω : -e $Γ^2$ς : -o *Heinsius, edd. recc., sed cf. 6, 628 et 15, 296* 10 m(a)eoniam α$Γ^2$ς : -s β inuexerat O : ad(d)uxerat ς 12 tuba ω : -ae gCh *edd. recc., sed cf. Stat. Ach. 1, 118* 13 bellis α$Γ^2$ς : -i β 14 natum α$Γ^2$ς : u- β

(nam forma certare deis, Thrasymenne, ualeres)
litore correptum stagnis demisit Agylle,
flore capi iuuenum primaeuo lubrica mentem
nympha nec Idalia lenta incaluisse sagitta.
solatae uiridi penitus fouere sub antro 20
Naides amplexus undosaque regna trementem.
hinc dotale lacus nomen, lateque Hymenaeo
conscia lasciuo Thrasymennus dicitur unda.
Et iam curriculo nigram nox roscida metam
stringebat, nec se thalamis Tithonia coniunx 25
protulerat stabatque nitens in limine primo,
cum minus abnuerit noctem desisse uiator,
quam coepisse diem; consul carpebat iniquas
praegrediens signa ipsa uias, omnisque ruebat
mixtus eques; nec discretis leuia arma maniplis 30
insertique globo pedites et inutile Marti
lixarum uulgus praesago cuncta tumultu
implere et pugnam fugientum more petebant.
tum super ipse lacus densam caligine caeca
exhalans nebulam late corruperat omnem 35
prospectum miseris atque atrae noctis amictu
squalebat pressum picea inter nubila caelum.
nec Poenum licuere doli. sedet ense reposto
abditus et nullis properantem occursibus arcet.
ire datur, longeque patet ceu pace quieta 40
incustoditum, mox irremeabile, litus.

16 fortuna δ (*corr. in* Γ) 18 iuuenum ω : -em Cm *Ep. 59* (*errore typogr. ex* b2 *inducto*) *edd. recc.*, *sed cf. e.g. Verg. Aen. 10, 326 sq. et Sen. Phaedra 780 sq.* 20 solatae ωCm : sollicitae $Γ^2$ς 21 amplexu F 26 limine $F^2$Lβ (lu- V) : -te F 27 abnuerit ωCm : adn- (ann-) δς 29 praegrediens α *edd. vett.* : pro- β 33 ac *Drakenborch tacite* 38 licuere *scripsi Marsum et Spaltenstein secutus; de forma perfecti verbi 'liqueo' v. Thes. 7, 2, 1477, 69 sqq.* : liquere ω *fort. scribendum est* nec Poeni *i. Hannibalis* licuere d. 40 *om.* Πrl m *edd. a* v : *ins.* Cm *Ep. 59*

namque sub angustas artato limite fauces
in fraudem ducebat iter geminumque receptis
exitium hinc rupes, hinc undae claustra premebant.
at cura umbroso seruabat uertice montis 45
hostilem ingressum refugos habitura sub ictu,
haud secus ac uitreas sollers piscator ad undas
ore leuem patulo texens de uimine nassam
cautius interiora ligat mediamque per aluum
sensim fastigans compressa cacumina nectit 50
ac fraude artati remeare foraminis arcet
introitu facilem quem traxit ab aequore piscem.
Ocius interea propelli signa iubebat
excussus consul fatorum turbine mentem,
donec flammiferum tollentes aequore currum 55
solis equi sparsere diem. iamque orbe renato
diluerat nebulas Titan, sensimque fluebat
caligo in terras nitido resoluta sereno.
tunc ales, priscum populis de more Latinis
auspicium, cum bella parant mentesque deorum 60
explorant super euentu, ceu praescia luctus
damnauit uesci planctuque alimenta refugit.
nec rauco taurus cessauit flebile ad aras
immugire sono pressamque ad colla bipennem
incerta ceruice ferens altaria liquit. 65
signa etiam affusa certant dum uellere mole,
taeter humo lacera nitentum erupit in ora
exsultans cruor, et caedis documenta futurae

45 at ς : ac ω cura FCh *i. statio* : circa $F^2$Lβ : contra $\Gamma^2$ς : turma *Schrader, Summers* seruabant ς 50 fastigans ω *cf. 12, 356 et Lucr. 4, 429* : cast- L$R^2$ : uest- Γς 61 euentum Ch 62 uesci α$\Gamma^2$ : uesti β (uestie G) 65 incertam *van Veen coll. Verg. Aen. 2, 224, sed cf. Sen. Ag. 777 et v. Thes. 7, 1, 880, 63 sqq.* 66 effusa $T^2$ *edd. a* l *Summers, sed* affusa mole *i. milites affusi tota mole, cf. Cic. div. 1, 77 et Liv. 22, 3, 12 necnon Sen. Tro. 1076; Sil. 1, 521; 13, 695*

ipsa parens miseris gremio dedit atra cruento.
ac super haec diuum genitor terrasque fretumque 70
concutiens tonitru Cyclopum rapta caminis
fulmina Tyrrhenas Thrasymenni torsit in undas,
ictusque aetheria per stagna patentia flamma
fumauit lacus atque arserunt fluctibus ignes.
heu uani monitus frustraque morantia Parcas 75
prodigia! heu fatis superi certare minores!
atque hic, egregius linguae nomenque superbum,
Coruinus, Phoebea sedet cui casside fulua
ostentans ales proauitae insignia pugnae,
plenus et ipse deum et socium terrente pauore 80
immiscet precibus monita atque his uocibus infit:
'Iliacas per te flammas Tarpeiaque saxa,
per patrios, consul, muros suspensaque nostrae
euentu pugnae natorum pignora, cedas
oramus superis tempusque ad proelia dextrum 85
opperiare. dabunt idem camposque diemque
pugnandi. tantum ne dedignare secundos
exspectare deos. cum fulserit hora, cruentam
quae stragem Libyae portet, tum signa sequentur
nulla uulsa manu uescique interritus ales 90
gaudebit nullosque uomet pia terra cruores.
an te praestantem bellis fugit, improba quantum
hoc possit Fortuna loco? sedet obuius hostis
aduersa fronte; at circa nemorosa minantur
insidias iuga nec laeua stagnantibus undis 95
effugium patet et tenui stant tramite fauces.

73 ictusque LCm *Ep. 110* : lit(t)usque Fβ : lit(t)us et B *edd. a* v flamme α 74 atque arserunt $\Gamma^2$ς : a. a. in ω : at a. in O : atque arsere in $V^2$J 76 certare ωCh : -asse *edd. a* r1 82 per te ω *Livineius* : te per $\Gamma^2$ς 86 camposque Cm *Ep. 110* : tempusque ω 87 non LJ secundis G : -as O 89 portet Cm : poscet ω (postet V) 92 belli Ch *edd. recc., sed cf. 175 et 6, 91* 94 at Ch : ac ω 95 dextra *Cluverius, v. ad* 4

si certare dolis et bellum ducere cordi est,
interea rapidis aderit Seruilius armis,
cui par imperium et uires legionibus aequae.
bellandum est astu. leuior laus in duce dextrae.' 100
Talia Coruinus, primoresque addere passim
orantum uerba, et diuisus quisque timere
nunc superos de Flaminio, nunc deinde precari
Flaminium, ne caelicolis contendere perstet.
acrius hoc accensa ducis surrexerat ira, 105
auditoque furens socias non defore uires
'sicine nos' inquit 'Boiorum in bella ruentes
spectastis, cum tanta lues uulgusque tremendum
ingrueret rupesque iterum Tarpeia paueret?
quas ego tunc animas dextra, quae corpora fudi 110
irata tellure sata et uix uulnere uitam
reddentes uno! iacuere ingentia membra
per campos magnisque premunt nunc ossibus arua.
scilicet has sera ad laudes Seruilius arma
adiungat, nisi diuiso uicisse triumpho 115
ut nequeam et decoris contentus parte quiescam?
quippe monent superi. similes ne fingite uobis,
classica qui tremitis, diuos. sat magnus in hostem
augur adest ensis, pulchrumque et milite dignum
auspicium Latio, quod in armis dextera praestat. 120
an, Coruine, sedet, clausum se consul inerti
ut teneat uallo? Poenus nunc occupet altos
Arreti muros, Corythi nunc diruat arcem,
hinc Clusina petat, postremo ad moenia Romae
illaesus contendat iter? deforme sub armis 125

97 bellum deducere δς 100 in duce ωCh : indice V² Γς 102 diuisusque quisque α timere *quod iam Summers temptavit Delz 1983, 217 tradita lectione in 103 servata, cf. Lucan. 7, 76* : timori ω 103 de ω : ne *Dausqueius, edd. recc.* flaminio (-neo) F² ς : -no ω (-ne O) 104 flaminium F² ς : -num ω 110 tunc ω (tum L) : n- Γς corpore α 117 monent αGΓ² : mou- γ

uana superstitio est; dea sola in pectore Virtus
bellantum uiget. umbrarum me noctibus atris
agmina circumstant, Trebiae qui gurgite quique
Eridani uoluuntur aquis, inhumata iuuentus.'
Nec mora iam medio coetu signisque sub ipsis 130
postrema aptabat nulli exorabilis arma.
aere atque aequorei tergo flauente iuuenci
cassis erat munita uiro, cui uertice surgens
triplex crista iubas effudit crine Sueuo;
Scylla super fracti contorquens pondera remi 135
instabat saeuosque canum pandebat hiatus,
nobile Gergeni spolium, quod rege superbus
Boiorum caeso capiti illacerabile uictor
aptarat pugnasque decus portabat in omnes.
loricam induitur; tortos huic nexilis hamos 140
ferro squama rudi permixtoque asperat auro.
tum clipeum capit, adspersum quem caedibus olim
Celticus ornarat cruor, umentique sub antro
ceu fetum lupa permulcens puerilia membra
ingentem Assaraci caelo nutribat alumnum. 145
hinc ensem lateri dextraeque accommodat hastam.
stat sonipes uexatque ferox umentia frena
Caucaseam instratus uirgato corpore tigrim.
inde exceptus equo, qua dant angusta uiarum,
nunc hos, nunc illos adit atque hortatibus implet: 150

129 uoluuntur Γ[2]ς : -entur ω 131 aptabat B[2]ΠΦ *edd. a* r1 : o- ω 134 effudit ω : -und- BΠ *edd. a* r1 *edd. recc., sed cf. e.g. Petron. 126, 15 et de perfecti usu Sil. 3, 243. 260. 492* seuero PplCh (*per errorem manifestum Heinsius Coloniensi quoque attribuit id quod in* P *legerat*) 137 gerg(a)eni ω : gargaeui Ch : gargeni *edd. a* v *cf. Schulze 171 sq.* 138 ill(a)etabile F[2]L 139 que *om.* Γς 140 huic α *edd. a* v : hinc β 141 asperat auro l : aspera tauro ω 145 assaraci α : -ici β nutribat α *edd. a* v : -rat β (-erat O) : -uit Γς 146 huic α (*corr. in* F) 148 caucaseam Γ[2]ς : causacam ω (clausatam O) 149 dent O

'uestrum opus est uestrumque decus suffixa per urbem
Poeni ferre ducis spectanda parentibus ora.
unum hoc pro cunctis sat erit caput. aspera quisque
hortamenta sibi referat: "meus, heu, meus atris
Ticini frater ripis iacet! at meus alta 155
metitur stagna Eridani sine funere natus!"
haec sibi quisque. sed est uestrum cui nulla doloris
priuati rabies, is uero ingentia sumat
e medio, fodiant quae magnas pectus in iras,
perfractas Alpes passamque infanda Saguntum, 160
quosque nefas uetiti transcendere nomen Hiberi,
tangere iam Thybrim. nam dum nos augur et extis
quaesitae fibrae uanusque moratur haruspex,
solum iam superest Tarpeio imponere castra.'
Turbidus haec, uisoque artis in milibus atras 165
bellatore iubas aptante 'est, Orfite, munus,
est' ait 'hoc certare tuum, quis opima uolenti
dona Ioui portet feretro suspensa cruento.
nam cur haec alia pariatur gloria dextra?'
hinc praeuectus equo, postquam inter proelia notam 170
accepit uocem, 'procul hinc te Martius,' inquit
'Murrane, ostendit clamor, uideoque furentem
iam Tyria te caede. uenit laus quanta! sed, oro,
haec angusta loci ferro patefacta relaxa.'
tum Soracte satum, praestantem corpore et armis, 175
Aequanum noscens, patrio cui ritus in aruo,
cum pius Arcitenens accensis gaudet aceruis,
exta ter innocuos laetum portare per ignes,

**154** hortamenta α *edd. a* r1 : po- β atris ωCm *Ep. 110* : acris Γ *edd. a* v **158** urgentia *Bauer* **161** limen *Ernesti* : flumen *Ruperti, sed cf. e.g. 7, 110. 148* **162** nos α : uos β **165** in milibus γ : humilibus α : in nubibus G **166** iubas ωCm *Ep. 110* : t- *edd. a* b1 est *deerat in* C *teste Heinsio* **170** prouectus OBΠZ *edd. vett.* **178** laetum Ch : latum ω : late *edd. a.* l

'sic in Apollinea semper uestigia pruna
inuiolata teras uictorque uaporis ad aras 180
dona serenato referas sollemnia Phoebo,
concipe' ait 'dignum factis, Aequane, furorem
uulneribusque tuis. socio te caedis et irae
non ego Marmaridum mediam penetrare phalangem
Cinyphiaeque globos dubitarim irrumpere turmae.' 185
Nec iam ultra monitus et uerba morantia Martem
ferre ualet; longo Aeneadis quod flebitur aeuo
increpuere simul feralia classica signum,
ac tuba terrificis fregit stridoribus auras.
heu dolor, heu lacrimae, nec post tot saecula serae! 190
horresco ut pendente malo, ceu ductor ad arma
exciret Tyrius. latebrosis collibus Astur
et Libys et torta Baliaris saeuus habena
erumpunt multusque Maces Garamasque Nomasque;
tum, quo non alius uenalem in proelia dextram 195
ocior attulerit conductaque bella probarit,
Cantaber et galeae contempto tegmine Vasco.
hinc pariter rupes, lacus hinc, hinc arma simulque
consona uox urget signum clamore uicissim
per colles Tyria circumfundente corona. 200
Auertere dei uultus fatoque dederunt
maiori non sponte locum; stupet ipse tyranni
fortunam Libyci Mauors, disiectaque crinem
illacrimat Venus, et Delum peruectus Apollo
tristem maerenti solatur pectine luctum. 205
sola Apennini residens in uertice diras
exspectat caedes immiti pectore Iuno.

179 prima GO 182 (a)equane $F^2 \Gamma^2$ ς : equa ue L : (a)equare β 187 *sic dist. Postgate 1902* 189 ac Lβ : at FBQ *edd. a* r1 190 post tot ω : t. p. QZΣ *edd. a* r1 192 exciret ωj *Livineius* : -tet GΓς : -tet hic r1mp 197 uasco $\Gamma^2 R^2$ ς : -to ω 202 stupet αr2Cd (?) : timet β 206 diras αr2Ch : du- β 207 immiti $F^2$ *marg.* r2Ch : inimico ω *fort. recte, nam Heinsio diffidere licet*

Primae Picentum, rupto ceu turbine fusa
agmina et Hannibalem ruere ut uidere, cohortes
inuadunt ultro et poenas pro morte futura 210
turbato uictore petunt accensa iuuentus,
et uelut erepto metuendi libera caelo
manibus ipsa suis praesumpta piacula mittit.
funditur unanimo nisu et concordibus ausis
pilorum in Poenos nimbus, fixosque repulsi 215
summittunt clipeos curuato pondere teli.
acrius hoc rursum Libys (et praesentia saeui
exstimulat ducis) hortantes se quisque uicissim
incumbunt pressoque impellunt pectore pectus.
Ipsa facem quatiens ac flauam sanguine multo 220
sparsa comam medias acies Bellona pererrat.
stridit Tartareae nigro sub pectore diuae
letiferum murmur, feralique horrida cantu
bucina lymphatas agit in certamina mentes.
his iras aduersa fouent crudusque ruente 225
fortuna stimulus spem proiecisse salutis,
hos dexter deus et laeto Victoria uultu
arridens acuit, Martisque fauore fruuntur.
Abreptus pulchro caedum Lateranus amore
dum sequitur dextram, in medios penetrauerat hostes. 230
quem postquam florens aequali Lentulus aeuo
conspexit nimium pugnae nimiumque cruoris
infestas inter non aequo Marte cateruas
fata irritantem, nisu se concitat acri

208 rupto ω : er- V²Γς 209 ut F²Gδ : et αO 212 *et* 213 *post 207* Γ²Σ²ς, *post 206 inverso ordine* ATΔ 212 erecto δ *edd. vett.* 214 nisu αΓς : u- β 215 et (*pro* in) Γς p(o)enus Γ²ς nimbos FO (*corr. in utroque*) 220 flauam *frustra temptatum, nam coma sanguine flava est* 221 sparsa *i. passa* 229 abreptus LCh : abrectus Fv *errore vulgari* : arreptus β : arrectus Γ²ς 234 irritantem F²LG²Γ²ς : brit- F : lirit- β nisu F²LΓ²ς : u- β (uisi O)

immitemque Bagam, qui iam uicina ferebat 235
uulnera pugnantis tergo, uelocior hasta
occupat et socium duris se casibus addit.
tunc alacres arma agglomerant geminaque corusci
fronte micant, paribus fulgent capita ardua cristis.
actus in aduersos casu (namque obuia ferre 240
arma quis auderet, nisi quem deus ima colentum
damnasset Stygiae nocti?) praefracta gerebat
Syrticus excelso decurrens robora monte
et quatiens acer nodosi pondera rami
flagrabat geminae nequiquam caedis amore: 245
'non hic Aegates infidaque litora nautis,
o iuuenes, motumque nouis sine Marte procellis
fortunam bello pelagus dabit. aequoris olim
uictores, media sit qualis, discite, terra
bellator Libys, et meliori cedite regnis.' 250
ac simul infesto Lateranum pondere truncae
arboris urgebat iungens conuicia pugnae.
Lentulus huic frendens ira: 'Thrasymennus in altos
adscendet citius colles, quam sanguine roret
iste pio ramus.' subsidensque ilia nisu 255
conantis suspensa fodit. tum feruidus atro
pulmone exundat per hiantia uiscera sanguis.
Nec minus accensis in mutua funera dextris
parte alia campi saeuit furor. altus Iertes

235 bagam ω : bo- δς ferebat GΓς : s- αVOCm *Ep. 110* 238 glomerant Γς : ing- $Γ^2$r1 corusci $Γ^2$ς : -is ωCh 239 fulget Ch 240 aduersus δ (*corr. in* Γ) casu α$Γ^2$ς : -us β 241 colentur δ (*corr. in* Γ) 242 pr(a)efracta Fb1 : per- $F^2$Lβ regebat Γς 250 regnis ω *cf. 2, 53; 16, 75 sq.* : -no $V^2$Γς : cunctis Ch 251 pondere ωCm *Ep. 110* : uulnere *edd. a* r1 253 huic F : hinc Lβ : hic *edd. a* r1 254 ascendit GO 255 pio ramus β : poramus F : pioramnis $F^2$ : prior annis L subsidensque *Livineius* : subsidens ω 259 iertes Fr2vCh : inertes Lβ : inertem $Γ^2$ς

obtruncat Nerium. Rullo ditissimus arui 260
occumbis, generose Volunx, nec clausa repostis
pondera thesauris patrio nec regia quondam
praefulgens ebore et possessa mapalia soli
profuerunt. quid parta iuuant? quid gentibus auri
numquam exstincta sitis? modo quem Fortuna fouendo 265
congestis opibus donisque refersit opimis,
nudum Tartarea portabit nauita cymba.
Iuxta bellator iuuenilibus Appius ausis
pandebat campum caede atque, ubi plurima uirtus
nullique adspirare uigor, decus inde petebat. 270
obuius huic Atlas, Atlas a litore Hibero,
nequiquam extremae longinquus cultor harenae,
impetit os hasta, leuiterque e corpore summo
degustat cuspis generosum extrema cruorem.
intonuere minae, uiolentaque lumina flammis 275
exarsere nouis. furit et diffulminat omnem
obstantum turbam; at clausum sub casside uulnus
Martia commendat mananti sanguine membra.
tum uero adspiceres pauitantem et condere semet
nitentem sociis iuuenem, ceu tigride cerua 280
Hyrcana cum pressa tremit, uel territa pennas
colligit accipitrem cernens in nube columba,
aut dumis subit, albenti si sensit in aethra
librantem nisus aquilam, lepus. ora citato

260 obtruncat ας : -et β arui ωCh : agri Γς 261 generos euolunx F (*corr.*) : generos o uolunx L 264 profuerunt GO *Livineius* : -int αδς parta *Gronovius* : rapta ω *v. Håkanson* 267 portabit $F^{2}$LGV *Livineius* : -bat F : -uit ΓOς 270 aspicere Γ : aspexisse $\Gamma^{2}$ς 271 huic α : hinc β atla(n)s atla(n)s a litore hibero ωCm *Epp. 46 et 110* : a. a. a sanguine h. *edd. a* r1 : a. a sanguine clarus (h)ibero *edd. a* j 273 hos $\Gamma^{2}$ς 277 turbam ωCm *Ep. 16* : -mam *edd. a* v at Ch : ac ω : et *edd. a* r1 : *om.* Cm (*fort. errore typogr.*) 279 aspiceres ωCm : -ciens δς 283 dumis ωCm : -os *edd. a* b1 284 nisus $F^{2}$LCm : u- Fβ lepus. ora *Bentley* : lepus ore ω

ense ferit, tum colla uiri dextramque micantem 285
demetit ac mutat successu saeuior hostem.
Stabat fulgentem portans in bella bipennem
Cinyphius socerique miser Magonis inire
optabat pugnam ante oculos spe laudis Isalces,
Sidonia tumidus sponsa uanoque superbus 290
foedere promissae post Dardana proelia taedae.
huic immittit atrox uiolentas Appius iras
conantique grauem fronti librare securim
altior insurgens galeam super exigit ictum.
at fragilis ualido conamine soluitur ensis 295
aere in Cinyphio, nec dispar sortis Isalces
umbonem incerto detersit futilis ictu.
tum quod humo haud umquam ualuisset uellere saxum,
ni uires trux ira daret, contorquet anhelans
Appius et lapsu resupino in terga cadentem 300
mole premit scopuli perfractisque ossibus urget.
uidit coniuncto miscens certamina campo
labentem socer, et lacrimae sub casside fusae
cum gemitu, rapidusque ruit; data foedera nuper
accendunt animos exspectatique nepotes. 305
iamque aderat clipeumque uiri atque immania membra
lustrabat uisu, propiorque a fronte coruscae
lux galeae saeuas paulum tardauerat iras.
haud secus e specula praeceps delatus opaca
subsidit campo, summissos contrahit artus, 310

**285** tum Lς : cum Fβ **286** demetit $F^2G^2$Γς : dometit ω **289** (h)isalces (-tes) Fς : -as L (*sed* -es *296*) : -is β (is altus O) **292** huic FO *edd. a* v : hinc Lβ (hic G) atrox ω pl : atras Γς : ouans ΠZ *edd. a* r1 **293** securim Γς : -em ω **295** at Cm *Ep. 16* : et ω **296** isalces α : ys- β (his- Γ) **297** detersit ωplCm : -tor- *edd. a* r1 **298** uellere ω *cf. Stat. Theb. 2, 561* : tollere B (*non* Cm, *ubi* tollere *iam in textu corrigendo exstat, per errorem ut puto*) **299** contorquet αr2Cm : torquebat β **300** resupino αr2Cm : -a β **310** subsidit (campo et) *Heinsius* : -et ω : -ens $R^2$ς campos α (*corr. in utroque*)

cum uicina trucis conspexit cornua tauri,
quamuis longa fames stimulet, leo; nunc ferus alta
surgentes ceruice toros, nunc torua sub hirta
lumina miratur fronte ac iam signa mouentem
et sparsa pugnas meditantem spectat harena. 315
hic prior intorquens telum sic Appius infit:
'si qua tibi pietas, ictum ne desere foedus
et generum comitare, socer.' per tegmina uelox
tunc aerisque moras laeuo stetit hasta lacerto.
at contra non dicta Libys, sed feruidus hastam 320
perlibrat, magni donum memorabile fratris,
caeso quam uictor sub moenibus ille Sagunti
abstulerat Durio ac spectatae nobile pugnae
germano dederat portare in proelia pignus.
telum ingens perque arma uiri perque ora doloris 325
adiutum nisu letalem pertulit ictum,
exsanguesque uiri conantis uellere ferrum
in uulnus cecidere manus. iacet aequore nomen
clarum Maeonio atque Italae pars magna ruinae
Appius. intremuere lacus, corpusque refugit 330
contractis Thrasymennus aquis. telum ore cruento
exspirans premit atque admorsae immurmurat hastae.
Nec fati melior Mamercus corpore toto
exsoluit poenas nulli non saucius hosti.
namque per aduersos, qua Lusitana ciebat 335
pugnas dira manus, raptum cum sanguine caesi
signiferi magna uexillum mole ferebat
et trepida infelix reuocabat signa suorum.

**314** miratur $\Gamma^2$ς : mic- ω **315** spectabat δ (*corr. in* Γ) harena $F^2\Gamma^2$ς : hab- ω **319** acrisque δ (*corr. in* Γ) **321** donum $F^2LV^2\Gamma$ς : domum ω **322** c(a)elo Γς **326** adiutum α$G^2$O *edd. a* v : adiutimi G : adintimi δ : adiunctum $\Gamma^2$ς : admissum $V^2$P nisu α$\Gamma^2$ : u- β **331** contractis α$V^2$ *edd. a* v : -us β **332** hast(a)e α$G^2V^2\Gamma$ς : u- β **335** ciebat α$V^2\Gamma^2$ς : sc- β **336** c(a)esi $F^2$r2 *edd. a* b1 : tesi F : thesi L : teli β

sed furiata cohors ausisque accensa superbis,
quodcumque ipsa manu gestabat missile, quicquid 340
praebebat tellus sparsis uix peruia telis,
iniecit pariter, pluresque in corpore nullum
inuenere locum perfossis ossibus hastae.
Aduolat interea fraterni uulneris ira
turbatus Libyae ductor uisoque cruore, 345
num lateri cuspis, num toto pondere telum
sedisset, fratremque amens sociosque rogabat.
utque metum leti procul et leuiora pauore
cognouit, proprio tectum gestamine praeceps
ex acie rapit et tutis a turbine pugnae 350
constituit castris. medicas hinc ocius artes
et senioris opem Synali uocat. unguere uulnus
herbarum hic sucis ferrumque e corpore cantu
exigere et somnum tacto misisse chelydro
anteibat cunctos, nomenque erat inde per urbes 355
perque Paraetoniae celebratum litora Syrtis.
ipse olim antiquo primum Garamanticus Hammon
scire pater dederat Synalo morsusque ferarum
telorumque graues ictus sedare medendo.
atque is deinde suo moriens caelestia dona 360
monstrauit nato, natusque heredis honori
tramisit patrias artes. quem deinde secutus
haud leuior fama Synalus Garamantica sollers
monstrata augebat studio multaque uetustum

**342** nullo Γ$^2$ς **343** *ins.* Cm *Ep. 16* : *deest* ω **345** libye F$^2$β : libre α **347** fratremque ωCm *Ep. 110* : fremitque *edd. a* r1 : -uitque *edd. a* b1 **351** medicasque hic L **352** Synali *edd. vett. cf. RE s.v.* : sin- FΓς : sinh- LGV : synh- OCh uultus Γς **354** tacto ωCm *Ep. 16* : toto Γς missile O **356** litora αΓ$^2$ς : -e β **358** sinalo ας : sci- β **360** is L$^2$β : his αΓς **361** monstrauit ω : -rat Γς **363** leuior v : melior ω forma δς sinalus ας : sci- β (scy- O) **364** uetustum F$^2$GΓ$^2$ς : necustum ω

Hammonis comitem numerabat imagine patrem. 365
tum proauita ferens leni medicamina dextra
ocius intortos de more adstrictus amictus
mulcebat lympha purgatum sanguine uulnus.
at Mago exuuias secum caesique uolutans
hostis mente necem fraternas pectore curas 370
pellebat dictis et casum laude leuabat:
'parce metu, germane. meis medicamina nulla
aduersis maiora feres. iacet Appius hasta
ad manes pulsus nostra. si uita relinquat,
sat nobis actum est. sequar hostem laetus ad umbras.' 375
Quae dum turbatos auertunt aequore campi
ductores ualloque tenent, ex agmine Poenum
cedentem consul tumulo speculatus ab alto
atque atram belli castris se condere nubem
turbidus extemplo trepidantes milite maesto 380
inuadit cuneos subitoque pauore relaxat
iam rarescentes acies. tum uoce feroci
poscit equum ac mediae ruit in certamina uallis.
sic ubi torrentem crepitanti grandine nimbum
illidit terris molitus Iuppiter altas 385
fulmine nunc Alpes, nunc mixta Ceraunia caelo,
intremuere simul tellus et pontus et aether,
ipsaque commoto quatiuntur Tartara mundo.
incidit attonitis inopino turbine Poenis
haud secus improuisa lues, gelidusque sub ossa 390
peruasit miseris conspecti consulis horror.
it medius ferroque ruens densissima latum
pandit iter. clamor uario discrimine uocum
fert belli rabiem ad superos et sidera pulsat,

365 ham(m)onis Γς : ma- ω  366 leni $B^2\Pi^2$ *edd.* *a* v : leui ω  368 nimpha O  369 exuuias α G $\Gamma^2$ : eximias γ  c(a)esique α $\Gamma^2$ς : c(a)ecique β  uolutans $F^2LG^2V^2\Gamma^2O$ : uoluntas Fβ  376 dum $P\Pi\Phi^2$ *edd.* *a* r1 : tum ω : cum $OR^2Q$  384 crepitanti α *edd.* *a* p : trepid- β  386 fulmine $H\Pi^2T^2J$ r2 *edd.* *a* v : -a ω

ceu, pater Oceanus cum saeua Tethye Calpen 395
Herculeam ferit atque exesa in uiscera montis
contortum pelagus latrantibus ingerit undis,
dant gemitum scopuli, fractasque in rupibus undas
audit Tartessos latis distermina terris,
audit non paruo diuisus gurgite Lixus. 400
Ante omnes iaculo tacitas fallente per auras
occumbit Bogus, infaustum qui primus ad amnem
Ticini rapidam in Rutulos contorserat hastam.
ille sibi longam Clotho turbamque nepotum
crediderat uanis deceptus in alite signis. 405
sed non augurio Parcarum impellere metas
concessum cuiquam. ruit inter tela cruentis
suspiciens oculis caelum superosque reposcit
tempora promissae media iam morte senectae.
nec Bagaso exsultare daturue impune relictum 410
consulis ante oculos uita spoliasse Libonem.
laurigeris decus illud auis nauaque iuuenta
florebat; sed Massylus succiderat ensis
pubescente caput mala, properoque uirentes
delerat leto bellator barbarus annos. 415
Flaminium implorasse tamen iam morte suprema
haud frustra fuit. auulsa est nam protinus hosti
ore simul ceruix; iuuit punire feroci
uictorem exemplo, monstratum reddere letum.

395 saeua cethye Ch *unde* s. Tethye *Heinsius* : seua cechre F : seua cedire L : sceua (-e O) cetre β : saeuior aethere Γ² ς **398** factasque α (*corr. in* F) **399** discrimina OPB *edd. vett.* **402** occumbit αr2v : -ubuit β **403** rutilos δς **410** bagaso αr2v : big- β : Pag- Ch *ut Verg. Aen. 11, 670* daturue α : -ne β : datum atque *Heinsius* : datum aut *Summers, fort. recte, sed lectio tradita defendi potest coll. e.g. Hor. epod. 2, 50; Stat. Theb. 7, 613* **412** nauaque *Livineius* : uanaque ω **413** massylus Lς : masilus F : marsillus β **416** supina GO **417** iam QYΘCh (?) **419** auctorem *Heinsius* et *post* exemplo *ins. Livineius, edd. recc., sed v. Blomgren 26* telum Γς

Quis deus, o Musae, paribus tot funera uerbis 420
euoluat, tantisque umbris in carmine digna
quis lamenta ferat? certantes laude cadendi
primaeuos iuuenes mortisque in limine cruda
facta uirum et fixis rabiem sub pectore telis?
sternitur alternus uastis concursibus hostis, 425
nec spoliare uacat praedaeque aduertere mentem.
urget amor caedum, clausis dum detinet hostem
fraternum castris uulnus, funditque ruitque
nunc iaculis, nunc ense, modo inter milia consul
bellantum conspectus equo, modo Marte feroci 430
ante aquilas et signa pedes. fluit impia riuis
sanguineis uallis, tumulique et concaua saxa
armorum sonitus flatusque imitantur equorum.
Miscebat campum membrorum in proelia portans
celsius humano robur uisaque pauentes 435
mole gigantei uertebat corporis alas
Othrys Marmarides. lati super agmen utrumque
ingens tollebant umeri caput, hirtaque toruae
frontis caesaries et crinibus aemula barba
umbrabat rictus; squalore hinc hispida diro 440
et uillosa feris horrebant pectora saetis.
adspirare uiro propioremque addere Martem
haud ausum cuiquam. laxo ceu belua campo
incessebatur tutis ex agmine telis.
tandem uesanos palantum in terga ferenti 445
cum fremitu uultus tacita per nubila penna
intrauit toruum Gortynia lumen harundo

**421** euoluat *Heinsius* : -uens ω : -uet *edd. a* j **422** canendi Γς **423** cruda ωCh : -(a)e Γς **424** pectore α *edd. a* r1 : -a β **436** mole α$\Gamma^2$ς : more β **437** othrys Γς *cf. Verg. Aen. 7, 675* : othyrs α : othirs β **440** rictus α$\Gamma^2$ς : ritus β hinc ω : hic δ : huic $W^2$ς **441** horrebat Ch **443** ausum ωCm *Ep. 26* : uisum *edd. a* r1 ceu α$\Gamma^2$ς : seu β **444** incessebatur $F^2\Gamma^2$ς : -abatur ω tutis Cm *cf. Verg. Aen. 10, 713* : cunctis ω

auertitque uirum. fugientis ad agmina consul
intorquet tergo iaculum, quod tegmine nudas
irrupit costas hirtoque a pectore primum 450
mucronem ostendit. rapidus conuellere temptat,
qua nasci ferrum fulgenti cuspide cernit,
donec abundanter defuso sanguine late
procubuit moriens et telum uulnere pressit.
spiritus exundans uicinum puluere moto 455
perflauit campum et nubem dispersit in auras.

Nec minor interea tumulis siluisque fremebat
diuersis Mauors, uariaque per ardua pugna
et saxa et dumi rorantes caede nitebant.
exitium trepidis letique et stragis acerbae 460
causa Sychaeus erat. Murranum ille eminus hasta
perculerat, quo non alius, cum bella silerent,
dulcius Oeagrios pulsabat pectine neruos.
occubuit silua in magna patriosque sub ipso
quaesiuit montes leto ac felicia Baccho 465
Aequana et Zephyro Surrentum molle salubri.
addiderat misero comitem pugnaeque ferocis
gaudebat tristi uictor nouitate Sychaeus.
palantes nam dum sequitur, peruaserat altam
in siluam et priscae reclinis ab ictibus ulmi 470
terga tuebatur trunco frustraque relictos
Tauranus comites suprema uoce ciebat.
transegit iuuenem ac perfossis incita membris
haesit in opposito cuspis Sidonia ligno.

Quid uobis, quaenam ira deum, uel mente sinistra 475
quae sedit formido, uiri, qui Marte relicto
ramorum quaesistis opem? non aequus in artis

**451** ostentat *edd. a* r1 **458** diuersus $\Gamma^2$ς **463** (o)eagrios $R^2\Gamma^2$ς : aegurios *corr. in* aeugrios F : eugrios Lβ pulsauit Ch **466** mole Oς **467** feroci O **470** reclinis $R^2$ *Zinzerling* : -uis ω **474** haesit αΓς : exit β

nimirum rebus suasor metus. arguit asper
exitus euentu praui consulta timoris.
annosa excelsos tendebat in aethera ramos 480
aesculus umbrosum magnas super ardua siluas
nubibus insertans altis caput instar, aperto
si staret campo, nemoris lateque tenebat
frondosi nigra tellurem roboris umbra.
par iuxta quercus longum molita per aeuum 485
uertice canenti proferre sub astra cacumen
diffusas patulo laxabat stipite frondes
umbrabatque coma summi fastigia montis.
huc Hennaea cohors, Triquetris quam miserat oris
rex, Arethusa, tuus, defendere nescia morti 490
dedecus et mentem nimio mutata pauore
certatim sese tulit adscendensque uicissim
pressit nutantes incerto pondere ramos.
mox alius super atque alius consistere tuto
dum certant, pars excussi (nam fragmine putri 495
ramorum et senio male fida fefellerat arbor),
pars trepidi celso inter tela cacumine pendent.
turbatos una properans consumere peste
corripit aeratam iam dudum in bella bipennem
deposito clipeo mutatus tela Sychaeus. 500
incumbunt sociae dextrae, magnoque fragore
pulsa gemit crebris succumbens ictibus arbos.
fluctuat infelix concusso stipite turba,
ceu, Zephyrus quatit antiquos ubi flamine lucos,

**480** ad ς **481** (a)esculus $G^{2}\Gamma^{2}$ς : as- ω **484** nigra ωCh : -am δ (*corr. in* V) ς **485** molita αΓς : moll- β **486** candenti $\Gamma^{2}$ς **489** (h)en(n)(a)ea ω (annae F) Ch : (a)et(h)n(a)ea $F^{2}$Γς *v. ad 1, 93* **490** marethusa δ tuus $\Gamma^{2}$ς : tuum ω (suum *corr. in* tuum F) morti Fr2vCh : -e $F^{2}$Lβ **494** mox αr2Ch : moxque β **498** una ωCm *Ep. 26* : ima *edd. vett.* properans αr2 *edd. a* v : -ant β **499** (a)eratam αΓς : err- β iam tuta *Blass, sed* iam dudum *i. 'statim' ad* corripit *trahendum* in colla *edd. a* r1

fronde super tremuli uix tota cacuminis haerens 505
iactatur nido pariter nutante uolucris.
procubuit tandem multa deuicta securi
suffugium infelix miseris et inhospita quercus
elisitque uirum spatiosa membra ruina.
Inde aliae cladum facies. contermina taedis 510
collucet rapidoque inuoluitur aesculus igni.
iamque inter frondes arenti robore gliscens
uerticibus saeuis torquet Vulcanus anhelos
cum feruore globos flammarum et culmina torret.
nec tela interea cessant. semusta gementum 515
atque amplexa cadunt ardentes corpora ramos.
Haec inter miseranda uirum certamina consul
ecce aderat uoluens iram exitiumque Sychaeo.
at iuuenis dubio tantae discrimine pugnae
occupat euentum telo temptare priorem. 520
cui medio leuiter clipeo stetit aeris in ora
cuspis et oppositas uetita est tramittere crates.
sed non et consul misso concredere telo
fortunam optatae caedis parat ac latus ense
haurit, nec crudae tardarunt tegmina parmae. 525
labitur infelix atque appetit ore cruento
tellurem exspirans. tum diffundente per artus
frigore se Stygio manantem in uiscera mortem
accipit et longo componit lumina somno.
Atque ea dum uariis permixtus tristia Mauors 530
casibus alternat, iam castris Mago relictis,

505 fronte Cm *Ep.* 26 (*errore typogr. manifesto*) 506 iactatur Cm : lu- ω nutante ωCm : luct- ς 508 suffigium δ (*corr. in* Γ) 509 uirum ωCm : -os $\Gamma^2$ς membra αCm : magna β 510 taedis *Heinsius* : c- ω 513 s(a)euis ας : sceuis β (scenis O) 514 culmina j : lumina ω 515 semusta α : semiusta $F^2$β 520 euentu Γς 521 aeris $\Gamma^2$ς : acris ω 522 appositas α 524 at *Dausqueius, Summers, contra usum* 526 appetit ω *Livineius* : o- *edd. a* r1

iam Libyae ductor properantia signa citato
raptabant cursu et cessata reponere auebant
tempora caede uirum ac multo pensare cruore.
it globus intorquens nigranti turbine nubem 535
pulueris, et surgit sublatis campus harenis,
quaque ferens gressum flectit uestigia ductor,
undanti circum tempestas acta procella
uoluitur atque altos operit caligine montes.
occubuere femur Fontanus, Buta canorum 540
transfixi guttur, pressoque e uulnere cuspis
prospexit terga. hunc tristes luxere Fregellae
multiplicem proauis, hunc mater Anagnia fleuit.
haud dispar fortuna tibi, Laeuine, sed auso
non eadem; neque enim Tyrio concurrere regi 545
temptas, sed lectus par ad certamen Ithemon,
Autololum moderator, erat; quem poplite caeso
dum spoliat, grauis immiti cum turbine costas
fraxinus irrumpit, collapsaque membra sub ictu
hoste super fuso subita cecidere ruina. 550
Nec Sidicina cohors defit. Viriasius armat
mille uiros, nulli uictus uel ponere castra
uel iunxisse ratem duroque resoluere muros
ariete et in turrim subitos immittere pontes.
quem postquam Libyae ductor uirtute feroci 555

533 auebant *edd. a* r1 : hau- Ch (?) : hab- ω 540 femur αCm *Ep. 26* : simul *edd. a* l fontanus αv : -is β buta ωCm : buc(c)a BQr2 *edd. a* v 542 luxere ω (luss- V) Cm : misere Γς 546 Ithemon Ch, *nomen dubium* : irhemon (y-) ω : hiremon Γς 547 antololum γ 549 irrumpit F *edd. a* r1 : -up- Lβ 550 super fuso αΓO : superfuso GV *de versibus 551–554 falso fortasse aliorum loco huc intrusis v. ad 8, 511* 551 sidicina αG²V²ΓO : sidonia GV uiriasius αCh : uiciosius β (n- G) : uiridasius V²Q *edd. a* r1 : iuridasius Γς : *fort. scribendum* Vitrasius, *cf. Hanslik, RE IXA 416sqq.; sed v. etiam Schulze 380* 552 uictus Cm *Ep. 26* : melius ω

exsultare uidet (namque illi uulnere praeceps
terga dabat leuibus diffisus Arauricus armis),
acrius hoc, pulchro Mauorte accensus in iram
et dignum sese ratus in certamina saeuo
comminus ire uiro, referenti e corpore telum 560
aduolat et fodiens pectus: 'laudande laborum,
quisquis es, haud alia decuit te occumbere dextra.
ad manes leti perfer decus. Itala gentis
ni tibi origo foret, uita donatus abires.'
hinc Fadum petit et ueterem bellare Labicum, 565
cui Siculis quondam terris congressus Hamilcar
clarum spectato dederat certamine nomen.
immemor annorum seniumque oblitus in arma
ille quidem cruda mente et uiridissimus irae
ibat, sed uani frigentem in Marte senectam 570
prodebant ictus; stipula crepitabat inani
ignis iners cassamque dabat sine robore flammam.
quae postquam accepit patrio monstrante superbum
armigero Poenum ductor, 'certamina primae
hic lue nunc' inquit 'pugnae; te notus Hamilcar 575
hac trahit ad manes dextra.' tum librat ab aure
intorquens iaculum et uersantem in uulnere sese
transigit. extracta foedauit cuspide sanguis
canitiem et longos finiuit morte labores.
nec minus Herminium primis obtruncat in armis, 580
adsuetum, Thrasymenne, tuos praedantibus hamis
exhaurire lacus patriaeque alimenta senectae
ducere suspenso per stagna iacentia lino.

557 diffisus $F^2$LGv : -fusus Fγ arauricus ωCh : auaricus j 563 manis (-es) α *edd. vett.* : maius β itale VO (*corr.*) 565 Fadium *Heinsius, sed cf. Verg. Aen. 9, 344* 573 quae ω : quem $\Gamma^2$ς *edd.* superbum α : -s $F^2$β *edd.* 576 dextra $\Gamma^2$ς : -am ω 579 ac *Drakenborch tacite* 583 iacentia Ch : lat- ω

Interea exanimum maesti super arma Sychaeum
portabant Poeni corpusque in castra ferebant. 585
quos ubi conspexit tristi clamore ruentes
ductor, praesago percussus pectora luctu
'quinam' inquit 'dolor, o socii, quemue ira deorum
eripuit nobis? num te dulcedine laudis
flagrantem et nimio primi Mauortis amore 590
atra, Sychaee, dies properato funere carpsit?'
utque dato gemitu lacrimae adsensere ferentum
et dictus pariter caedis maerentibus auctor
'cerno' ait 'aduerso pulchrum sub pectore uulnus
cuspidis Iliacae. dignus Carthagine, dignus 595
Hasdrubale ad manes ibis, nec te optima mater
dissimilem lugebit auis, Stygiaue sub umbra
degenerem cernens noster uitabit Hamilcar.
at mihi Flaminius, tam maesti causa doloris,
morte sua minuat luctus. haec pompa sequetur 600
exsequias, seroque emptum uolet impia Roma,
non uiolasse mei corpus mucrone Sychaei.'
Sic memorans torquet fumantem ex ore uaporem,
iraque anhelatum proturbat pectore murmur,
ut multo accensis feruore exuberat undis, 605
clausus ubi exusto liquor indignatur aeno.
tum praeceps ruit in medios solumque fatigat
Flaminium incessens. nec dicto segnius ille
bella capessebat, propiorque insurgere Mauors
coeperat, et campo iunctus iam stabat uterque, 610
cum subitus per saxa fragor, motique repente,
horrendum, colles et summa cacumina totis

**584** exanimum α : -em β **588** quemue ωCh : qu(a)eue ΓOς **589** uobis Lδς **593** dictus F$\Gamma^2$ς : do- L : du- β **600** minuat ωCh : -et *edd. a* r1 **601** auroque *Thilo 1891, 619* **606** aeno α$\Gamma^2$ς : in euo β **607** medios solumque ωCm *Ep. 26* : medium caelumque *edd. a* r1 **609** propiorque LΓ : propr- Fβ **610** uterque αδ : utrique β

intremuere iugis. nutant in uertice siluae
pinifero, fractaeque ruunt super agmina rupes.
immugit penitus conuulsis ima cauernis 615
dissiliens tellus nec paruos rumpit hiatus,
atque umbras late Stygias immensa uorago
faucibus ostendit patulis, manesque profundi
antiquum expauere diem. lacus ater in altos
sublatus montes et sede excussus auita 620
lauit Tyrrhenas ignota adspergine siluas.
iamque eadem populos magnorumque oppida regum
tempestas et dira lues strauitque tulitque.
ac super haec reflui pugnarunt montibus amnes,
et retro fluctus torsit mare. monte relicto 625
Apenninicolae fugere ad litora Fauni.
pugnabat tamen (heu belli uecordia!) miles
iactatus titubante solo tremebundaque tela
subducta tellure ruens torquebat in hostem,
donec pulsa uagos cursus ad litora uertit 630
mentis inops stagnisque illata est Daunia pubes.
quis consul terga increpitans (nam turbine motae
ablatus terrae inciderat): 'quid deinde, quid, oro,
restat, io, profugis? uos en ad moenia Romae
ducitis Hannibalem, uos in Tarpeia Tonantis 635
tecta faces ferrumque datis. sta, miles, et acres
disce ex me pugnas, uel si pugnare negatum,
disce mori. dabit exemplum non uile futuris
Flaminius, ne terga Libys, ne Cantaber umquam
consulis adspiciat. solus, si tanta libido 640
est uobis rabiesque fugae, tela omnia solus

**619** expauete α (*corr. in* F) **620** sedes GΓ (*corr.*) **628** lactatus δ (*corr. in* Γ) **631** illata est ωlCm *Ep. 26* : in alta est O : lata Γ (*'puto latens male aut stat' Odus*) : latens stat Ξ : latens male A : latens tunc B : latebat *edd. a* r1 **633** ablatus αr2Ch : -is β **634** uos en ας : uos ne G : nos en γ

pectore consumo et moriens fugiente per auras
hac anima uestras reuocabo ad proelia dextras.'
Dumque ea commemorat densosque obit obuius hostes,
aduolat ora ferus mentemque Ducarius. acri 645
nomen erat gentile uiro, fusisque cateruis
Boiorum quondam patriis antiqua gerebat
uulnera barbaricae mentis noscensque superbi
uictoris uultus 'tune' inquit 'maximus ille
Boiorum terror? libet hoc cognoscere telo, 650
corporis an tanti manet de uulnere sanguis.
nec uos paeniteat, populares, fortibus umbris
hoc mactare caput. nostros hic curribus egit
insistens uictos alta ad Capitolia patres.
ultrix hora uocat.' pariter tunc undique fusis 655
obruitur telis nimboque ruente per auras
contectus nulli dextra iactare relinquit
Flaminium cecidisse sua. nec pugna perempto
ulterior ductore fuit. namque agmine denso
primores iuuenum laeua ad discrimina Martis 660
infensi superis dextrisque et cernere Poenum
uictorem plus morte rati super ocius omnes
membra ducis stratosque artus certamine magno
telaque corporaque et non fausto Marte cruentas
iniecere manus. sic densi caedis aceruo 665
ceu tumulo texere uirum. tum strage per undas
per siluas sparsa perque altam sanguine uallem
in medias fratre inuectus comitante cateruas
caesorum iuuenum Poenus 'quae uulnera cernis,

**646** fusisque ΞΠ *edd. a* r1 : -usque ω **649** uictoris $F^2V^2\Gamma$ς : -es ω **650** licet Ch **651** an α$\Gamma^2$ς : en β manet ω : -at $V^2\Gamma^2$ς **652** uos αO *edd. a* p : nos β **653** nostros *edd. a* r1 : -is ω (-as O) *vix recte* **655** tunc α *edd. a* p : n- β **657** relinquit ω : -liqu- BQZ *edd. a* r1 **660** l(a)eua αCm *Ep. 26* : s- β ad ω *cf. e.g. 4, 468 et v. Thes. 1, 552, 20 sqq.* : ob Cm *edd. recc.*

quas mortes!' inquit 'premit omnis dextera ferrum, 670
armatusque iacet seruans certamina miles.
hos, en, hos obitus nostrae spectate cohortes!
fronte minae durant, et stant in uultibus irae.
et uereor, ne, quae tanta creat indole tellus
magnanimos fecunda uiros, huic fata dicarint 675
imperium, atque ipsis deuincat cladibus orbem.'
Sic fatus cessit nocti, finemque dedere
caedibus infusae subducto sole tenebrae.

**672** spectate F$\Gamma^2$ς : -re Lβ **675** huic α$\Gamma^2$ς : hinc β (hic O)

SILI ITALICI

PVNICORVM

LIBER SEXTVS

Iam, Tartessiaco quos soluerat aequore Titan
in noctem diffusus, equos iungebat Eois
litoribus, primique nouo Phaethonte retecti
Seres lanigeris repetebant uellera lucis,
et foeda ante oculos strages propiusque patebat     5
insani Mauortis opus: simul arma uirique
ac mixtus sonipes dextraeque in uulnere caesi
haerentes hostis, passim clipeique iubaeque
atque artus trunci capitum fractusque iacebat
ossibus in duris ensis. nec cernere derat     10
frustra seminecum quaerentia lumina caelum.
tum spumans sanie lacus et fluitantia summo
aeternum tumulis orbata cadauera ponto.
  Nec tamen aduersis ruerat tota Itala uirtus.
Bruttius ingenti miserandae caedis aceruo     15
non aequum ostentans confosso corpore Martem
extulerat uix triste caput truncosque trahebat
per stragem neruis interlabentibus artus,
tenuis opum, non patre nitens linguaue, sed asper
ense, nec e Volsca quisquam uir gente redemit     20
plus aeui nece magnanima. puer addere sese

1 tartessiaco ς : tarce- L : tarci- F : terce- β  2 iungebat αr2v : urg- β  5 propriusque β  8 hastis *edd. a* r1  12 fluitantia $F^2LV^2\Gamma^2O^2$ς : fruct- F : fluctu- β *v. ad 4, 486*  14 tandem δς ruerat *Heinsius* : f- ωCh  tota FCh : fracta $F^2L$β  16 confosso αΓς : -fesso β  21 nece *Withof 56, cf. 27* : nec ω  abdere $\Gamma^2$ς

pubescente gena castris optarat et acri
Flaminio spectatus erat, cum Celtica uictor
obrueret bello diuis melioribus arua.
inde honor ac sacrae custodia Marte sub omni 25
alitis; hinc causam nutriuit gloria leti.
namque necis certus, captae prohibere nequiret
cum Poenos aquilae, postquam subsidere fata
uiderat et magna pugnam inclinare ruina,
occulere interdum et terrae mandare parabat. 30
sed subitis uictus telis labentia membra
prostrauit super atque iniecta morte tegebat.
uerum ubi lux nocte e Stygia miseroque sopore
reddita, uicini de strage cadaueris hasta
erigitur soloque uigens conamine late 35
stagnantem caede et facilem discedere terram
ense fodit clausamque aquilae infelicis adorans
effigiem palmis languentibus aequat harenas.
supremus fessi tenuis tum cessit in auras
halitus et magnam misit sub Tartara mentem. 40
Iuxta cernere erat meritae sibi poscere carmen
uirtutis sacram rabiem. Laeuinus, ab alto
Priuerno, uitis Latiae praesignis honore,
exanimum Nasamona Tyren super ipse iacebat
exanimis. non hasta uiro, non ensis; in artis 45
abstulerat fors arma. tamen certamine nudo
inuenit Marti telum dolor: ore cruento

22 actis *Damsté* **24** arua *Damsté, cf. 1, 678; Stat. silv. 4, 6, 68 sq.* : arma ω **32** iniecta $F^2$ *Livineius* : inl- (ill-) ω : (ac) mentita *Postgate 1902, Summers sensu male intellecto, bene Ernesti 'corpore suo, immoriturus in eo loco, aquilam tegebat'* **33** e *om.* α lux *i. vita*, nocte e Stygia *i. morte* **35** uigens *Livineius* : ingens ω *def. Summers coll. 11, 366, sed* uigens c. *i. nisus hasta* **41** meritae ωCh : -to δς **43** praesignis ωCm *Ep. 22* : per- *edd. a* r1 **44** iacebat $L\Gamma^2$ς : lat- Fβ **46** una (*pro* arma) δ (*corr. in utroque*)

pugnatum, ferrique uicem dens praebuit irae.
iam lacerae nares foedataque lumina morsu,
iam truncum raptis caput auribus, ipsaque diris 50
frons depasta modis, et sanguine abundat hiatus.
nec satias, donec mandentia linqueret ora
spiritus et plenos rictus mors atra teneret.
Talia dum praebet tristis miracula uirtus,
diuerso interea fugientes saucia turba 55
iactantur casu siluisque per auia caecis
ablati furtim multo cum uulnere solos
per noctem metantur agros. sonus omnis et aura
exterrent pennaque leui commota uolucris.
non sopor aut menti requies. agit asper acerba 60
nunc Mago attonitos, nunc arduus Hannibal hasta.
Serranus, clarum nomen, tua, Regule, proles,
qui longum semper fama gliscente per aeuum
infidis seruasse fidem memorabere Poenis,
flore nitens primo patriis heu Punica bella 65
auspiciis ingressus erat miseramque parentem
et dulces tristi repetebat sorte penates
saucius. haud illi comitum super ullus et atris
uulneribus qui ferret opem. per deuia fractae
innitens hastae furtoque ereptus opacae 70
noctis iter tacitum Perusina ferebat in arua.
hic fessus parui, quaecumque ibi fata darentur,
limina pulsabat tecti, cum membra cubili
euoluens non tarda Marus (uetus ille parentis
miles et haud surda tractarat proelia fama) 75
procedit renouata focis et paupere Vesta
lumina praetendens. utque ora agnouit et aegrum

48 dens $F^2\Gamma^2\varsigma$ : deus ω 52 satias ω (sac- O) *Modius* : -at δς : -es $F^2$ *edd. a* v : satis est b2 : satia Cm *Ep. 22* mandentia ωCm : -antia b2 62 seccanus δ (*corr. in* Γ) : secr- O 68 illi $\alpha\Gamma^2\varsigma$ : ulli β 69 uulneribus $\alpha\Gamma^2\varsigma$ : pulueribus β 72 hic ω : ac Ch ibi ωCh : hic *edd. a* r1 73 cum αCh : tum β 75 tractarat ας : -et β

uulneribus duris ac, lamentabile uisu,
lapsantes fultum truncata cuspide gressus,
funesti rumore mali iam saucius aures: 80
'quod scelus, o nimius uitae nimiumque ferendis
aduersis genitus cerno? te, maxime, uidi,
ductorum, cum captiuo Carthaginis arcem
terreres uultu, crimen culpamque Tonantis,
occidere atque hausi, quem non Sidonia tecta 85
expulerint euersa meo de corde, dolorem.
estis ubi en iterum, superi? dat pectora ferro
Regulus, ac stirpem tantae periura recidit
surgentem Carthago domus.' inde aegra reponit
membra toro nec ferre rudis medicamina (quippe 90
callebat bellis) nunc purgat uulnera lympha,
nunc mulcet sucis. ligat inde ac uellera molli
circumdat tactu et torpentes mitigat artus.
exin cura seni tristem depellere fesso
ore sitim et parca uires accersere mensa. 95
quae postquam properata, sopor sua munera tandem
applicat et mitem fundit per membra quietem.
necdum exorta dies, Marus instat uulneris aestus
expertis medicare modis gratumque teporem
exutus senium trepida pietate ministrat. 100
  Hic iuuenis maestos tollens ad sidera uultus
cum gemitu lacrimisque simul 'si culmina nondum
Tarpeia exosus damnasti sceptra Quirini,
extremas Italum res Ausoniamque ruentem
adspice' ait 'genitor, tandemque aduerte procellis 105
aequos Iliacis oculos. amisimus Alpes,
nec deinde aduersis modus est: Ticinus et ater

78 duris ω (*corr. ex* di- O) : tiris L : Tyriis *Blass*   81 nimius αCm *Ep. 22* : -m β   86 expulerint α$\Gamma^2$ς : -unt β   88 ac αCm : at β : an *edd. a* r2   tantae stirpem Cm (*errore manifesto Modii*)   90 thora δ (*corr. in* Γ)   102 nondum α$\Gamma^2$ς : nu- β (mu- O)   107 ater α$\Gamma^2$ς : acer β

stragibus Eridanus tuque insignite tropaeis
Sidoniis Trebia et tellus lacrimabilis Arni.
sed quid ego haec? grauior quanto uis ecce malorum! 110
uidi crescentes Thrasymenni caedibus undas
prostrataque uirum mole, inter tela cadentem
uidi Flaminium. testor, mea numina, manes
dignam me poenae tum nobilitate paternae
strage hostis quaesisse necem, ni tristia letum 115
ut quondam patri nobis quoque fata negassent.'
Cetera acerbantem questu lenire laborans
effatur senior: 'patrio, fortissime, ritu,
quicquid adest duri et rerum inclinata feramus.
talis lege deum cliuoso tramite uitae 120
per uarios praeceps casus rota uoluitur aeui.
sat tibi, sat magna et totum uulgata per orbem
stant documenta domus: sacer ille et numine nullo
inferior tuus ille parens decora alta parauit
restando aduersis nec uirtutem exuit ullam, 125
ante reluctantes liquit quam spiritus artus.
uix puerile mihi tempus confecerat aetas,
cum primo malas signabat Regulus aeuo.
accessi comes, atque omnes sociauimus annos,
donec dis Italae uisum est exstinguere lumen 130
gentis, in egregio cuius sibi pectore sedem
ceperat alma Fides mentemque amplexa tenebat.
ille ensem nobis magnorum hunc instar honorum
uirtutisque ergo dedit et, sordentia fumo
quae cernis nunc, frena; sed est argenteus ollis 135

109 arni FL²Ch : arui Lβ : auni Γ²ς *commendat O. Skutsch Class. Rev. 5, 1955, 19 sq., sed v. ad 5, 7* 114 nobilitate β : -re αO 115 ni αΓ : in β 117 acerbantem *edd. a* v *cf. 4, 669; Val. Fl. 6, 655* : -uantem ω 120 diuiso L 122 sat tibi sat αδ : stat t. s. G : stat t. sic O 125 illam *Heinsius* 131 et (*pro* in) δς 132 arma δ (*corr. in* Γ) 133 hunc Ch : n- ω : en ς

fulgor. nec cuiquam Marus est post talia dona
non praelatus eques. uerum superauit honores
omnes hasta meos. cui me libare Lyaei
quod cernis latices, dignum cognoscere causam.
 Turbidus arentes lento pede sulcat harenas 140
Bagrada, non ullo Libycis in finibus amne
uictus limosas extendere latius undas
et stagnante uado patulos inuoluere campos.
hic studio laticum, quorum est haud prodiga tellus,
per ripas laeti saeuis consedimus aruis. 145
lucus iners iuxta Stygium pallentibus umbris
seruabat sine sole nemus, crassusque per auras
halitus erumpens taetrum exspirabat odorem.
intus dira domus curuoque immanis in antro
sub terras specus et tristes sine luce tenebrae. 150
horror mente redit. monstrum exitiabile et ira
telluris genitum, cui par uix uiderit aetas
ulla uirum, serpens centum porrectus in ulnas
letalem ripam et lucos habitabat Auernos.
ingluuiem immensi uentris grauidamque uenenis 155
aluum deprensi satiabant fonte leones
aut acta ad fluuium torrenti lampade solis
armenta et tractae foeda grauitate per auras
ac tabe afflatus uolucres. semesa iacebant
ossa solo, informi dape quae repletus et asper 160
uastatis gregibus nigro ructarat in antro.
isque ubi feruenti concepta incendia ab aestu
gurgite mulcebat rapido et spumantibus undis,
nondum etiam toto demersus corpore in amnem

**136** quicquam δς **142** uirtus α **150** terra *Heinsius, Summers, sed cf. e.g. Liv. 41, 27, 9* in Auentinum porticum silice strauerunt *et de re Stat. Theb. 10, 84 sqq.* **152** uiderit ωCh : -at Γ²ς **159** latebant α (*corr. in* F) **160** informi dape quae *Bauer* : informidateque ω **162** ab aestu *Heinsius, v. Håkanson* : pastu ω **164** nondum αΓ²ς : nun- β (nudum O) erit (*pro* etiam) O

iam caput aduersae ponebat margine ripae. 165
imprudens tantae pestis gradiebar Aquino
Apenninicola atque Vmbro comitatus Auente.
scire nemus pacemque loci explorare libebat.
iamque propinquantum tacitus penetrauit in artus
horror et occulto riguerunt frigore membra. 170
intramus tamen et Nymphas numenque precamur
gurgitis ignoti trepidosque et multa pauentes
arcano gressus audemus credere luco.
ecce e uestibulo primisque e faucibus antri
Tartareus turbo atque insano saeuior Euro 175
spiritus erumpit, uastoque e gutture fusa
tempestas oritur mixtam stridore procellam
Cerbereo torquens. pauefacti clade uicissim
adspicimus. resonare solum tellusque moueri
atque antrum ruere et uisi procedere manes. 180
quantis armati caelum petiere Gigantes
anguibus, aut quantus Lernae lassauit in undis
Amphitryoniaden serpens, qualisque comantes
auro seruauit ramos Iunonius anguis,
tantus disiecta tellure sub astra coruscum 185
extulit adsurgens caput atque in nubila primam
dispersit saniem et caelum foedauit hiatu.
diffugimus tenuemque metu conamur anheli
tollere clamorem; frustra, nam sibila totum
implebant nemus, ac subita formidine caecus 190
et facti damnandus Auens (sed fata trahebant)
antiquae quercus ingenti robore sese

**166** aquino $\alpha V^2 \Gamma \varsigma$ : e- $\beta$ **168** faciemque *Burmann, commendat Håkanson, sed intellege 'explorare, utrum locus infestus sit necne'* **171** nomenque Cd (?) **176** gutture $\omega$ : gurgite Q *edd. a* r1 *edd. recc. per errorem* **184** iunonis anguis P : Iunonis et anguis Cd (?) **185** coruscum $\alpha \Gamma^2 \varsigma$ : -am $\beta$ **188** tenuemque $\omega$Cm *Ep. 22* : t'nque $\delta$ (que *om.* $\Gamma$) : tamen atque $\Gamma^2 \varsigma$ **190** at $\Gamma^2$Pm *Summers* **191** damnandus $\Gamma^2 \varsigma$ : clamandus $\omega$

occulit, infandum si posset fallere monstrum.
uix egomet credo: spiris ingentibus arte
arboris adstrinxit molem penitusque reuulsam 195
euertit fundo et radicibus eruit imis.
tum trepidum ac socios extrema uoce cientem
corripit atque haustu sorbens et faucibus atris
(uidi respiciens) obscena condidit aluo.
infelix fluuio sese et torrentibus undis 200
crediderat celerique fuga iam nabat Aquinus.
hunc medio inuasit fluctu ripaeque relatos
(heu genus infandum leti!) depascitur artus.
Sic dirum nobis et lamentabile monstrum
effugisse datur. quantum mens aegra sinebat, 205
appropero gressum et ductori singula pando.
ingemuit casus iuuenum miseratus acerbos,
utque erat in pugnas et Martem et proelia et hostem
igneus et magna audendi flagrabat amore,
ocius arma rapi et spectatum Marte sub omni 210
ire iubet campis equitem. ruit ipse citatum
quadrupedem planta fodiens, scutataque raptim
consequitur iusso manus et muralia portat
ballistas tormenta graues suètamque mouere
excelsas turres immensae cuspidis hastam. 215
iamque ubi feralem strepitu circumtonat aulam
cornea gramineum persultans ungula campum,
percitus hinnitu serpens euoluitur antro
et Stygios aestus fumanti exsibilat ore.
terribilis gemino de lumine fulgurat ignis. 220

195 adstrinxit (*et* 194 arte *pro* artae) *Ruperti, v. Håkanson* : abstraxit ω  197 trepredum α  et F (*corr. ex* ex)  202 ripaque Ch  relatos ωCm *Ep. 22* : -us *edd. a* r1  209 magna αCm : -o $F^2$β  210 capi O  213 obsequitur *edd. a* j *Bentley*  iussu J *edd. a* j : cursu *Blass, sed* iusso *et hic et 9, 602 fort. abl. abs. est*  216 que *om.* ΓOς  218 hinnitu Cm *Ep.22* : immani ω  219 et $Γ^2$ς : it ω (id ΓO)

at nemus arrectae et procera cacumina saltus
exsuperant cristae. trifido uibrata per auras
lingua micat motu atque adsultans aethera lambit.
ut uero strepuere tubae, conterritus alte
immensum attollit corpus tergoque residens 225
cetera sinuatis glomerat sub pectore gyris.
dira dehinc in bella ruit rapideque resoluens
contortos orbes derecto corpore totam
extendit molem subitoque propinquus in ora
lato distantum spatio uenit. omnis anhelat 230
attonitus serpentis equus, frenoque teneri
impatiens crebros exspirat naribus ignes.
arduus ille subit. tumidis ceruicibus altum
nutat utroque caput. trepidos inde incitus ira
nunc sublime rapit, nunc uasto pondere gaudet 235
elisisse premens. tunc fractis ossibus atram
absorbet saniem et tabo manante per ora
mutat hians hostem semesaque membra relinquit.
cedebant iam signa retro, uictorque cateruas
longius auectas afflatus peste premebat, 240
cum ductor propere reuocatam in proelia turmam
uocibus impellens: "serpentine Itala pubes
terga damus Libycisque parem non esse fatemur
anguibus Ausoniam? si debellauit inertes
halitus ac uiso mens aegra effluxit hiatu, 245
ibo alacer solusque manus componere monstro

**222** ex(s)uperant ΞX *edd. a* r1 : expuerant ω (expuḷerant V expauëant O) crist(a)e $\Gamma^2$O : triste β **226** sinuatis α$\Gamma^2$ς : sumatis β (simiatis O) **228** derecto ωCh : di- $\Gamma^2$Oς *cf.* 2, 92 **230** anhelat ωCm *Ep.* 22 : -ans *edd. a* r1 **231** serpentis ω (-ntus F -ns G) Cm : -nte et *edd. a* j **233** subit *Summers, duo hemistichia excidisse suspicatus, sed v. Håkanson 23 sq.* : super ω tumidis α$R^2$r1 : timidus β : tumidus δς **234** nutat $B^2$Ch : m- ω **236** tunc ωCh : n- $\Gamma^2$ς **238** relinquit $F^2$β : -liqu- α *fort. recte, cf. Lindblom 3 sq.*

sufficiam." clamans haec atque interritus hastam
fulmineo uolucrem torquet per inane lacerto.
uenit in aduersam non uano turbine frontem
cuspis et haud paulum uires adiuta ruentis 250
contra ardore ferae capiti tremebunda resedit.
clamor ad astra datur, uocesque repente profusae
aetherias adiere domos. furit ilicet ira
terrigena impatiens dare terga nouusque dolori
et chalybem longo tum primum passus in aeuo. 255
nec frustra rapidi stimulante dolore fuisset
impetus, ablato ni Regulus arte regendi
instantem elusisset equo rursusque secutum
cornipedis gyros flexi curuamine tergi
detortis laeua celer effugisset habenis. 260
At non spectator Marus inter talia segni
torpebat dextra. mea tanto in corpore monstri
hasta secunda fuit. iamiamque extrema trisulca
lambebat lingua fessi certamine terga
quadrupedis; torsi telum atque urgentia uelox 265
in memet saeui serpentis proelia uerto.
hinc imitata cohors certatim spicula dextris
congerit alternasque ferum diducit in iras,
donec murali ballista coercuit ictu.
tum fractus demum uires; nec iam amplius aegra 270
consuetum ad nisus spina praestante rigorem
ut solitum in nubes tollit caput. acrius instat,

248 per inane Cm *Ep. 71* : primaue ω : primamue $\Gamma^2$ς : primamque *edd. a* v 249 aduersum δ (*corr.* Γ) 257 ablato ω r2 : alato $\Gamma^2$ς ni α$\Gamma^2$ς : ui β 258 cursusque Γς : -uque Q *edd. a* v 260 effugisset b1 : -ud- ω 262 torquebat O 263 iam iamque $F^2\Gamma^2$ς : ianuamque ω 265 urg(u)entia ωCh : ingentia *edd. a* r1 267 mutata α (*corr. in* F) O 271 uigorem $\Gamma^2$ς 272 ut s. in n. tollit *edd. a* b1 *Watt 1984* : et s. in n. tolli ω *edd. recc.*; *priorum coniecturas Bauer congessit*

iamque aluo penitus demersa phalarica sedit,
et geminum uolucres lumen rapuere sagittae.
iam patulis uasto sub uulnere faucibus ater 275
tabificam exspirat saniem specus. ultima iamque
†ingenti† cauda et iaculis et pondere conti
haeret humi; lassoque tamen minitatur hiatu,
donec tormentis stridens magnoque fragore
discussit trabs acta caput, longoque resoluens 280
aggere se ripae tandem exhalauit in auras
liuentem nebulam fugientis ab ore ueneni.
erupit tristi fluuio mugitus et imis
murmura fusa uadis, subitoque et lucus et antrum
et resonae siluis ulularunt flebile ripae. 285
heu quantis luimus mox tristia proelia damnis,
quantaque supplicia et quales exhausimus iras!
nec tacuere pii uates famulumque sororum
Naiadum, tepida quas Bagrada nutrit in unda,
nos uiolasse manu seris monuere periclis. 290
haec tunc hasta decus nobis pretiumque secundi
uulneris a uestro, Serrane, tributa parente,
princeps quae sacro bibit e serpente cruorem.'
Iamdudum uultus lacrimis atque ora rigabat
Serranus medioque uiri sermone profatur: 295
'huic si uita duci nostrum durasset in aeuum,
non Trebia infaustas superasset sanguine ripas,
nec, Thrasymenne, tuus premeret tot nomina gurges.'

275 ater *Bauer* : aer ω 276 *post* specus *primus dist. Bauer* 277 ingestis *Blass, edd. recc.* : ingenti *cum* pondere *iungit Housman ad Manil. 4, 534 Add.* : languenti *ego* tonti F (*corr.*) : tanti L 286 quantis α Γ² ς : -um β 289 trepida Ch 290 nos QZΠ *edd. a* r1 : non ω seris monuere periclis *varie temptatum; sensus est 'monuerunt nos aliquando poenam daturos esse', cf. 7, 514 et Verg. Aen. 5, 524* 293 et serpentem δ (*corr. in* Γ) 296 huic Γ² ς : hinc ω

Tum senior 'magnas' inquit 'de sanguine poenas
praecepit Tyrio et praesumpta piacula mortis. 300
nam defecta uiris et opes attrita supinas
Africa tendebat palmas, cum sidere diro
misit Agenoreis ductorem animosa Therapne.
nulla uiro species decorisque et frontis egenum
corpus; in exiguis uigor, admirabile, membris 305
uiuidus et nisu magnos qui uinceret artus.
iam Martem scire atque astus adiungere ferro
et duris facilem per inhospita ducere uitam
haud isti, quem nunc penes est sollertia belli,
cederet Hannibali. uellem hunc, o tristia nobis 310
Taygeta, hunc unum non durassetis opacis
Eurotae ripis! uidissem moenia flammis
Phoenissae ruere aut certe non horrida fata
fleuissem ducis et, nulla quos morte nec igni
exutos seruans portabo in Tartara, luctus. 315
consertae campis acies, multusque per arua
feruebat Mauors, nec mens erat ulla sine ira.
hic inter medios memorandis Regulus ausis
laxabat ferro campum ac per tela ruebat
nec repetenda dabat letali uulnera dextra. 320
sic ubi nigrantem torquens stridentibus Austris

299 tum α : tunc β   300 praecepit O *edd. vett.* : per- ω *edd. recc., sed cf. e.g. 3, 68*   301 opes α$\Gamma^2$ς : a- β   attrita α$G^2\Gamma^2$ : attita β   302 cum αOv : tum β   303 therapne Rr2j : ch- ω (-amne L)   305 in ω : et Γς : at *edd. a* r1   306 nisu ας : u- β   307 scire *scripsi coll. Manil. 4, 228* discunt ... bellum *et Liv. 30, 37, 9* militares artes ... probe uideor *ego Hannibal* scire : ciere ω : regere *edd. a* b1, *quod falso* C *attribuit Drakenborch* (*v. Thilo 1891, 597 cui frustra obloquitur Bauer 1893, 43*)   313 aut F$\Gamma^2$ς : haud Lβ   314.315 fleuissem ... luctus *ut zeugma agnoscendum puto*   319 campum ac per tela *Heinsius, Bentley, v. Håkanson* : c. ac pericla ω : campo ac pericla δ : campoque pericla $F^2$ς   321 torquens αv : -pens β

portat turbo globum piceaque e nube ruinam
pendentem terris pariter pontoque minatur,
omnis et agricola et nemoroso uertice pastor
et pelago trepidat subductis nauita uelis. 325
at fraudem nectens, socios ubi concaua saxa
claudebant, uertit subito certamina Graius
et dat terga celer ficta formidine ductor,
haud secus ac stabulis procurans otia pastor
in foueam parco tectam uelamine frondis 330
ducit nocte lupos positae balatibus agnae.
abripuit traxitque uirum fax mentis honestae
gloria et incerti fallax fiducia Martis.
non socios comitumue manus, non arma sequentum
respicere; insano pugnae tendebat amore 335
iam solus, nubes subito cum densa Laconum
saxosis latebris intento ad proelia circum
funditur, et pone insurgit uis saeua uirorum.
o diram Latio lucem fastisque notandam!
dedecus o, Gradiue, tuum! tibi dextera et urbi 340
nata tuae tristi damnatur sorte catenae.
haud umquam absistam gemitu. te, Regule, uidit
Sidonius carcer, tuque huic sat magna triumpho
uisa es, Carthago, superis! quae poena sequetur
digna satis tali pollutos Marte Laconas? 345
At noua Elissaei iurato foedera patres
consultant mandare duci pacisque sequestrem

323 rimatur L 327 claudebant uertit lCm *Ep. 71* (*at cave credas* subito certamine gyros *in* C *fuisse*) : c. uertre ω (uertere L utre O) : uertice c. $\Gamma^2$ς certamina *Barth* : -e ω Graius *Barth* : gratos ω : gyros *edd. a* p 328 facta Cm 329 ac $\Sigma^2$b1 : et ω (e LQB) 337 intento ad αplCh : -t(a)e ad β : -de ad δ : -dens *edd. a* v 338 pone $H^2$ *Bauer* : p(o)en(a)e ω : poena *i. Punica* Ch (?) 339 notandam r2pv : -um ω 341 damnatur αG$\Gamma^2$ς : -antur γ 343 huic α : hinc β 346 at Gδς : ac αO

mittere poscentis uinctam inter proelia pubem
captiuamque manum ductore rependere nostro.
nec mora iam stabat primis in litoris undis 350
nauali propulsa ratis, iam nautica pubes
aut siluis stringunt remos aut abiete secta
transtra nouant. his intortos aptare rudentes,
his studium erecto componere carbasa malo.
unca locant prora curuati pondera ferri. 355
ante omnes doctus pelagi rectorque carinae
puppim aptat clauumque Cothon. micat aereus alta
fulgor aqua trifidi splendentis in aequore rostri.
tela simul uariamque ferunt contra aspera ponti
rerum ad tempus opem. mediae stat margine puppis, 360
qui uoce alternos nautarum temperet ictus
et remis dictet sonitum pariterque relatis
ad numerum plaudat resonantia caerula tonsis.
  Postquam confectum nautis opus horaque cursus
atque armata ratis uentique dedere profundum, 365
omnis turba ruit, matres puerique senesque.
per medios coetus trahit atque inimica per ora
spectandum Fortuna ducem. fert lumina contra
pacatus frontem, qualis cum litora primum
attigit appulsa rector Sidonia classe. 370
accessi comes haud ipso renuente ratique
impositus maestis socium me casibus addo.
illuuiem atque inopes mensas durumque cubile
et certare malis urgentibus hoste putabat
deuicto maius, nec tam fugisse cauendo 375
aduersa egregium, quam perdomuisse ferendo.

348 poscentis ω *cum* pacis *iungendum, cf. 2, 12 sqq., pendet inf.* rependere (*pro nominativo vendere videtur Blomgren 13*) : -es $\Gamma^2$ ς uinctam FGCh : uic- Lγ 352 abiete LG$\Gamma^2$ς : abiere F : abiecte γ 353 his ς : bis ω 358 trifidis α rostri αr2v : ra- β 365 uentique v : -oque ω 372 maestis β : -us α 374 putabat ωCm *Ep. 71* : -m $\Gamma^2$ς

spes tamen una mihi, quamquam bene cognita et olim
atrox illa fides, urbem murosque domumque
tangere si miseris licuisset, corda moueri
posse uiri et uestro certe mitescere fletu. 380
claudebam sub corde metus lacrimasque putabam
esse uiro et nostrae similem inter tristia mentem.
cum tandem patriae Tiberino allabimur amni,
seruabam uultus ducis ac prodentia sensum
lumina et obtutu perstabam intentus eodem. 385
si qua fides, unum, puer, inter mille labores,
unum etiam in patria saeuaque in Agenoris urbe
atque unum uidi poenae quoque tempore uultum.
obuia captiuo cunctis simul urbibus ibat
Ausonia, et campum turba uincente propinqui 390
implentur colles; strepit altis Albula ripis.
ipsi Poenorum proceres immitia corda
ad patrios certant cultus reuocare, togaeque
addebatur honos. stetit illacrimante senatu
et matrum turba iuuenumque dolore profuso 395
inter tot gemitus immobilis. aggere consul
tendebat dextram et patria uestigia primus
ponentem terra occursu celebrabat amico.
collegit gressum, monitusque recedere consul
nec summum uiolare decus. cingente superba 400
Poenorum turba captiuo tegmine saeptus
ibat et inuidiam caelo diuisque ferebat.
Ecce trahens geminum natorum Marcia pignus,
infelix nimia magni uirtute mariti,
squalentem crinem et tristes lacerabat amictus. 405

380 uiri ωCh : -o *edd. a* r1 383 patriae *dativus*, amni *ablativus est ut 8, 125, cf. 6, 521* 394 addebatur ωCm : abd- *edd. a* p 401 captiuo tegmine *Hilff, cf. 393 et 407; Stat. Theb. 2, 583 sq.* tergoque et uertice tegmina nota saeptus; *Curt. 6, 6, 10* in captiuo habitu : captiuoque agmine ω *edd. recc., sed rem nemo explicavit* 403 geminum $F^2LV^2\Gamma O$ : -tum FGV

agnoscisne diem? an teneris non haesit in annis?
atque ea, postquam habitu iuxta et uelamine Poeno
deformem adspexit, fusis ululatibus aegra
labitur, et gelidos mortis color occupat artus.
si qua deis pietas, tales, Carthago, uidere 410
dent tibi Sidonias matres. me uoce quieta
affatus iubet et uestros et coniugis una
arcere amplexus pater, impenetrabilis ille
luctibus et numquam summissus colla dolori.'
Hic alto iuuenis gemitu lacrimisque coortis 415
'magne parens' inquit 'quo maius numine nobis
Tarpeia nec in arce sedet, si iura querelis
sunt concessa piis, cur hoc matrique mihique
solamen, uel cur decus hoc, o dure, negasti,
tangere sacratos uultus atque oscula ab ore 420
libauisse tuo? dextram mihi prendere dextra
non licitum? leuiora forent haec uulnera quantum,
si ferre ad manes infixos mente daretur
amplexus, uenerande, tuos. sed uana recordor,
ni, Mare, (nam primo tunc haerebamus in aeuo) 425
humana maior species erat. horrida cano
uertice descendens ingentia colla tegebat
caesaries, frontique coma squalente sedebat
terribilis decor atque animi uenerabile pondus.
nil posthac oculis simile incidit.' excipit inde 430
iam Marus atque inhibens conuellere uulnera questu
'quid, cum praeteritis inuisa penatibus' inquit
'hospitia et sedes Poenorum intrauit acerbas?
affixi clipei currusque et spicula nota,
aedibus in paruis magni monumenta triumphi, 435

**413** pater *Ruperti* : -t ω **422** luctum F **423** daretur α$\Gamma^2$ς : -entur β **425** ni mare vCh : mi mare ω : ni male r1mpl **430** excipit α$\Gamma^2$ς : -dit β **431** iam αr2v : nam β uulnera αv : uellera β

pulsabant oculos, coniunx in limine primo
clamabat: "quo fers gressus? non Punicus hic est,
Regule, quem fugias, carcer. uestigia nostri
casta tori domus et patrium sine crimine seruat
inuiolata larem. semel hic iterumque (quid, oro, 440
pollutum est nobis?) prolem gratante senatu
et patria sum enixa tibi. tua, respice, sedes
haec est, unde ingens umeris fulgentibus ostro
uidisti Latios consul procedere fasces,
unde ire in Martem, quo capta referre solebas 445
et uictor mecum suspendere postibus arma.
non ego complexus et sanctae foedera taedae
coniugiumue peto. patrios damnare penates
absiste ac natis fas duc concedere noctem."
  Hos inter fletus iunctus uestigia Poenis 450
limine se clusit Tyrio questusque reliquit.
uixdum clara dies summa lustrabat in Oeta
Herculei monumenta rogi, cum consul adire
accirique iubet Libyas. tum limina templi
uidimus intrantem. quae consultata senatus 455
quasue uiri uoces extremum curia maerens
audierit, placido nobis ipse edidit ore.
intulit ut gressus, certatim uoce manuque
ad solitam sedem et uestigia nota uocabant.
abnuit antiquumque loci aspernatur honorem. 460

**439** patrium α$G^2$$Γ^2$ς : patrum β **444** praecedere O **449** duc αr2v : est β **450** hos α$Γ^2$ς : nos β iunctus $Γ^2$ς : ui- ω **451** se clusit Cm *Ep. 71* : seclusit L : sedusit F : seduxit β : se duxit δς **452** (o)eta α$Γ^2$ς : aera β **454** libyas $F^2$LCh : libras Fβ : libycos $Γ^2$ς **455** tum quae consulta *Gronovius* : quae tum consulta *Summers* (*substantivum* consultata *certe nusquam alibi invenitur*) **458** certatim α$G^2$Γς : -tum β **459** uocabant $Φ^2$lCh : -at ω **460** aspernatur *Heinsius* : -us ωCh (*forma 'abnuit et aspernatus' nusquam apud nostrum invenitur*) : -us h. est $Γ^2$ς

at circumfusi non setius undique dextram
prensare ac, patriae ductorem nomine tanto
redderet, orabant; captiua posse redemptum
pensari turba, ac Tyrias tum iustius arces
arsuras dextra, fuerit quae uincta catenis. 465
Tum palmas simul attollens ac lumina caelo
"iustitiae rectique dator, qui cuncta gubernas,
nec leuior mihi diua Fides Sarranaque Iuno,
quos reditus testes iurata mente uocaui,
sit mihi fas me digna loqui Latiosque tueri 470
uoce focos; ibo ad Tyrios non segnior" inquit
"stante fide reditus et saluo foedere poenae.
sic nobis rerum exitio desistite honorem
tendere. tot bellis totque annis fregimus aeuum.
nunc etiam uinclis et longo carcere torpent 475
captiuo in senio uires. fuit ille nec umquam,
dum fuit, a duro cessauit munere Martis
Regulus. exsangui spectatis corpore nomen.
at non Carthago, fraudum domus, inscia quantum
e nobis restet, iuuenes parat, aspera ferro 480
pectora, captiuos nostra pensare senecta.
ite dolos contra, gensque astu fallere laeta
discat, me capto quantum tibi, Roma, supersit.
nec uero placeat, nisi quae de more parentum
pax erit. exposcunt Libyes nobisque dedere 485
haec referenda: pari libeat suspendere bellum
foedere et ex aequo geminas conscribere leges.

**461** setius (sec-) α$V^2$Γς : secus G : seciis γ **464** tum $Γ^2$ς : cum ω iustius $Γ^2$ς : -ior ω **466** ac β : ad F : et L **467** dator *varie temptatum, sed alludit ad fabulam; cf. e.g. Hes. op. 256; Plato Prot. 322 c; Octavia 397 sqq.* **468** serranaque v Ch (?) **470** sit ω *cf. Verg. Aen. 6, 266* : si Ch **473** sic $Γ^2$ *edd. a* r1 : sit ω **480** en nobis Ch (?) **485** libyes ω Ch : libyci $Γ^2$ς **486** suspendere *Watt 1985 coll. Lucan. 4, 531* : si pendere ω

sed mihi sit Stygios ante intrauisse penates,
talia quam uideam ferientes pacta Latinos."
Haec fatus Tyriae sese iam reddidit irae, 490
nec monitus spernente graues fidosque senatu
Poenorum dimissa cohors. quae maesta repulsa
ac minitans capto patrias properabat ad oras.
prosequitur uulgus, patres, ac planctibus ingens
personat et luctu campus. reuocare libebat 495
interdum et iusto captum retinere dolore.
At trepida et subito ceu stans in funere coniunx,
ut uidit puppi properantem intrare, tremendum
uociferans celerem gressum referebat ad undas:
"tollite me, Libyes, comitem poenaeque necisque. 500
hoc unum, coniunx, uteri per pignora nostri
unum oro: liceat tecum quoscumque ferentem
terrarum pelagique pati caelique labores.
non ego Amyclaeum ductorem in proelia misi,
nec nostris tua sunt circumdata colla catenis. 505
cur usque ad Poenos miseram fugis? accipe mecum
hanc prolem. forsan duras Carthaginis iras
flectemus lacrimis, aut si praecluserit aures
urbs inimica suas, eadem tunc hora manebit
teque tuosque simul; uel si stat rumpere uitam, 510
in patria moriamur. adest comes ultima fati."
Has inter uoces uinclis resoluta moueri
paulatim et ripa coepit decedere puppis.
tum uero infelix mentem furiata dolore
exclamat fessas tendens ad litora palmas: 515

488 stygios α$\Gamma^2$ς : -as β 491 fidosque $\Gamma^2$ς : -oque ωCh 493 minitans α$\Gamma^2$ς : mil- β 495 campus GJl *Livineius* : -is ω 496 captum ω : r- r2v *edd. recc.* 498 ut uidit et δς puppi ωCh *cf. 13, 814* : -im δς 500 libyes ωCh : libyci $\Gamma^2$ς 514 uero $\Gamma^2$ς : -e ω mentem $\Gamma^2$ς : -te ω 515 sidera Γ (*corr.*) *edd. a* r1 : lintea *Bailey, sed cf. Thes. 7, 2, 1537, 52*

"en, qui se iactat Libyae populisque nefandis
atque hosti seruare fidem! data foedera nobis
ac promissa fides thalamis ubi, perfide, nunc est?"
ultima uox duras haec tunc penetrauit ad aures;
cetera percussi uetuerunt noscere remi. 520
Tum fluuio raptim ad pelagi deuoluimur oras
ac legimus pontum pinuque immane cauata
aequor et immensas curua trabe findimus undas.
ludibrium necis horrescens, uis aspera ponti
obrueret scopulisque ratem furor improbus Euri 525
frangeret, optabam; letum id commune fuisset.
sed nos in poenam moderato flamine lenes
uexerunt Zephyri Tyrioque dedere furori.
Infelix uidi patriamque remissus in urbem
narrator poenae dura mercede reuerti. 530
nec tibi nunc ritus imitantem irasque ferarum
Pygmalioneam temptarem expromere gentem,
si maius quicquam toto uidisset in orbe
gens hominum, quam quod uestri ueneranda parentis
edidit exemplum uirtus. pudet addere questus 535
suppliciis, quae spectaui placido ore ferentem.
tu quoque, care puer, dignum te sanguine tanto
fingere ne cessa atque orientes comprime fletus.
praefixo paribus ligno mucronibus omnes
armantur laterum crates, densusque per arcam 540

522 immane αCm *Ep. 71* : minante β : iuuante Γ²ς 523 findimus αV²Γς : fu- β 525 obrueret ας : -at β (-it O) 526.527 letum – poenam *om.* ZΠ *edd. a* r1 (*non* r2m) : *ins.* Cm *Ep. 71* 527 in ω : ad Cm *edd. recc.*, *sed cf. Liv. 21, 6, 8* ad ducem ipsum in poenam ... deposcendum 531 imitantem αΓ²ς : lini- β 536 spectaui αΓ²ς : expectaui β 538 orientis αr2Ch : hauri- β : hum- Γ²ς 540 densusque ω *cf. e.g. Tib. 1, 9, 68; Stat. Theb. 2, 526* : -umque Ch *edd. recc.* arcam *McGushin 137 coll. Vir. ill. 40, 4* (*Sen. epist. 67, 7* Reguli arca *adduxerat iam Dausqueius ad l.*) : artem ω

texitur erecti stantisque ex ordine ferri
infelix stimulus, somnisque hac fraude negatis
quocumque inflexum producto tempore torpor
inclinauit iners, fodiunt ad uiscera corpus.
absiste, o iuuenis, lacrimis. patientia cunctos — 545
haec superat currus. longo reuirescet in aeuo
gloria; dum caeli sedem terrasque tenebit
casta Fides, dum uirtutis uenerabile nomen,
uiuet; eritque dies, tua quo, dux inclite, fata
audire horrebunt a te calcata minores.' — 550
haec Marus et maesta refouebat uulnera cura.
  Interea rapidas perfusa cruoribus alas,
sicut sanguinea Thrasymenni tinxerat unda,
uera ac ficta simul spargebat Fama per urbem.
Allịa et infandi Senones captaeque recursat — 555
attonitis arcis facies. excussit habenas
luctificus Pauor, et tempestas aucta timendo.
hic raptim ruit in muros. uox horrida fertur
'hostis adest', iaciuntque sudes et inania tela.
ast aliae laceris canentes crinibus alta — 560
uerrunt tecta deum et seris post fata suorum
sollicitant precibus. requiem tenebraeque diesque
amisere. iacent portis ululante dolore
dispersum uulgus, remeantumque ordine longo
seruat turba gradus; pendent ex ore loquentum, — 565
nec laetis sat certa fides, iterumque morantur

542 hac α$\Gamma^2$ς : ac β   543 inflexo δς : -us $\Gamma^2$ *edd. a* r1 : flexum Ch   producto $F^2$QZ *edd. a* r1 : prae- F : per- Lβ   torpor *Dausqueius* : tortor ω : tactor δς   546 haec LCh : hos $F^2$β : hoc F   currus ωCh : casus $\Gamma^2$ς   547 sedem αδ : sedent β   554 urbem αr2v : o- β   559 rapiuntque *Bothe, fort. recte*   560 *Summers ante hunc versum aliquid excidisse putat, sed* hic ... aliae *sanum esse videtur;* canentes *sc. pulvere (cf. 13, 311 sq. et 15, 740), dum crinibus tecta verrunt*   561 uerrunt αlb1 : uert- β   565 seruat α$\Gamma^2$ς : -ua β

orando et uultu interdum sine uoce precati,
quod rogitant, audire pauent. hic fletus, ubi aures
percussae grauiore malo, metus inde, negatum
si scire et dubius responsi nuntius haesit. 570
iamque ubi conspectu redeuntis uisa propinquo
corpora, sollicite laeti funduntur et ipsis
oscula uulneribus figunt superosque fatigant.
  Hic inter trepidos curae uenerandus agebat
Serranum Marus, atque olim post fata mariti 575
non egressa domum uitato Marcia coetu
et lucem causa natorum passa ruebat
in luctum similem antiquo. turbata repente
agnoscensque Marum 'Fidei comes inclite magnae,
hunc certe mihi reddis' ait. 'leue uulnus? an alte 580
usque ad nostra ferus penetrauit uiscera mucro?
quicquid id est, dum non uinctum Carthago catenis
abripiat poenaeque instauret monstra paternae,
gratum est, o superi. quotiens heu, nate, petebam,
ne patrias iras animosque in proelia ferres 585
neu te belligeri stimularet in arma parentis
triste decus. nimium uiuacis dura senectae
supplicia expendi. quaeso, iam parcite, si qua
numina pugnastis nobis.'
                At cladis acerbae
discussa ceu nube patres conquirere fessis 590
iam rebus meditantur opem, atque ad munera belli
certatur, pulsusque timor grauiore periclo.
maxima curarum rectorem ponere castris,

567 precati F²LΓ²ς : -ri Fβ   568 hinc *Gronovius, edd. recc., sed* hic *propter* ubi *retinendum*   571 redeuntum *Dausqueius, edd. recc., sed bene Cellarius 'quasi cuiusque redeuntis'*   579 inclite F²Lς : indite β : indice O   580 hunc F²Lr2Cm *Ep. 68* : n- Fβ   582 id est ωCm : adest *edd. a* v   586 neu αGΓ² : nen δ : non O : nec *edd. a* r1   589 at RCh : ac ω : et O : hac Γ²ς   590 discissa Ch

cui Latium et moles rerum quassata recumbat
spectante occasum patria. Iouis illa ruenti 595
Ausoniae atque Italis tempus protendere regnis
cura fuit; nam Tyrrhenos Poenumque secundis
Albana surgens respexerat arce tumentem,
qui ferre in muros uictricia signa parabat.
tum quassans caput 'haud umquam tibi Iuppiter' inquit 600
'o iuuenis, dederit portas transcendere Romae
atque inferre pedem. Tyrrhenas sternere ualles
caedibus et ripas fluuiorum exire Latino
sanguine fas fuerit. Tarpeium accedere collem
murisque adspirare ueto.' quater inde coruscum 605
contorsit dextra fulmen, quo tota reluxit
Maeonidum tellus, atramque per aethera uoluens
abrupto fregit caelo super agmina nubem.
nec Poenum auertisse satis; dat numine magno
Aeneadis mentem gremio deponere tuto 610
Romuleam tandem Fabioque salutis habenas
credere ductori. cui postquam tradita belli
iura uidet, 'non hunc' inquit 'superauerit umquam
inuidia aut blando popularis gloria fuco,
non astus fallax, non praeda aliusue cupido. 615
bellandi uetus ac laudum cladumque quieta
mente capax. par ingenium castrisque togaeque.'
sic genitor diuum recipitque ad sidera gressum.
Hic circumspectis nulli deprensus in armis
laudatusque Ioui Fabius mirabile quantum 620
gaudebat reducem patriae annumerare reuersus,
duxerat egrediens quam secum in proelia pubem.
nec membris quisquam natoue pepercit amato

**611** tandem *frustra a multis temptatum;* Romuleam *sc. salutem, cf. Stat. silv. 1, 1, 78 sq. et de brachylogiae genere Sil. 2, 39 sq.; v. Delz 1983, 218* **614** blando αr2Ch : libido β : libico $V^2\Gamma^2$ς **619** deprensus *i. aequatus van Veen coll. Stat. silv. 4, 4, 74 recte* **620** quantum ωCh : t- δς

acrius aut uidit socium per bella cruorem
tristior. atque idem perfusus sanguine uictor 625
hostili plenis repetebat moenia castris.
stirpe genus clarum caeloque affinis origo.
nam remeans longis olim Tirynthius oris
et triplicis monstri famam et spectacula captas
mira boues hac, qua fulgent nunc moenia Romae, 630
egit ouans. tunc Arcadius, sic fama, locabat
inter desertos fundata Palatia dumos
paupere sub populo ductor, cum regia uirgo
hospite uicta sacro Fabium de crimine laeto
procreat et magni commiscet seminis ortus 635
Arcas in Herculeos mater uentura nepotes.
ter centum domus haec Fabios armauit in hostem
limine progressos uno, pulcherrima quorum
cunctando Fabius superauit facta ducemque
Hannibalem aequando. tantus tunc, Poene, fuisti. 640
Dum se perculsi renouant in bella Latini,
turbatus Ioue et exuta spe moenia Romae
pulsandi colles Vmbros atque arua petebat
Hannibal, excelso summi qua uertice montis
deuexum lateri pendet Tuder, atque ubi latis 645
proiecta in campis nebulas exhalat inertes
et sedet ingentem pascens Meuania taurum,
dona Ioui. tum Palladios se fundit in agros,
Picenum diues praedae, atque errantibus armis,
quo spolia inuitant, transfert populantia signa, 650
donec pestiferos mitis Campania cursus
tardauit bellumque sinu indefensa recepit.

**628** nam et r. δ (*corr. in* Γ) ς **630** qua fulgent nunc αZΠv : qua f. β **634** laeto ωCh : -a $\Gamma^2$ς **636** in α$V^2\Gamma^2$O : inde β **640** tunc αPr2lb1 : n- β **643** pulsando Ch umbros α$\Gamma^2$ς : -as β **644** summi αCh : -um β **648** palladios F$\Gamma^2$ς : -lid- $F^2$β **649** P. d. *appositionem esse vidit Hilff* **650** inuitant αr2plb1 : mutant β (-at O) : ut mutet $\Gamma^2$ς

Hic dum stagnosi spectat templumque domosque
Literni ductor, uaria splendentia cernit
pictura belli patribus monumenta prioris 655
exhausti; nam porticibus signata manebant,
quis inerat longus rerum et spectabilis ordo.
primus bella truci suadebat Regulus ore,
bella neganda uiro, si noscere fata daretur.
ac princeps Poenis indicta more parentum 660
Appius adstabat pugna lauroque reuinctus
iustum Sarrana ducebat caede triumphum.
aequoreum iuxta decus et nauale tropaeum,
rostra gerens niuea surgebat mole columna:
exuuias Marti donumque Duilius alto 665
ante omnes mersa Poenorum classe dicabat.
cui, nocturnus honos, funalia clara sacerque
post epulas tibicen adest, castosque penates
insignis laeti repetebat murmure cantus.
cernit et extremos defuncti ciuis honores: 670
Scipio ductoris celebrabat funera Poeni,
Sardoa uictor terra. uidet inde ruentem
litoribus Libycis dispersa per agmina pubem;
instabat crista fulgens et terga premebat
Regulus; Autololes Nomadesque et Maurus et Hammon 675
et Garamas positis dedebant oppida telis.

**653** stagnosi α$G^2\Gamma^2$ς : sag- β **654** literni αCh : litt- β : lint- ς certat L **657** et spectabilis α$\Gamma^2$ς : expect- β **659** darentur δ (*corr. in* Γ) ς **660** ac ω : at PQpj *edd. recc.* p(o)enis α *edd. a* r2 : potius β **660.661** indicta ... pugna αCh : -a ... -ae β : -ae ... -ae $\Gamma^2$ς **665** donumque $F^2$ *edd. a* b1 : domumque F : domum que L : donum comaque β (domum O coinaque V) : donum tum que $\Gamma^2$ : donum tum ς : dominoque (D. alti) *Summers, sed cf. Lucan. 1, 137sq.* duilius *edd. a* r1 : duillius $F^2$ : dulius ω **669** insignis α$G^2$ς : -niis β murmure α$\Gamma^2$ : -a β **671** celebraret Ch **672** sardoa $F^2G\Gamma^2$ : sartloa αδ : sardaa O **673** litoribus α$\Gamma^2$ς : uict- β

lentus harenoso spumabat Bagrada campo
uiperea sanie, turmisque minantibus ultro
pugnabat serpens et cum duce bella gerebat.
necnon proiectum puppi frustraque uocantem 680
numina Amyclaeum mergebat perfida ponto
rectorem manus, et seras tibi, Regule, poenas
Xanthippus digni pendebat in aequore leti.
addiderant geminas medio consurgere fluctu
Aegates; lacerae circum fragmenta uideres 685
classis et effusos fluitare in gurgite Poenos.
possessor pelagi pronaque Lutatius aura
captiuas puppes ad litora uictor agebat.
haec inter iuncto religatus in ordine Hamilcar,
ductoris genitor, cunctarum ab imagine rerum 690
totius in sese uulgi conuerterat ora.
sed pacis faciem et pollutas foederis aras
deceptumque Iouem ac dictantes iura Latinos
cernere erat. strictas trepida ceruice secures
horrebat Libys, ac summissis ordine palmis 695
orantes ueniam iurabant irrita pacta.
haec Eryce e summo spectabat laeta Dione.
  Quae postquam infesto percensuit omnia uultu
arridens Poenus, lenta proclamat ab ira:
'non leuiora dabis nostris inscribere tectis 700
acta meae dextrae: captam, Carthago, Saguntum
da spectare, simul flamma ferroque ruentem;
perfodiant patres natorum membra. nec Alpes
exiguus domitas capiet locus; ardua celsis

678 ultor *Livineius* 679 et αΓ² : *om.* β 682 rectorem ωCm *Ep. 68* : Xanthippum ΠZ *edd. a* r1 683 digni αΓ²ς : digiti β aequore ωCm : -a b2 686 effusos αOr2v : ef(f)lussos (-xos) β 689 iuncto αGς *de serie imaginum, cf. Stat. Theb. 6, 273* : ui- γ *versus, quia contra historiam videbatur, varie temptatus, sed cf. 13, 739* 692 Pacis *edd., sed* faciem *i. simulationem*

persultet iuga uictor equis Garamasque Nomasque. 705
addes Ticini spumantes sanguine ripas
et nostrum Trebiam et Thrasymenni litora Tusci
clausa cadaueribus. ruat ingens corpore et armis
Flaminius, fugiat consul manante cruore
Scipio et ad socios nati ceruice uehatur. 710
haec mitte in populos, et adhuc maiora dabuntur.
flagrantem effinges facibus, Carthago, Libyssis
Romam et deiectum Tarpeia rupe Tonantem.
interea uos, ut dignum est, ista, ocius ite,
o iuuenes, quorum dextris mihi tanta geruntur, 715
in cineres monumenta date atque inuoluite flammis.'

707 tusci H *ut coni. Blass* : -is ω  712 effinges $F^2 L Γ^2 O^2$ *Modius* : -gens Fβ : effugies Cm *Ep. 68*  713 deiectum αδς : duretum G : directum O

# SILI ITALICI
# PVNICORVM
## LIBER SEPTIMVS

Interea trepidis Fabius spes unica rebus.
ille quidem socios atque aegram uulnere praeceps
Ausoniam armabat uiridique ad dura laborum
bellator senio iam castra mouebat in hostem,
sed mens humana maior non tela nec enses 5
nec fortes spectabat equos. tot milia contra
Poenorum inuictumque ducem, tot in agmina solus
ibat et in sese cuncta arma uirosque gerebat.
ac ni sacra seni uis impressumque fuisset
sistere cunctando Fortunam aduersa fouentem, 10
ultima Dardanii transisset nominis aetas.
ille modum superis in Punica castra fauoris
addidit et Libyae finem inter prospera bella
uincendi statuit, tumefactum cladibus ille
Hesperiis lento Poenum moderamine lusit. 15
summe ducum, qui regna iterum labentia Troiae
et fluxas Latii res maiorumque labores,
qui Carmentis opes et regna Euandria seruas,
surge, age et emerito sacrum caput insere caelo.
At Libyae ductor, postquam noua nomina lecto 20
dictatore uigent, raptim mutata Latinis
imperia haud frustra reputans cognoscere auebat,

1 rabidis Ch 3 dura ωr2v : clura δ : clara $\Gamma^2$ς 5 mente OB non ω : nec ΖΠΣ *edd. a* r1 10 Fortunam cunctando Ch *edd. recc.* 16 tecta (*aut in 18*) *Heinsius* 18 sceptra *Withof* : signa *Bothe* 22 auebat $\Gamma^2$ς : age- F : habe- $F^2$Lβ

quae fortuna uiro, quodnam decus, ultima fessis
ancora cur Fabius, quem post tot Roma procellas
Hannibali putet esse parem. feruore carentes 25
angebant anni fraudique inaperta senectus.
ocius accitum captiuo ex agmine poscit
progeniem ritusque ducis dextraeque labores.
Cilnius Arreti Tyrrhenis ortus in oris
(clarum nomen) erat, sed laeua adduxerat hora 30
Ticini iuuenem ripis, fususque ruentis
uulnere equi Libycis praebebat colla catenis.
hic ardens extrema malis et rumpere uitam
'non cum Flaminio tibi res, nec feruida Gracchi
in manibus consulta' inquit; 'Tirynthia gens est. 35
quam si fata tuis genuissent, Hannibal, oris,
terrarum imperium Carthaginis arce uideres.
non ego te longa serie per singula ducam.
hoc sat erit; nosces Fabios certamine ab uno:
Veientum populi uiolata pace negabant 40
acceptare iugum, ac uicino Marte furebat
ad portas bellum, consulque ciebat ad arma.
dilectus uetiti, priuataque castra penates
Herculei impleuere. domo, mirabile, ab una
patricius iunctis exercitus ibat in armis. 45
ter centum exsiluere duces. quocumque liberet
uno non pauidus rexisses bella magistro.
sed dirum egressis omen: Scelerata minaci

23 quondam δ (*corr. in* Γ) 25 putet αGb1 : -at γ carentes Hp : cal- ω 27 accinctum δ (*corr. in* Γ) : accitus O 28 laborem Ch 29 Cilnius *Livineius* : cilinus ω t(h)ir(r)enis (ty-) F²LΓς : tirihenis F : thirienis β 30 *sic dist. Ker* aduxerat δ ora δ (*corr. in* Γ) 33 a. exire m. *Thilo 1891, 620* : a. – extrema malis – abrumpere *Bauer, sed ab* ardens *pendet* extrema *et* rumpere *more Siliano* 34 nec αΓ²ς : ne β 38 serie ω : ferre δ : ferri Γ²ς 41 furebat ωCh : -nt *edd. a* v 42 ciebat F²Lβ : negabat F 43 dilectus ω : de- Γ²Oς

stridentis sonitu tremuerunt limina portae,
maximaque Herculei mugiuit numinis ara. 50
inuasere hostem, numerarique aspera uirtus
haud est passa uiros et plures milite caedes.
saepe globo densi, saepe et per deuia passim
dispersi subiere uices, meritique labore
aequato, nulli quisquam uirtute secundus, 55
ducere ter centum Tarpeia ad templa triumphos.
spes heu fallaces oblitaque corda caducum,
mortali quodcumque datur! grex ille uirorum,
qui Fabia gente incolumi deforme putabat
publica bella geri, pariter cecidere deorum 60
inuidia subitis circumuenientibus armis.
nec tamen occisos est cur laetere; supersunt,
quot tibi sit Libyaeque satis; certauerit unus
ter centum dextris. tam uiuida membra laborque
prouidus et cauta sollertia tecta quiete. 65
nec uero calidi nunc tu cui sanguinis aetas
foderis in pugna uelocius ilia planta
bellatoris equi frenisque momorderis ora.'
quem cernens auidum leti post talia Poenus
'nequiquam nostras, demens,' ait 'elicis iras 70
et captiua paras moriendo euadere uincla.
uiuendum est. arta seruentur colla catena.'
haec iuuenis diuisque tumens ausisque secundis.

At patres Latiasque nurus raptabat ad aras
cura deum. maesto suffusae lumina uultu 75
femineus matres graditur chorus; ordine longo

49 stridentes ... limine Ch (liminae *etiam* F) 52 *interpunctionem post* uiros *sustuli, nam sensus est 'virtus viros complures a singulis militibus caesos numerari non est passa'* 55 *sic dist. Summers* 57 heu $\Gamma^2\varsigma$ : neu ω 63 quot p *edd. a* l : quod ω *Heinsius* sit ω (quot *sc.* superesse *tibi sit satis, cf. Ov. Pont. 2, 1, 43 sq.*) : sint *edd. a* b1 67 foderis $\alpha\Gamma^2\varsigma$ : fe- β 73 diuisque $\alpha\Gamma^2\varsigma$ : -esque β

Iunoni pallam conceptaque uota dicabant:
'huc ades, o regina deum, gens casta precamur
et ferimus, digno quaecumque est nomine, turba
Ausonidum pulchrumque et, acu et subtemine fuluo 80
quod nostrae neuere manus, uenerabile donum.
ac dum decrescit matrum metus, hoc tibi, diua,
interea uelamen erit. si pellere nostris
Marmaricam terris nubem dabis, omnis in auro
pressa tibi uaria fulgebit gemma corona.' 85
necnon et proprio uenerantur Pallada dono
Phoebumque armigerumque deum primamque Dionen.
tanta adeo, cum res trepidae, reuerentia diuum
nascitur; at rarae fumant felicibus arae.
Dum Roma antiquos templis indicit honores, 90
iam Fabius cauto procedens agmine et arte
bellandi lento similis praecluserat omnes
fortunaeque hostique uias. discedere signis
haud licitum, summumque decus, quo tollis ad astra
imperii, Romane, caput, parere docebat. 95
uerum ubi prima satis conspecta in montibus altis
signa procul fulsitque nouis exercitus armis,
arrectae spes Sidoniae, feruetque secundis
fortunae iuuenis. uincendi sola uidetur,
quod nondum steterint acies, mora. 'pergite,' clamat 100
'ite citi, ruite ad portas, propellite uallum
pectoribus. quantum campi distamus, ad umbras
tantum hosti superest. resides ad bella uocantur,
quis pudeat certare, senes. quodcumque uidetis,
hoc reliquum est, primo damnatum ut inutile bello. 105

80 *alterum* et *om.* ς *edd. vett., restituit Livineius* subtemine *Livineius* : -tegm- α : sub tegm- β 81 neuere $F^2L\Gamma^2O$ : ne uere Fδ : uenere G 87 dionen $\Gamma^2$ : -em ς : -on ω 89 at Ch : ac ω : et Γς 91 cauto $\Gamma^2$ς *cf. 8, 324 et Liv. 22, 12, 2* : tanto ω : tacito r2Ch *edd. recc.* 96 ubi $F^2$β : *om.* α 98 Sidonii Ch *edd. recc.* 105 ut ωCm *Ep. 68* : et Qr2 *edd. a* v

en, ubi nunc Gracchi atque ubi sunt nunc fulmina gentis
Scipiadae? pulsi Ausonia non ante pauentem
dimisere fugam, quam terror ad ultima mundi
Oceanumque tulit; profugus nunc errat uterque
nomina nostra tremens et ripas seruat Hiberi. 110
est etiam, cur Flaminio mihi gloria caeso
creuerit et titulis libeat cur figere nostris
crudum Marte uiri nomen. quot demere noster
huic annos Fabio gladius ualet? et tamen audet.
audeat! haud ultra faxo spectetur in armis.' 115
Talia uociferans uolucri rapit agmina cursu
ac praeuectus equo nunc dextra prouocat hostem,
nunc uoce increpitat, missa nunc eminus hasta
fertur ouans pugnaeque agitat simulacra futurae,
ut Thetidis proles Phrygiis Vulcania campis 120
arma tulit clipeo amplexus terramque polumque
maternumque fretum totumque in imagine mundum.
Cassarum sedet irarum spectator et alti
celsus colle iugi domat exsultantia corda
infractasque minas dilato Marte fatigat 125
sollers cunctandi Fabius, ceu nocte sub atra
munitis pastor stabulis per ouilia clausum
impauidus somni seruat pecus; effera saeuit
atque impasta truces ululatus turba luporum
exercet morsuque quatit restantia claustra. 130
Irritus incepti mouet inde atque Apula tardo
arua Libys passu legit ac nunc ualle residit
conditus occulta, si praecipitare sequentem
atque inopinata detur circumdare fraude,
nunc nocturna parat caecae celantibus umbris 135

106 en LCm : eu F : hen G : heu γ sunt nunc ω : n. s. Cm (*errore ut puto typothetae*) 107 pauentem ωCm : -es ς (*in* Γ *ambigua scriptura*) 109 profugus ωCm : -os b1 113 quot ς : quod ω 114 huic r2pb1 : hinc ω et ω : at Ch 124 corda αr2 *edd. a* v : colla β

furta uiae retroque abitum fictosque timores
adsimulat, tum castra citus deserta relicta
ostentat praeda atque inuitat prodigus hostem,
qualis Maeonia passim Maeandrus in ora,
cum sibi gurgitibus flexis reuolutus oberrat. 140
nulla uacant incepta dolis; simul omnia uersat
miscetque exacuens uaria ad conamina mentem,
sicut aquae splendor radiatus lampade solis
dissultat per tecta uaga sub imagine uibrans
luminis et tremula laquearia uerberat umbra. 145
iamque dolore furens ita secum immurmurat irae:
'obuia si primus nobis hic tela tulisset,
nullane nunc Trebiae et Thrasymenni nomina? nulli
lugerent Itali? numquam Phaethontius amnis
sanguinea pontum turbasset decolor unda? 150
inuentum, dum se cohibet terimurque sedendo,
uincendi genus. en quotiens, uelut obuius iret,
discinxit ratione dolos fraudesque resoluit!'
haec secum, medio somni cum bucina noctem
diuideret iamque excubias sortitus iniquas 155
tertius abrupta uigil iret ad arma quiete.
uertit iter Daunique retro tellure relicta
Campanas remeat notus populator in oras.
hic uero, intrauit postquam uberis arua Falerni
(diues ea et numquam tellus mentita colono) 160
addunt frugiferis inimica incendia ramis.

**136** abitum b1 : ad- ω (abd- L) **137** tum F²L : cum F : tunc β : nunc *edd. a* r1 **146** irae ω : ire *edd. vett.* : ira *Scaliger (abl.), Postgate (nom.)* **148** nullane nunc ω : n. num Ch : nulla essent *edd. a* p et *om.* C *teste Heinsio* *notas interrogationis hic et in sequentibus apposuit Ruperti* **149** lugerent itali αplCh : ingererent tituli β : i. titulos j b1 : i. titulis ΖΠ *Asulanus* g **152** en ωr2 : et δς : *om.* ΖΠ *edd. a* r1 **153** discinxit F²LG²Γ : -sit Fβ **154** medio FCh *cf. 11, 41; Thes. 8, 587, 30* : -am F²Lβ (medio *vel* -am) sonitu *McGushin 137, fort. recte* **159** Falenti Ch **161** inimica αΓ² : munita G : minuta γ

Haud fas, Bacche, tuos tacitum tramittere honores,
quamquam magna incepta uocent. memorabere, sacri
largitor laticis, grauidae cui nectare uites
nulli dant prelis nomen praeferre Falernis. 165
Massica sulcabat meliore Falernus in aeuo
ensibus ignotis senior iuga. pampinus umbras
nondum uuae uirides nudo texebat in aruo,
pocula nec norant sucis mulcere Lyaei.
fonte sitim et pura soliti defendere lympha. 170
attulit hospitio pergentem ad litora Calpes
extremumque diem pes dexter et hora Lyaeum,
nec pigitum paruosque lares humilisque subire
limina caelicolam tecti. cepere uolentem
fumosi postes et ritu pauperis aeui 175
ante focos mensae, laetus nec senserat hospes
aduenisse deum, sed enim de more parentum
grato cursabat studio instabatque senectae,
donec opes festas puris nunc poma canistris
composuit, nunc irriguis citus extulit hortis 180
rorantes umore dapes. tum lacte fauisque
distinxit dulces epulas nulloque cruore
polluta castus mensa Cerealia dona
attulit ac primum Vestae decerpsit honorem
undique et in mediam iecit libamina flammam. 185
desse tuos latices hac sedulitate senili

**164** nectare αΓ$^{2}$O$^{2}$ : -ere β uites ΓΞB *edd. a* r1 : uices ω : uitis Γ$^{2}$ς **165** nullum *Bothe, sed* nulli *sc. alii vino* prelis F *edd. a* r2 : -liis L : plenis β praeferre αGO$^{2}$ς : pro- γ **167** ensibus ω : signis Ch ignotis αΓ$^{2}$ς : innotis *vel* in notis β **168** uuae (*dat.*) *Bothe* : uua αp : una β : unda Γς **179** opes αΓ$^{2}$ : a- β poma αG$^{2}$Pr2pCh : coma β : corna Γ$^{2}$ς **180** irriguis αΓ$^{2}$ : -t β citus αΓ$^{2}$ : sci- β hortis Lς : or- Fβ **184** decerpsit F$^{2}$ς : deterpsit Fβ : detersit LΞ *edd. a* r1 *quod perperam* C *attribuitur ex Ep. 16 Modii* **186** hac αΓ$^{2}$ : ac β

captus, Iacche, uetas. subito, mirabile dictu,
fagina pampineo spumarunt pocula suco,
pauperis hospitii pretium, uilisque rubenti
fluxit mulctra mero, et quercu in cratera cauata 190
dulcis odoratis umor sudauit ab uuis.
'en cape' Bacchus ait 'nondum tibi nota, sed olim
uiticolae nomen peruulgatura Falerni
munera' – et haud ultra latuit deus. inde nitentem
lumine purpureo frontem cinxere corymbi, 195
et fusae per colla comae, dextraque pependit
cantharus, ac uitis thyrso delapsa uirenti
festas Nysaeo redimiuit palmite mensas.
nec facilis laeto certasse, Falerne, sapori,
postquam iterata tibi sunt pocula, iam pede risum, 200
iam lingua titubante moues patrique Lyaeo
tempora quassatus grates et praemia digna
uix intellectis conaris reddere uerbis,
donec composuit luctantia lumina Somnus,
Somnus, Bacche, tibi comes additus. hinc ubi primo 205
ungula dispersit rores Phaethontia Phoebo,
uuiferis late florebat Massicus aruis
miratus nemora et lucentes sole racemos.
it monti decus, atque ex illo tempore diues

**190** fluxit $F^2$Q *edd. a* r1 : fulsit F : eluxit GO : elusit Lδ : luxit $Γ^2$ mul(c)tra α$Γ^2$ς : militia β **191** ab αr2 *edd. a* v : in β **192** nota ω : quippe Ch (*'non capio' Heinsius*) *unde* noua nunc tibi quippe *Postgate 1902* **201** patrique Ch (*iam Dausqueius*) : -ioque ω *quod frustra def. Summers 1900, 49* **204** somnus α$G^2Γ^2$ : -is β **205** hinc *i. deinde* ω : hic Ch ubi ω : tibi Γς **207** uuiferis Cm *Ep. 31* : uini- αΓ : uiui- β : uiti- *edd. a* l **208** lucentes ωplCm : -ti O : rorantes ZΠr1mv : fulgentes *edd. a* j **209** it ωCm : id ς *Modius, sed cf. Val. Fl. 4, 217* monti ωCm : -is *edd. a* v

Tmolus et ambrosiis Ariusia pocula sucis 210
ac Methymna ferox lacibus cessere Falernis.
Haec tum uasta dabat terrisque infestus agebat
Hannibal, et sicci stimulabant sanguinis enses
ludificante ducem Fabio. iamque improba castris
Ausoniis uota et pugnandi praua libido 215
gliscebat; proni decurrere monte parabant.
Da famae, da, Musa, uirum, cui uincere bina
concessum castra et geminos domitare furores.
'feruida si nobis corda abruptumque putassent
ingenium patres et si clamoribus' inquit 220
'turbari facilem mentem, non ultima rerum
et deplorati mandassent Martis habenas.
stat pensata diu belli sententia: uincam
seruare inuitos urgentesque ultima fata.
nulli per Fabium e uobis cecidisse licebit. 225
si lucis piget et supremis esse cupido est
nominis Ausonii taedetque in tempore tali
nullum clade noua claraeque fragore ruinae
insignem fecisse locum, reuocandus ab atris
Flaminius nobis est sedibus. ille ruendi 230
iam dudum properans signum auspiciumque dedisset.
an nondum praeceps uicinaque fata uidetis?
una, ut debellet, satis est uictoria Poeno.
state, uiri, exaudite ducem! cum optabile tempus
deposcet dextras, tunc ista ferocia dicta 235
aequentur factis. non est, mihi credite, non est
arduus in pugnas ferri labor. una reclusis

210 tmolus F²GΓO : tinolus αV et Γ²ς : *om.* ω Ariusia *Heinsius* : aruisia ω 211 methymna α (metimna F) Γ²ς : metrina β ferox ωCm : -ax Γ²ς lacubus *Modius, sed v. Thes. 7, 2, 860, 70* : latibus ωCm : latiis Γ²ς 212 dum Ch 219 nobis αr2 : u- β 224 seruari *Damsté, sed cf. 4, 429* 230 flaminius F²LΓ² : flaminus F : flaminis G : flammis δ : flamminius O 234 exaudite *Delz 1983, 219* : et sentite ω 237 pugna FQZΠr2

omnes iam portis in campum effuderit hora.
magnum illud solisque datum, quos mitis euntes
Iuppiter adspexit, magnum est, ex hoste reuerti. 240
fortunae Libys incumbit flatuque secundo
fidit agens puppim. dum desinat aura sinusque
destituat tumidos subducto flamine uentus,
in rem cunctari fuerit. non ulla perenni
amplexu Fortuna fouet. iam copia quanto 245
artior, et nullo Tyriis certamine quantum
detritum est famae! quin inter cetera nostra
haud laude afuerit, modo qui – sed parcere dictis
sit melius. iam uos acies et proelia et hostem
poscitis? o maneat, superi, fiducia talis! 250
interea exclusa maioris sorte pericli
me solum, quaeso, toti me opponite bello.'
his dictis fractus furor et rabida arma quierunt,
ut, cum turbatis placidum caput extulit undis
Neptunus totumque uidet totoque uidetur 255
regnator ponto, saeui fera murmura uenti
dimittunt nullasque mouent in frontibus alas,
tum sensim infusa tranquilla per aequora pace
languentes tacito lucent in litore fluctus.
Sensit cura sagax Poeni fraudisque ueneno 260
aggreditur mentes. pauca atque haec ruris auiti
iugera nec multis Fabius uertebat aratris;
Massicus uuiferis addebat nomina glebis.
hinc pestem placitum moliri et spargere causas
in castra ambiguas. ferro flammisque pepercit 265
suspectamque loco pacem dedit arte maligna,
ceu clandestino traheretur foedere bellum.

**242** fidit *edd. a* r1 : figit ω **243** uentos Ch **246** et ωCh : est *edd. a* r1 **248** afuerit GCh : aff- ω qui sed v : quis et ω **255** totoque ω : -ique Ch *edd. recc.* **263** uuiferis α$\Gamma^2$ : uni- β (feris *tantum* O) **264** placitum Ch : -dam ω

Intellectus erat Fabio, Tyriosque uidebat
dictator saeuire dolos; sed non uacat agri
inuidiam gladios inter lituosque timere 270
et dubia morsus famae depellere pugna,
donec reptantem et nequiquam saepe trahentem
huc illuc castra ac scrutantem proelia Poenum,
qua nemorosa iuga et scopulosi uertice colles
exsurgunt, clausit sparsa ad diuortia turma. 275
hinc Laestrygoniae saxoso monte premebant
a tergo rupes, undosis squalida terris
hinc Literna palus, nec ferri aut militis usum
poscebat regio, saeptos sed fraude locorum
arta fames poenas miserae exactura Sagunti 280
urgebat, finisque aderat Carthaginis armis.
Cuncta per et terras et lati stagna profundi
condiderat somnus, positoque labore dierum
pacem nocte datam mortalibus orbis agebat.
at non Sidonium curis flagrantia corda 285
ductorem uigilesque metus haurire sinebant
dona soporiferae noctis. nam membra cubili
erigit et fului circumdat pelle leonis,
qua superinstratos proiectus gramine campi
presserat ante toros. tunc ad tentoria fratris 290
fert gressus uicina citos. nec degener ille
belligeri ritus taurino membra iacebat
effultus tergo et mulcebat tristia somno.
stat procul hasta uiri terrae defixa propinquae

269 sed *Bauer* : et ω : at *edd. a* p agri *Barth, cf. Thes. 7, 2, 202, 6 sqq.* : aegre ω : aegram *Bothe* 271 *post hunc versum aliquid excidisse putat Summers* 272 trahentem *Livineius* : -ndo ω : *alii aut* et *aut 273* ac *delendo corruptelae mederi conantur* 273 ac αr2 *Heinsius tacite* : et β 274 scopuloso *Schrader et van Veen coll. 3, 417; 5, 45; 15, 174; Verg. Aen. 8, 351* 289 superinstratos *scripsi coll. Liv. 30, 10, 6; Verg. Aen. 2, 722* : super instratos ω 294 stat *Delz 1983, 219* : haud ω

et dira e summa pendebat cuspide cassis; 295
at clipeus circa loricaque et ensis et arcus
et telum Baliare simul tellure quiescunt.
iuxta lecta manus, iuuenes in Marte probati,
et sonipes strato carpebat gramina dorso.
ut pepulere leuem intrantis uestigia somnum, 300
'heus!' inquit (pariterque manus ad tela ferebat)
'quae te cura uigil fessum, germane, fatigat?'
ac iam constiterat sociosque in caespite fusos
incussa reuocat castrorum ad munera planta,
cum Libyae ductor: 'Fabius me noctibus aegris, 305
in curas Fabius nos excitat, illa senectus,
heu fatis quae sola meis currentibus obstat.
cernis, ut armata circumfundare corona,
et uallet clausos collectus miles in orbem.
uerum age nunc, quoniam res artae, percipe porro, 310
quae meditata mihi. latos correpta per agros
armenta adsueto belli de more sequuntur.
cornibus arentes edicam innectere ramos
sarmentique leuis fronti religare maniplos,
admotus cum feruorem disperserit ignis, 315
ut passim exsultent stimulante dolore iuuenci
et uaga per colles ceruice incendia iactent.
tum terrore nouo trepidus laxabit iniquas
custos excubias maioraque nocte timebit.
si cordi consulta (moras extrema recusant), 320
accingamur' ait. gemino tentoria gressu

295 dira e $\Gamma^2$ς : dire ω    296 at ωCh : et Γς  iuxta Ch (*errore manifesto Heinsii lectionem* at *testantis*)    305 cum ω *Heinsius* : tum ς    308 circumfundare αOr2j : -fundere β : -fudere $G^2\Gamma^2$ς    309 orbem *Ruperti* : -e ω    310 quoniam r. a. p. p. *edd. a* j *v. ad 533; 13, 503. 519* : qūō (quo Γ) r. a. nunc p. p. β : quomodo r. a. nunc p. p. α (*in* F nunc *deletum, marg. m. 2* quando) : cum r. a. n. p. p. G *marg.* p *def. Håkanson, vix recte*    313 edicam α$\Gamma^2$ : -tam β    318 tum ς : cum ω  lassabit L : laxabat GO

inde petunt. ingens clipeo ceruice reposta
inter equos interque uiros interque iacebat
capta manu spolia et rorantia caede Maraxes
ac dirum, in somno ceu bella capesseret, amens 325
clamorem tum forte dabat dextraque tremente
arma toro et notum quaerebat feruidus ensem.
huic Mago, inuersa quatiens ut dispulit hasta
bellantem somnum: 'tenebris, fortissime ductor,
iras compesce atque in lucem proelia differ. 330
ad fraudem occultamque fugam tutosque receptus
nunc nocte utendum est. arentes nectere frondes
cornibus et latis accensa immittere siluis
armenta, oppositi reserent quo claustra manipli,
germanus parat atque obsessa euellere castra. 335
emergamus, et hic Fabio persuadeat astus
non certare dolis.' nihil hinc cunctante, sed acris
incepti laeto iuuene ad tentoria Acherrae
festinant, cui parca quies minimumque soporis
nec notum somno noctes aequare; feroci 340
peruigil inseruibat equo fessumque leuabat
tractando et frenis ora exagitata fouebat.
at socii renouant tela arentemque cruorem
ferro detergent et dant mucronibus iras.
quid fortuna loci poscat, quid tempus, et ipsi 345
quaenam agitent, pandunt et coeptis ire ministrum
haud segnem hortantur. discurrit tessera castris,
intentique docent, quae sint properanda, monetque
quisque suos. instat trepidis stimulatque ruentes

328 huic $\Gamma^2$r2v : hinc ω  329 bellantem ωCm *Ep. 31* : -is *edd. a* j  334 quo $J^2\Sigma^2$ZΠ *edd. a* r1 *i. ut eo modo, cf. e.g. Verg. Aen. 4, 106* : qua ωCh  337 non ωCm *Ep. 31* : nos p *edd. a* l  hinc ωCm : hic *edd. a* j  343 at G$\Gamma^2$ς : ac αγ  344 detergent αCh : -unt β  348 monetque L$\Gamma^2$ς : mouetque Fβ : monentque *edd. a* r1 *fort. recte*  349 instat trepidis ωCm *Ep. 31* (*ubi* trepidus *errore ut videtur typothetae*) : -nt -di *edd. a* r1

nauus abire timor, dum caeca silentia dumque 350
maiores umbrae. rapida iam subdita peste
uirgulta atque altis surgunt e cornibus ignes.
hic uero ut gliscente malo et quassantibus aegra
armentis capita adiutae pinguescere flammae
coepere et uincens fumos erumpere uertex, 355
per colles dumosque (lues agit atra), per altos
saxosi scopulos montis lymphata feruntur
corpora anhela boum, atque obsessis naribus igni
luctantur frustra rabidi mugire iuuenci.
per iuga, per ualles errat Vulcania pestis 360
nusquam stante malo, uicinaque litora fulgent.
quam multa affixus caelo sub nocte serena
fluctibus e mediis sulcator nauita ponti
astra uidet, quam multa uidet, feruoribus atris
cum Calabros urunt ad pinguia pabula saltus, 365
uertice Gargani residens incendia pastor.
  At facie subita uolitantum montibus altis
flammarum, quis tunc cecidit custodia sorti,
horrere atque ipsos nullo spargente uagari
credere et indomitos pasci sub collibus ignes. 370
caelone exciderint et magna fulmina dextra
torserit Omnipotens, an caecis rupta cauernis
fuderit egestas accenso sulphure flammas
infelix tellus, media in formidine quaerunt.
iamque abeunt, faucesque uiae citus occupat armis 375

355 furnos F 358 boum αΓ : bouum β 359 rabidi α *edd. a* r1 : rap- β 361 *post hunc versum* (*aut post* malo) *aliquid excidisse suspicor unde pendeat comparatio* 362 affixus ωCm *Ep. 31* : intentus *edd. a* | clauo *Blass, cf. Verg. Aen. 5, 852; Manil. 5, 41* 367 at Cm : ac ω : hac $\Gamma^2$ς uolitantum α$\Gamma^2$ς : -em β in montibus Γς 368 cecidit $\Gamma^2$ς *cf. Verg. georg. 4, 165* : cedit ω 371 -ne α *edd. a* r1 : -ue β 372 rupta *et* 375 iamque abeunt *firmat* Cm *Ep. 31 contra Nicandri in* | *deliramenta a sequentibus editoribus recepta*

Poenus et in patulos exsultans emicat agros.
huc tamen usque uigil processerat arte regendi
dictator, Trebiam et Tusci post stagna profundi
esset ut Hannibali Fabium Romanaque tela
euasisse satis. quin et uestigia pulsi 380
et gressus premeret castris, ni sacra uocarent
ad patrios ueneranda deos. tum uersus ad urbem
alloquitur iuuenem, cui mos tramittere signa
et belli summam primasque iubebat habenas,
atque his praeformat dictis fingitque monendo: 385
'si factis nondum, Minuci, te cauta probare
erudiit Fortuna meis, nec ducere uerba
ad uerum decus ac prauis arcere ualebunt.
uidisti clausum Hannibalem. nil miles et alae
iuuere aut densis legio conferta maniplis. 390
testor te, solus clausi, nec deinde morabor.
dis sine me libare dapem et sollemnia ferre:
hunc iterum atque iterum uinctum uel montibus altis
amnibus aut rapidis (modo pugna absistite) tradam.
interea (crede experto, non fallimur) aegris 395
nil mouisse salus rebus. sit gloria multis
et placeat, quippe egregium, prosternere ferro
hostem, sed Fabio sit uos seruasse triumphus.
plena tibi castra atque intactus uulnere miles
creditur. hos nobis (erit haec sat gloria) redde. 400

381 ni $F^2LG\Gamma^2O$ : in F$\delta$ 385 monendo $\alpha G\Gamma^2$ : mou- $\gamma$ 386 minuci QB : minuti $\Gamma^2\varsigma$ : inimici $\alpha$G : innuci O : *om.* $\delta$ 390 iuuere *sc. nos, quod propter interpretes Bothe et Duff moneo* 391 morabor *sc. quin idem faciam* 393 hunc $\alpha$r2Ch : n- $\beta$ : t- *Livineius* 395 fallimur $\omega$ : -s Ch (*iam Dausqueius*) *edd. recc.* 396 mouisse $\Gamma^2\varsigma$ : n- $\omega$ 397 placeat $\alpha\Gamma^2\varsigma$ : -cet $\beta$ 398 sit $\omega$ : sic Ch uos $\omega$ : nos $\delta$ seruare $\Gamma\varsigma$ 400 uobis Ch haec sat *Lefebvre, cf. Verg. Aen. 9, 195; Ov. met. 11, 211* : haec se $\alpha$Ch : ecce $\beta$ : haec tibi $\Gamma^2\varsigma$

iam cernes Libycum huic uallo adsultare leonem,
iam praedas offerre tibi, iam uertere terga
respectantem adeo atque iras cum fraude coquentem.
claude, oro, castra et cunctas spes eripe pugnae.
haec monuisse satis. sed si compescere corda 405
non datur oranti, magno te iure pioque
dictator capere arma ueto.' sic castra relinquens
uallarat monitis ac se referebat ad urbem.
Ecce autem flatu classis Phoenissa secundo
litora Caietae Laestrygoniosque recessus 410
sulcabat rostris portusque intrarat apertos
ac totus multo spumabat remige pontus,
cum trepidae fremitu uitreis e sedibus antri
aequoreae pelago simul emersere sorores
ac possessa uident infestis litora proris. 415
tum magno perculsa metu Nereia turba
attonitae propere refluunt ad limina nota,
Teleboum medio surgunt qua regna profundo
pumiceaeque procul sedes. immanis in antro
conditur abrupto Proteus ac spumea late 420
cautibus obiectis reiectat caerula uates.
is postquam (sat gnarus enim rerumque metusque)
per uarias lusit formas et terruit atri
serpentis squamis horrendaque sibila torsit
aut fremuit toruo mutatus membra leone, 425

**401** huic *edd. a* r1 : huc ω : hunc *Drakenborch* (*'hunc leonem scripti', quod unde habuerit Heinsius nescio*) **405** nec Γς **411** intrabat *edd. a* v **412** tortus *Heinsius, cf. 14, 360 et Catull. 64, 13* **416** percussa ς **417** limina ω (lu- L) : littora Γς **418** Teleboum *Heinsius coll. Verg. Aen. 7, 735* : teleboi α (telo- F) δς *fort. recte* (*Telebous potest esse rex Teleboum alias Teleboas*) : tebeboa G : teleboa O **419** pumiceaeque Γ[2]ς : puni- ω (que *om.* L) **425** *sic* ω *cf. Ov. met. 9, 81* tauro mutatus membra : toruos imitatus membra leones F[2] (toruos *etiam* L thorus O)

'dicite,' ait 'quae causa uiae? quisue ora repente
peruasit pallor? cur scire futura libido?'
ad quae Cymodoce, Nympharum maxima natu
Italidum: 'nosti nostros, praesage, timores.
quid Tyriae classes ereptaque litora nobis 430
portendunt? num migrantur Rhoeteia regna
in Libyam superis? aut hos Sarranus habebit
nauita iam portus? patria num sede fugatae
Atlantem et Calpen extrema habitabimus antra?'
Tunc sic, euoluens repetita exordia retro, 435
incipit ambiguus uates reseratque futura:
'Laomedonteus Phrygia cum sedit in Ida
pastor et errantes dumosa per auia tauros
arguta reuocans ad roscida pascua canna
audiuit sacrae lentus certamina formae, 440
tum, matris currus, niueos agitabat olores
tempora sollicitus litis seruasse Cupido.
paruulus ex umero corytos et aureus arcus
fulgebat, nutuque uetans trepidare parentem
monstrabat grauidam telis se ferre pharetram. 445
ast alius niuea comebat fronte capillos,
purpureos alius uestis religabat amictus,
cum sic suspirans roseo Venus ore decoros
alloquitur natos: "testis certissima uestrae
ecce dies pietatis adest. quis credere saluis 450
hoc ausit uobis? de forma atque ore (quid ultra
iam superest rerum?) certat Venus. omnia paruis

**428** cymodoce (cim-) αΓ[2] *edd. a*rl : crino- β (cridonote O) **431** rh(o)eteia F[2]LG[2]Γ[2]ς : th(o)eteia Fγ : thetera G **432** libyam (-iam) F[2]LΓ[2]O : libram Fβ **434** calpen αΓ[2] : -m β **435** tum ς euoluens *Heinsius* : inu- ω **440** sacra electus *van Veen coll. Stat. Ach. 2, 51 quod probat Bauer* **443** corit(h)os F[2]ς : gorrtos F : gorytos L : goricos β **444** nutuque F[2]β : mu- F : tui- L **451** de forma αGς : deforma γ

si mea tela dedi blando medicata ueneno,
si uester, caelo ac terris qui foedera sancit,
stat supplex, cum uultis, auus: uictoria nostra 455
Cypron Idumaeas referat de Pallade palmas,
de Iunone Paphos centum mihi fumet in aris."
dumque haec aligeris instat Cytherea, sonabat
omne nemus gradiente dea. iam bellica uirgo
aegide deposita atque adsuetum casside crinem 460
inuolui tunc compta tamen pacemque serenis
condiscens oculis ibat lucoque ferebat
praedicto sacrae uestigia concita plantae.
parte alia intrabat iussis Saturnia siluis
iudicium Phrygis et fastus pastoris et Iden 465
post fratris latura toros. postrema nitenti
affulsit uultu ridens Venus. omnia circa
et nemora et penitus frondosis rupibus antra
spirantem sacro traxerunt uertice odorem.
nec iudex sedisse ualet, fessique nitoris 470
luce cadunt oculi, ac metuit dubitasse uideri.
sed uictae fera bella deae uexere per aequor,
atque excisa suo pariter cum iudice Troia.
tum pius Aeneas terris iactatus et undis
Dardanios Itala posuit tellure penates. 475
dum cete ponto innabunt, dum sidera caelo

**453** medicata $F^2G^2V^2\Gamma^2$ : -tata ω **455** uultis $\Gamma^2$ς : mul- ω **456** idumeas (idy-) α$G^2\Gamma^2$ς : idrineas β **457** de Ch : et ω **458** haec ω : *om.* δ : hic $\Gamma^2$ς aligeris α$\Gamma^2$O : alli- β instat *i. instanter dicit, cf. Verg. Aen. 8, 433* **459** nam *Blass* **461** inuolui *Gronovius* : -uit ωCh (*Adversaria 429*) tunc ω : cum Γ : tum $\Gamma^2$ς : non *Barth* : nec *Summers* **465** phrygis (-fri-) $F^2L\Gamma^2$ς : phirgis (fi-) Fβ (frigidis phrigiis O) Iden *Heinsius* (idam *edd. a* r1) : idem ω **470** nec α$\Gamma^2$ς : hec β iudex FGΓς : in- LVO nitoris Lpl : -es Fβ : -e $F^2\Gamma^2$ς **471** cadunt αΓ : cand- β ac ω : et V : *om.* Γς **473** cum β : tum α uindice L : ind- O troia ωCh : t. est $\Gamma^2$ς **476** p. innabunt αOr2Ch : p. iuuabunt β : p. uiuent $V^2\Gamma^2$ς : innabunt p. *edd. a* v

lucebunt, dum sol Indo se litore tollet,
hic regna et nullae regnis per saecula metae.
at uos, o natae, currit dum immobile filum,
Hadriaci fugite infaustas Sasonis harenas. 480
sanguineis tumidus ponto miscebitur undis
Aufidus et rubros impellet in aequora fluctus,
damnatoque deum quondam per carmina campo
Aetolae rursus Teucris pugnabitis umbrae.
Punica Romuleos quatient mox spicula muros, 485
multaque Hasdrubalis fulgebit strage Mataurus.
hinc ille e furto genitus patruique piabit
idem ultor patrisque necem; tum litus Elissae
implebit flammis auelletque Itala Poenum
uiscera torrentem et propriis superabit in oris. 490
huic Carthago armis, huic Africa nomine cedet.
hic dabit ex sese, qui tertia bella fatiget
et cinerem Libyae ferat in Capitolia uictor.'
Quae dum arcana deum uates euoluit in antro,
iam monita et Fabium bellique equitumque magister 495
exuerat mente ac praeceps tendebat in hostem.
pascere nec Poenus prauum ac nutrire furorem
derat et, ut paruo maiora ad proelia damno
eliceret, dabat interdum simulantia terga,
non aliter, quam qui sparsa per stagna profundi 500
euocat e liquidis piscem penetralibus esca,
cumque leuem summa uidit iam nare sub unda,
ducit sinuato captiuum ad litora lino.

477 lit(t)ora V (*corr.*) O 480 sasonis ωCh : sans- δ : sass- *edd. a* v 486 multaque ω *Livineius* : multa quoque QΠ *edd. a* r1 Mataurus Ch : me- ω *v. Blomgren 3 sq.* 487 e $\Gamma^2$ *edd. a* r1 : in Ch (?) : *om.* ω 488 patrisque $\Gamma^2$ς : fra- ω litus $\Gamma^2$ς : -is ω 491 huic ... huic BJl : hinc ... hinc ω 492 hinc Γς 496 mente g : -em ω 497 poenus *edd. a* r1 : -os ω : -um $\Gamma^2$ς : Poeno Ch furorem Ypl *Livineius* : fau- ω *vix recte sc. vulgi erga Minucium* 499 dabat α$\Gamma^2$O : -it β 501 escam δ (*corr. in* Γ) 503 captiui sinuato j : -uum s. c *sed cf. 6, 226; 10, 181*

Fama furit uersos hostes Poenumque salutem
inuenisse fuga; liceat si uincere, finem 505
promitti cladum; sed enim dicione carere
uirtutem et poenas uincentibus esse repostas.
clausurum iam castra ducem rursusque referri
uaginae iussurum enses, reddatur in armis
ut ratio et purget miles, cur uicerit hostem. 510
haec uulgus. necnon patrum Saturnia mentes
inuidiae stimulo fodit et popularibus auris.
tunc indigna fide censent optandaque Poeno,
quae mox haud paruo luerent damnata periclo:
diuiditur miles, Fabioque equitumque magistro 515
imperia aequantur. fremitus spernebat et expers
irarum senior, magnas ne penderet alti
erroris poenas patria inconsulta, timebat.
ac tum, multa putans secum ut remeauit ab urbe,
partitus socias uires uicina propinquis 520
signa iugis locat et specula sublimis ab alta
non Romana minus seruat quam Punica castra.
nec mora disiecto Minuci uecordia uallo
perdendi simul et pereundi ardebat amore.
Quem postquam rapidum uidit procedere castris 525
hinc Libys, hinc Fabius, simul accendere sagaces
in subitum curas. propere capere arma maniplis
edicit uallique tenet munimine turmas

509 uaginae $G^2$JΞb1 : uiginea F : uigine β : uigme L : uagina $Γ^2$ς iussurum $G^2$J *edd. a* v : uisurum α : uisucum β (insucium O) **510** et *om.* Γς *edd. vett. usque ad Cellarium* **513** fide *sc. sua i. senatus, quod contra interpretes moneo* poeno $Γ^2$ς : -i ω **516** fremitus spernebat *Delz 1983, 220 coll. Liv. 22, 26, 6* : penitus (*corr. ex* gem- F) cernebat ω : gemitus frenabat *Postgate* : gemitus claudebat *Watt 1985* **517** irarum L$Γ^2$ς : lir- Fβ **523** minuci $Γ^2$ςCh (Minici) : minima F : nimia $F^2$L : inimica β (mimica O) **526** *an* attendere? *cf. e.g. Val. Max. 2, 2, 7* attentissima cura **528** uallique Cm *Ep. 94* : nulloque ω

Ausonius, torquet totas in proelia uires<br>
Poenorum ductor propellitque agmina uoce: 530<br>
'dum dictator abest, rape, miles, tempora pugnae.<br>
non sperata diu plano certamina campo<br>
offert ecce deus. quoniam data copia, longum<br>
detergete situm ferro multoque cruore<br>
exsatiate, uiri, plenos rubiginis enses.' 535<br>
Atque ea Cunctator pensabat ab aggere ualli<br>
perlustrans campos oculis tantoque periclo<br>
discere, quinam esset Fabius, te, Roma, dolebat.<br>
cui natus iuncta arma ferens 'dabit improbus,' inquit<br>
'quas dignum est, poenas, qui per suffragia caeca 540<br>
inuasit nostros haec ad discrimina fasces.<br>
insanae spectate tribus! pro lubrica rostra<br>
et uanis fora laeta uiris! nunc munera Martis<br>
aequent imperio et solem concedere nocti<br>
sciscant imbelles. magna mercede piabunt 545<br>
erroris rabiem et nostrum uiolasse parentem.'<br>
tum senior quatiens hastam lacrimisque coortis:<br>
'sanguine Poenorum, iuuenis, tam tristia dicta<br>
sunt abolenda tibi. patiarne ante ora manusque<br>
ciuem deleri nostras? aut uincere Poenum 550<br>
me spectante sinam? non aequauisse minorem<br>
soluetur culpa, si sunt mihi talia corda?<br>
iamque hoc, ne dubites, longaeui, nate, parentis<br>
accipe et aeterno fixum sub pectore serua:

531 tempora ωCm :e b2 532 nam *Bauer* : nunc *Heinsius* 533 quoniam Γ *edd. a* r1 : q$\overline{uo}$ F : quomodo L : q$\overline{m}$ β : quando $F^2$ r2 *v. ad 310* 538 quinam ωCh : quisnam $\Gamma^2$ ς 540 dignum est ω : -s est Γ : -s ς : -m *edd. a* v 542 rostra αr2v : ca- β 543 fora α *edd. a* r1 : -e β munera α$\Gamma^2$O : immora G : numera δ 545 sciscant ωv : dis- $\Gamma^2$ς 549 obolenda Ch 551 non ωCh : nos *edd. a* v minore r1mp : -i *edd. a* v 552 soluentur *Bauer, sed v. Blomgren; sensus est 'nonne quod minorem mihi aequaverunt solvetur culpa?'* sint OBZ *edd. a* v

succensere nefas patriae, nec foedior ulla 555
culpa sub extremas fertur mortalibus umbras.
sic docuere senes. quantus qualisque fuisti,
cum pulsus lare et extorris Capitolia curru
intrares exul! tibi corpora caesa, Camille,
damnata quot sunt dextra! pacata fuissent 560
ni consulta uiro mensque impenetrabilis irae,
mutassentque solum sceptris Aeneia regna
nullaque nunc stares terrarum uertice, Roma.
pone iras, o nate, meas. socia arma feramus
et celeremus opem.' iamque intermixta sonabant 565
classica, procursusque uiros colliserat acer.
Primus claustra manu portae dictator et altos
disiecit postes rupitque in proelia cursum.
non grauiore mouent uenti certamina mole
Odrysius Boreas et Syrtim tollere pollens 570
Africus, obnixi cum bella furentia torquent;
distraxere fretum ac diuersa ad litora uoluunt
aequor quisque suum; sequitur stridente procella
nunc huc, nunc illuc raptum mare et intonat undis.
haud prorsus daret ullus honos tellusque subacta 575
Phoenicum et Carthago ruens, iniuria quantum
orta ex inuidia decoris tulit. omnia namque
dura simul deuicta uiro, metus, Hannibal, irae,
inuidia, atque una fama et fortuna subactae.
Poenus ab excelso rapidos decurrere uallo 580
ut uidit, tremuere irae, ceciditque repente
cum gemitu spes haud dubiae praesumpta ruinae;
quippe aciem denso circumuallauerat orbe
hausurus clausos coniectis undique telis.

**562** mutassentque solum Π *edd. a* r1 : mutauisse sonum ω : mutassentque sonum $\Gamma^2$ς : mutassent solium $H^2$ *Heinsius* **565** acceleremus $\Gamma^2$ς **566** procursusque $G^2\Gamma^2$ς : -curr- ω colliserat α$\Gamma^2$ : collis erat β **579** una $V^2\Gamma^2$ : ima β (*om.* O) **584** hausurus αCh : aus- β : haust- ς

atque hic Dardanius prauo certamine ductor 585
iam Styga et aeternas intrarat mente tenebras
(nam Fabium auxiliumque uiri sperare pudebat),
cum senior gemino complexus proelia cornu
ulteriore ligat Poenorum terga corona
et modo claudentes aciem nunc, extima cingens, 590
clausos ipse tenet. maiorem surgere in arma
maioremque dedit cerni Tirynthius. altae
scintillant cristae et, mirum, uelocibus ingens
per subitum membris uenit uigor; ingerit hastas
aduersumque premit telorum nubibus hostem, 595
qualis post iuuenem nondum subeunte senecta
rector erat Pylius bellis aetate secunda.
  Inde ruens Thurin et Buten et Narin et Arsen
dat leto fisumque manus conferre Mahalcen,
cui decus insigne et quaesitum cuspide nomen. 600
tum Garadum largumque comae prosternit Adherben
et geminas acies superantem uertice Thulin,
qui summas alto prensabat in aggere pinnas.
eminus hos. gladio Sapharum gladioque Monaesum
et Morinum pugnas aeris stridore cientem, 605
dexteriore gena sedit cui letifer ictus
perque tubam fixae decurrens uulnere malae
extremo fluxit propulsus murmure sanguis.
proximus huic iaculo Nasamonius occidit Idmon.

585 prauo LGOr2j : paruo Fδς 595 aduersumque ω *cf. Verg. Aen. 12, 266. 461* : au- JCm *Ep. 94 edd. recc., sed versu 680 demum terga vertunt Poeni; cf. et 599* 597 pylius r1 : pyleus L : pileus β : pilius F²Γ²ς : p̄liis F bellis *suspectum* : bellans *Heinsius* : *an post 597 versus excidit, quo bellum cum Centauris gestum designatum erat?* 598 buten r1 : bucen ω : Beucen Ch narin βςCh : uarin L : uarim F : marin O *edd. a* v 599 Mahalcen Ch : maleon ω 602 thulin ς : t(h)ulim ω (thidin L) 603 prensabat FVΓ² : pen- LGΓO 606 sedit cui ω : cedit cui Γ²ς : consedit Ch *unde* cui sedit *Ruperti, Bauer* 609 huic β : hinc α idmon αr1 : hi- β

namque super tepido lapsantem sanguine et aegra 610
lubrica nitentem nequiquam euadere planta
impacto prosternit equo trepideque leuantem
membra afflicta solo pressa uiolentius hasta
implicuit terrae telumque in caede reliquit.
haeret humi cornus motu tremefacta iacentis 615
et campo seruat mandatum affixa cadauer.
Necnon exemplo laudis furiata iuuentus,
Syllaeque Crassique simul iunctusque Metello
Furnius ac melior dextrae Torquatus, inibant
proelia et unanimi uel morte emisse uolebant 620
spectari Fabio. miser hic uestigia retro
dum rapit et molem subducto corpore uitat
intorti Bibulus saxi atque in terga refertur,
strage super lapsus socium, qua fibula morsus
loricae crebro laxata resoluerat ictu, 625
accepit lateri penitusque in uiscera adegit
exstabat fixo quod forte cadauere ferrum.
heu sortem necis! euasit Garamantica tela
Marmaridumque manus, ut inerti cuspide fusus
occideret, telo non in sua uulnera misso. 630
uoluitur exanimis, turpatque decora iuuenta
ora nouus pallor. membris dimissa solutis
arma fluunt, erratque niger per lumina somnus.
Venerat ad bellum Tyria Sidone nepotum
excitus prece et auxilio socia arma ferebat 635
Eoa tumidus pharetrati militis ala

**610** lapsantem α$\Gamma^2$ς : lax- β **612** trepidoque Ch **616** campo αCh : -os β : -is $\Gamma^2$ς **618** syll(a)eque *vel* sill(a)eque ω (sylleque et L) Cm *Ep. 94* : sylla ruunt (crassusque) *edd. a* v crassique ωCm : cla- Γς **619** furnius ωCm : faunius $\Gamma^2$ς : fannius Σ *edd. a* r1 atque δ (*corr. in utroque*) ς **620** *ins.* Cm : *om.* ω **621** spectari Cm : -ti ω hic ω : hinc *edd. a Cellario* **624** strage α$\Gamma^2$ς : -es β **627** extabat α *edd. a* r1 : et stabat β cadauere α$\Gamma^2$ς : -a β **629** fossus *van Veen* **633** eratque α

gens Cadmi, Cleadas, fulua cui plurima passim
casside et aurato fulgebat gemma monili,
qualis ubi Oceani renouatus Lucifer unda
laudatur Veneri et certat maioribus astris. 640
ostro ipse ac sonipes ostro totumque per agmen
purpura Agenoreis saturata micabat aenis.
hic auidum pugnae et tam clarum excidere nomen
Brutum exoptantem uarie nunc laeuus in orbem,
nunc dexter leuibus flexo per deuia gyris 645
ludificatus equo uolucrem post terga sagittam
fundit Achaemenio detrectans proelia ritu.
nec damnata manus, medio sed, flebile, mento
armigeri Cascae penetrabilis haesit harundo
obliquumque secans surrecta cuspide uulnus 650
umenti ferrum admouit tepefacta palato.
at Brutus diro casu turbatus amici
ausum multa uirum et spargentem in uulnera saeuos
fraude fugae calamos iam nullis cursibus instat
prendere cornipedis, sed totam pectoris iram 655
mandat atrox hastae telumque uolatile nodo
excutit ac summum, qua laxa monilia crebro
nudabant uersu, tramittit cuspide pectus.
labitur intento cornu transfossus, et una
arcum laeua cadens, dimisit dextra sagittam. 660
At non tam tristi sortitus proelia Marte
Phoebei Soractis honor Carmelus agebat.
sanguine quippe suo iam Bagrada tinxerat ensem,
dux rectorque Nubae populi, iam fusus eidem

**643** et *edd. a* r1 : *om.* ω excindere *edd. a* r1 **645** breuibus *Gronovius, sed cf. Stat. silv. 5, 2, 121 sq.* **646** post Cm *Ep. 94* : per ω **651** umenti Ch : uiu- ω : uu- *edd. a* p **652** casu β : -us α **657** ac ω : et Γς **658** uersu *i. conversione retro sagittas fundentis* Ch : cursu ω **659** transfossus αCh : -fixus β (-fissus V) una ΑΧΠ *edd. a* r1 : uda ω : unda δς **663** iunxerat L **664** nubae ω : iu- Γ[2]ς

Zeusis, Amyclaei stirps impacata Phalanti, 665
quem tulerat mater claro Phoenissa Laconi.
talia dum metuit, nec pugnae fisus in hoste
tam rapido nec deinde fugae, suadente pauore
per dumos miser in uicina cacumina quercus
repserat atque alta sese occultabat in umbra 670
Hampsicus insistens tremulis sub pondere ramis.
hunc longa multa orantem Carmelus et altos
mutantem saltu ramos transuerberat hasta,
ut, qui uiscata populatur harundine lucos,
dum nemoris celsi procera cacumina sensim 675
substructa certat tacitus contingere meta,
sublimem calamo sequitur crescente uolucrem.
effudit uitam, atque alte manante cruore
membra pependerunt curuato exsanguia ramo.
Iamque in palantes ac uersos terga feroces 680
pugnabant Itali, subitus cum mole pauenda
terrificis Maurus prorumpit Tunger in armis.
nigra uiro membra, et furui iuga celsa trahebant
cornipedes, totusque nouae formidinis arte
concolor aequabat liuentia currus equorum 685
terga, nec erectis similes imponere cristis
cessarat pennas, aterque tegebat amictus,
ceu quondam aeternae regnator noctis, ad imos
cum fugeret thalamos Hennaea uirgine rapta,
egit nigrantem Stygia caligine currum. 690

665 zeusis $\alpha G\Gamma^2\varsigma$ : zensis $\gamma$ : Zeuxis *Bothe* amyclei (ami-) $LG\Gamma^2\varsigma$ : amrdei F : amidei $\gamma$ 668 fugae Cm *Ep. 94* : -a $\omega$ : -am $\Gamma^2\varsigma$ 669 in $\omega$Cm : et *edd.a* v 671 hampsicus $\alpha$Ch : n- $\beta$ 674 uiscata *Barth* : -tos $\omega$ *Summers; sed cave credas quod R. Schneider de harundine aucupatoria i. 'Blasrohr' protulit Berl. philol. Wochenschr. 1907, 1117* 676 substructa Ch : substracta $\alpha$ : subtracta $\beta$ 677 calamo $\Gamma^2\varsigma$ : t(h)- $\omega$ 680 uersos $\alpha\Gamma^2\varsigma$ : -us $\beta$ (rursus O) 682 Tunger Ch : niger $\omega$ (terrificus nigris prorumpit maurus $\Gamma^2\varsigma$) 683 furui $\Sigma^2$ *Dausqueius* : fului $\omega$ 689 (a)etn(a)ea $\varsigma$ *v. ad 1, 93*

at Cato tum prima sparsus lanugine malas,
quod peperere decus Circaeo Tuscula dorso
moenia, Laertae quondam regnata nepoti,
quamquam tardatos turbata fronte Latinos
collegisse gradum uidet, imperterritus ipse 695
ferrata calce atque effusa largus habena
cunctantem impellebat equum. negat obuius ire
et trepidat cassa sonipes exterritus umbra.
tum celer in pugnam dorso delatus ab alto
alipedem planta currum premit atque uolanti 700
adsilit a tergo. cecidere et lora repente
et stimuli, ferrumque super ceruice tremiscens
palluit infelix subducto sanguine Maurus.
ora rapit gladio praefixaque cuspide portat.
At saeuo Mauorte ferox perrumpit anhelum 705
dictator cum caede globum. miserabile uisu,
uulneribus fessum ac multo labente cruore
ductorem cernit suprema ac foeda precantem.
manauere genis lacrimae, clipeoque pauentem
protegit et natum stimulans 'fortissime, labem 710
hanc pellamus' ait 'Poenoque ob mitia facta,
quod nullos nostris ignes disperserit aruis,
dignum expendamus pretium.' tunc arte paterna
ac stimulis gaudens iuuenis circumdata Poenum
agmina deturbat gladio campumque relaxat, 715
donec Sidonius decederet aequore ductor,
ceu stimulante fame rapuit cum Martius agnum
auerso pastore lupus fetumque trementem
ore tenet presso, tum, si uestigia cursu
auditis celeret balatibus obuia pastor, 720
iam sibimet metuens spirantem dentibus imis

702 tremiscens $F^2$ς : -escens Lβ : -entes F 705 at Lς : ac Fβ 706 *fort. scribendum* globum et, miserabile 712 disperserit Oς : de- ω agris QΠ *edd. a* r1 713 Marte paterno *Heinsius* 717 martius α$V^2$Γ : macius β agnum $F^2$β : agmen α

reiectat praedam et uacuo fugit aeger hiatu.
†tum demum Tyriis quas circumfuderat atra
tempestas, Stygiae tandem fugere tenebrae†.
torpebant dextrae, et sese meruisse negabant 725
seruari, subitisque bonis mens aegra natabat,
ut, qui collapsa pressi iacuere ruina,
eruta cum subito membra et nox atra recessit,
coniuent solemque pauent agnoscere uisu.
Quis actis senior numerato milite laetus 730
colles et tuto repetebat in aggere castra.
ecce autem e media iam morte renata iuuentus
clamorem tollens ad sidera et ordine longo
ibat ouans Fabiumque decus Fabiumque salutem
certatim et magna memorabant uoce parentem. 735
tum qui partitis dissederat ante maniplis
'sancte' ait 'o genitor, reuocato ad lucis honorem
si fas uera queri, cur nobis castra uirosque
diuidere est licitum? patiens cur arma dedisti,
quae solus rexisse uales? hoc munere lapsi 740
aeternas multo cum sanguine uidimus umbras.
ocius huc aquilas seruataque signa referte.
hic patria est, murique urbis stant pectore in uno.
tuque dolos, Poene, atque astus tandem exue notos;
cum solo tibi iam Fabio sunt bella gerenda.' 745
Haec ubi dicta dedit, mille hinc, uenerabile uisu,
caespite de uiridi surgunt properantibus arae.
nec prius aut epulas aut munera grata Lyaei
fas cuiquam tetigisse fuit, quam multa precatus
in mensam Fabio sacrum libauit honorem. 750

**723** tyriis (ti-) ω : tyrii $\Gamma^2$ *Bothe* : terris ς : turmis *Heinsius, Håkanson* *post* Tyriis *duo hemistichia excidisse statuit Thilo 1891, 622* qua F **725** dextrae Xg : -a ω **731** colles $F^2$Cm *Ep. 94* : collibus ω **735** memorabant ωCh : -at P *edd. a* r1 **736** dissederat FCm : disc- Lβ : discesserat $\Gamma^2$ς **737** reuocato αCm : -e β : -i $\Gamma^2$Q *edd. a* r1 **747** properantibus ω *Livineius* : -ius QΠΣ *edd. a* r1

# SILI ITALICI
## PVNICORVM
## LIBER OCTAVVS

Primus Agenoridum cedentia terga uidere
Aeneadis dederat Fabius. Romana parentem
solum castra uocant, solum uocat Hannibal hostem
impatiensque morae fremit: ut sit copia Martis,
exspectanda uiri fata optandumque sub armis 5
Parcarum auxilium. namque hac spirante senecta
nequiquam sese Latium sperare cruorem.
iam uero concors miles signisque relatis
indiuisus honos iterumque et rursus eidem
soli obluctandum Fabio maioribus aegrum 10
angebant curis. lentando feruida bella
dictator cum multa adeo, tum miles egenus
cunctarum ut rerum Tyrius foret, arte sedendi
egerat et, quamquam finis pugnaque manuque
hauddum partus erat, iam bello uicerat hostem. 15
quin etiam ingenio fluxi, sed prima feroces,
uaniloquum Celtae genus ac mutabile mentis,
respectare domos. maerebant caede sine ulla
(insolitum sibi) bella geri siccasque cruore
inter tela siti Mauortis hebescere dextras. 20
his super internae labes et ciuica uulnus
inuidia augebant. laeuus conatibus Hannon

11 angebat GQ *edd. a* r1 18 maerebant αΓ²ς : -unt β 19 cruori O : -is *Heinsius* 20 siti *i. 'cupidine', non ut quidam volunt 'positi'* ω : sati m *cf. 1, 341* : satis *Ruperti, Bothe* : situ *D. Heinsius* 22 augebant ΓOς *Livineius* : an- αGVr2pv

ductoris non ulla domo summittere patres
auxilia aut ullis opibus iuuisse sinebat.
Quis lacerum curis et rerum extrema pauentem 25
ad spes armorum et furialia uota reducit
praescia Cannarum Iuno atque elata futuris.
namque hac accitam stagnis Laurentibus Annam
affatur uoce et blandis hortatibus implet:
'sanguine cognato iuuenis tibi, diua, laborat 30
Hannibal, a uestro nomen memorabile Belo.
perge age et insanos curarum comprime fluctus.
excute sollicito Fabium. sola ille Latinos
sub iuga mittendi mora iam discingitur armis.
cum Varrone manus et cum Varrone serenda 35
proelia. ne desit fatis ad signa mouenda.
ipsa adero. tendat iamdudum in Iapyga campum.
huc Trebiae rursum et Thrasymenni fata sequentur.'
Tum diua Indigetis castis contermina lucis
'haud' inquit 'tua ius nobis praecepta morari. 40
sit fas, sit tantum, quaeso, retinere fauorem
antiquae patriae mandataque magna sororis,
quamquam inter Latios Annae stet numen honores.'
Multa retro rerum iacet atque ambagibus aeui
obtegitur densa caligine mersa uetustas, 45
cur Sarrana dicent Oenotri numina templo

28 iamque *Dausqueius* accin(c)tam δς : excitam *Livineius* 30 dira F 31 a uestro ω (auestro F) Ch : auron O (*in exemplari videlicet erat* a$\overline{\text{uro}}$) : a nostro Γς bello F 33 ille $\Gamma^2$ *Heinsius, cf. Lucan. 1, 99sq.* : -a ω 34 discingitur GV$\Gamma^2$Oς : -tīgnitur F : -tinguitur LΓΞr2 : -cinditur QXZΠ 35 secunda G : serena V (*corr.*) : ferenda O : serendum *Postgate 1902* 36 ne $\Gamma^2$ς : nec ωCh 37 tendit δ (*corr. in* Γ) ZΠr1 39 castis α$\Gamma^2$ς : -tris β 40 ius ςvb1b2 : uis ωr1pj 41 sit ω (sic O) Cm *Ep. 28* : sed ς tantum ω : cautum W *edd. a* pCm (*vix credibile*) quaeso retinere ω : quae detinuisse Ch *mire* 46 *versum in* C *non exstitisse testatur Heinsius*

regnisque Aeneadum germana colatur Elissae.
sed pressis stringam reuocatam ab origine famam
narrandi metis breuiterque antiqua reuoluam:
  Iliaco postquam deserta est hospite Dido 50
et spes abruptae, medio in penetralibus atram
festinat furibunda pyram. tum corripit ensem
certa necis, profugi donum exitiale mariti.
despectus taedae regnis se imponit Iarbas,
et tepido fugit Anna rogo. quis rebus egenis 55
ferret opem Nomadum late terrente tyranno?
Battus Cyrenen molli tum forte fouebat
imperio, mitis Battus lacrimasque dedisse
casibus humanis facilis. qui supplice uisa
intremuit regum euentus dextramque tetendit. 60
atque ea, dum flauas bis tondet messor aristas,
seruata interea sedes; nec longius uti
his opibus Battoque fuit. nam ferre per aequor
exitium miserae iam Pygmaliona docebat.
ergo agitur pelago, diuis inimica sibique, 65
quod se non dederit comitem in suprema sorori,
donec iactatam laceris, miserabile, uelis
fatalis turbo in Laurentes expulit oras.
non caeli, non illa soli, non gnara colentum
Sidonis in Latia trepidabat naufraga terra. 70
ecce autem Aeneas sacro comitatus Iulo,
iam regni compos, noto sese ore ferebat.
qui terrae defixam oculos et multa timentem

47 regnis Aeneadum Ch 49 metis β : moetis F : motis L 51 abruptae, medio in *scripsi coll. Verg. Aen. 2, 59* tecti medio in penetralibus : abrupta e medio in ω : abruptae, mediis *Heinsius* : abruptae mediae, in *Ruperti* : abruptae, mediam in *Summers* 54 despectus Γς : di- ω 55 anna αCm *Ep. 28* : arma β (arnia O) tepida arma rogo figit *edd. a* j 61 bis $\Gamma^2$ς : his ω (hiis O) 65 agitur LZΠ *edd. a* r1 : agit ut Fβ : ait ut δς diuis $L^2$ς : duus ω

ac deinde allapsam genibus lacrimantis Iuli
attollit mitique manu intra limina ducit. 75
atque ubi iam casus aduersorumque pauorem
hospitii leniuit honos, tum discere maesta
exposcit cura letum infelicis Elissae.
cui sic uerba trahens largis cum fletibus Anna
incipit et blandas addit pro tempore uoces: 80
'nate dea, solus regni lucisque fuisti
germanae tu causa meae. mors testis et ille
(heu cur non idem mihi tum!) rogus. ora uidere
postquam est ereptum miserae tua, litore sedit
interdum, stetit interdum, uentosque secuta 85
infelix oculis magno clamore uocabat
Aenean comitemque tuae se imponere solam
orabat paterere rati. mox turbida anhelum
rettulit in thalamos cursum subitoque tremore
substitit et sacrum timuit tetigisse cubile. 90
inde amens nunc sideream fulgentis Iuli
effigiem fouet amplexu, nunc tota repente
ad uultus conuersa tuos ab imagine pendet
conqueriturque tibi et sperat responsa remitti.
non umquam spem ponit amor. iam tecta domumque 95
deserit et rursus portus furibunda reuisit,
si qui te referant conuerso flamine uenti.
ad magicas etiam fallax atque improba gentis
Massylae leuitas descendere compulit artes.
heu sacri uatum errores! dum numina noctis 100
eliciunt spondentque nouis medicamina curis,
quod uidi decepta nefas! congessit in atram
cuncta tui monumenta pyram et non prospera dona.'

74 allapsam (adl-) LG : ad lapsam Fγ 76 aduersorumque $\alpha\Gamma^2$ς : -sar- β 85 uectosque *Ruperti* 91 fulgentis Cm *Ep. 28* : *om.* ω : arridentis $G^2$ : *post* Iuli *add.* que tuamque $V^2\Gamma^2$ *et sic versum exhibent* ς *edd. vett.* 95 non numquam LBPQ *edd. a* v

Tum sic Aeneas dulci repetitus amore:
'tellurem hanc iuro, uota inter nostra frequenter 105
auditam uobis, iuro caput, Anna, tibique
germanaeque tuae dilectum mitis Iuli,
respiciens aegerque animi tum regna reliqui
uestra nec abscessem thalamo, ni magna minatus
meque sua ratibus dextra imposuisset et alto 110
egisset rapidis classem Cyllenius Euris.
sed cur (heu seri monitus!), cur tempore tali
incustodito saeuire dedistis amori?'
Contra sic infit soluens uix murmur anhelum
inter singultus labrisque trementibus Anna: 115
'nigro forte Ioui, cui tertia regna laborant,
atque atri sociae thalami noua sacra parabam,
quis aegram mentem et trepidantia corda leuaret
infelix germana tori, furuasque trahebam
ipsa manu properans ad uisa pianda bidentes. 120
namque et per somnum dirus me impleuerat horror
terque suam Dido, ter cum clamore uocarat
et laeta exsultans ostenderat ora Sychaeus.
quae dum abigo menti et sub lucem ut uisa secundent
oro caelicolas ac uiuo purgor in amni, 125
illa cito passu peruecta ad litora mutae
oscula, qua steteras, bis terque infixit harenae.

104 tum FGδ : tunc LOς  105 frequenter Γ[2]ς : -ti ωCh (*'Colonius frequenti' per errorem pro 'Oxonius frequenti' scriptum puto, quia* C *semper 'Coloniensem', non 'Colonium' vocat*)  **106** uobis G[2]γς : n- αG  107 dilectum mitis F[2] *in lac.* r2Ch : -ti in uultus F *m.2 marg.* L : -ti uultus β (multus Γ) : -ti inuitus r1mp : -ti mitis *edd. a* v  109 ni F[2]Gδ : in αO  114 soluens *Håkanson* : u- ω  uix Cm *Ep. 28* : sic ω  115 labris Cm : labiis ω *voce a poetis vitata*  119 furuasque α *edd. a* v : furiasque β : fuluasque ZΠr1  121 et per somnum *Delz 1983, 220* : asper summo ω : asper somno *edd. a* v : (nam) quam per somnum *Watt 1984*  **125** amni αCm : antro β

deinde amplexa sinu late uestigia fouit,
ceu cinerem orbatae pressant ad pectora matres.
tum rapido praeceps cursu resolutaque crinem 130
euasit propere in celsam, quam struxerat ante
magna mole, pyram, cuius de sede dabatur
cernere cuncta freta et totam Carthaginis urbem.
hic Phrygiam uestem et bacatum induta monile,
postquam illum infelix hausit, quo munera primum 135
sunt conspecta, diem et conuiuia mente reduxit
festasque aduentu mensas teque ordine Troiae
narrantem longos se peruigilante labores,
in portus amens rorantia lumina flexit.
'di longae noctis, quorum iam numina nobis 140
mors instans maiora facit, precor,' inquit 'adeste
et placidi uictos ardore admittite manes.
Aeneae coniunx, Veneris nurus, ulta maritum,
[uidi constructas nostrae Carthaginis arces.
nunc ad uos magni descendet corporis umbra. 145
me quoque fors dulci quondam uir notus amore
exspectat curas cupiens aequare priores.'
haec dicens ensem media in praecordia adegit,
ensem Dardanii quaesitum in pignus amoris.
uiderunt comites tristique per atria planctu 150
concurrunt; magnis resonant ululatibus aedes.
accepi infelix dirisque exterrita fatis,
ora manu lacerans, lymphato regia cursu
tecta peto celsosque gradus euadere nitor.
ter diro fueram conata incumbere ferro, 155
ter cecidi exanimae membris reuoluta sororis.
iamque ferebatur uicina per oppida rumor:
arma parant Nomadum proceres et saeuus Iarbas. 157a
tum Cyrenaeam fatis agitantibus urbem
deuenio; hinc uestris pelagi uis appulit oris.'

*de versibus 144–223 v. Praefationem p. LXIV sqq.* **157a** *om. Asulanus* scaeuus hiarbas *Constantius*

Motus erat placidumque animum mentemque quietam 160
Troius in miseram rector susceperat Annam.
iamque omnes luctus omnesque e pectore curas
dispulerat, Phrygiis nec iam amplius aduena tectis
illa uidebatur. tacito nox atra sopore
cuncta per et terras et lati stagna profundi 165
condiderat, tristi cum Dido aegerrima uultu
has uisa in somnis germanae effundere uoces:
'his, soror, in tectis longae indulgere quieti,
heu nimium secura, potes? nec, quae tibi fraudes
tendantur, quae circumstent discrimina, cernis? 170
at nondum nostro infaustos generique soloque
Laomedonteae noscis telluris alumnos?
dum caelum rapida stellas uertigine uoluet,
lunaque fraterno lustrabit lumine terras,
pax nulla Aeneadas inter Tyriosque manebit. 175
surge, age; iam tacitas suspecta Lauinia fraudes
molitur dirumque nefas sub corde uolutat.
praeterea (ne falsa putes haec fingere somnum)
haud procul hinc paruo descendens fonte Numicus
labitur et leni per ualles uoluitur amne. 180
huc rapies, germana, uiam tutosque receptus.
te sacra excipient hilares in flumina Nymphae,
aeternumque Italis numen celebrabere in oris.'
sic fata in tenuem Phoenissa euanuit auram.
Anna nouis somno excutitur perterrita uisis, 185
itque timor totos gelido sudore per artus.
tunc, ut erat tenui corpus uelamine tecta,
prosiluit stratis humilique egressa fenestra
per patulos currit plantis pernicibus agros,
donec harenoso, sic fama, Numicius illam 190
suscepit gremio uitreisque abscondidit antris.
orta dies totum radiis impleuerat orbem,

172 nescis *Asulanus*

cum nullam Aeneadae thalamis Sidonida nacti
et Rutulum magno errantes clamore per agrum
uicini ad ripas fluuii manifesta sequuntur 195
signa pedum, dumque inter se mirantur, ab alto
amnis aquas cursumque rapit. tum sedibus imis
inter caeruleas uisa est residere sorores
Sidonis et placido Teucros affarier ore.
ex illo primis anni celebrata diebus 200
per totam Ausoniam uenerando numine culta est.
Hanc postquam in tristes Italum Saturnia pugnas
hortata est, celeri superum petit aethera curru
optatum Latii tandem potura cruorem.
diua deae parere parat magnumque Libyssae 205
ductorem gentis nulli conspecta petebat.
ille uirum coetu tum forte remotus ab omni
incertos rerum euentus bellique uolutans
anxia ducebat uigili suspiria uoce.
cui dea sic dictis curas solatur amicis: 210
'quid tantum ulterius, rex o fortissime gentis
Sidoniae, ducis cura aegrescente dolorem?
omnis iam placata tibi manet ira deorum,
omnis Agenoridis rediit fauor. eia, age, segnes
rumpe moras, rape Marmaricas in proelia uires. 215
mutati fasces. iam bellum atque arma senatus
ex inconsulto posuit Tirynthius heros,
cumque alio tibi Flaminio sunt bella gerenda.
me tibi, ne dubites, summi matrona Tonantis
misit. ego Oenotris aeternum numen in oris 220
concelebror, uestri generata e sanguine Beli.
haud mora sit; rapido belli rape fulmina cursu,
celsus Iapygios ubi se Garganus in agros]
⟨. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .⟩

204 Latii *Asulanus* : Latiis *Constantius* 220 oenotris *Asulanus* : -iis *Constantius* 223 ubi *Constantius* : qua *Asulanus*

explicat. haud longe tellus; huc dirige signa.'
[haec ut Roma cadat sat erit uictoria Poenis] 224a
dixit et in nubes umentia sustulit ora. 225
Cui dux promissae reuirescens pignore laudis
'nympha, decus generis, quo non sacratius ullum
numen' ait 'nobis, felix oblata secundes.
ast ego te compos pugnae Carthaginis arce
marmoreis sistam templis iuxtaque dicabo 230
aequatam gemino simulacri munere Dido.'
haec fatus socios stimulat tumefactus ouantes:
'pone graues curas tormentaque lenta sedendi,
fatalis Latio miles. placauimus iras
caelicolum; redeunt diui. finita maligno 235
hinc Fabio imperia et mutatos consule fasces
nuntio. nunc dextras mihi quisque atque illa referto,
quae Marte exclusus promittere magna solebas.
en, numen patrium spondet maiora peractis.
uellantur signa, ac diua ducente petamus 240
infaustum Phrygibus Diomedis nomine campum.'
Dumque Arpos tendunt instincti pectora Poeni,
subnixus rapto plebei muneris ostro
saeuit iam rostris Varro ingentique ruinae
festinans aperire locum fata admouet urbi. 245
atque illi sine luce genus surdumque parentum
nomen, at immodice uibrabat in ore canoro

224 hic L 224a *ins. Constantius et Asulanus, eiecit Heinsius* 225 humentia *Drakenborch* (uu- *Heinsius*) : uiu- ω : am- Ch : euanida *edd. a* b1 228 secundes *Livineius* : -is ω 231 munere Z r1 : numine ω 232 tumefactus *Barth* : tum factus ω Ch : tunc fatus $\Gamma^2$ ς : tunc (tum) festus *edd. a* r2 234 iras ω : omnes Ch (?) 236 mutato *Heinsius, sed* mutatos c. f. *i. fasces ad consulem redire* 237 nuntiŏ *cf. 11, 504; L. Müller 416* 238 exclusus ω : clusus Ch regna δς 242 instincti αCh : instructi β 243 ostro $\Gamma^2$ ς : a- ω 244 saeuit iam *Livineius* : saeuitiam ω 247 at *Bentley* : et ω uibrabat Q *edd. a* v : -rat ω canoro ωCh : son- *edd. a* j

lingua procax. hinc auctus opes largusque rapinae,
infima dum uulgi fouet oblatratque senatum,
tantum in quassata bellis caput extulit urbe, 250
momentum ut rerum et fati foret arbiter unus,
quo conseruari Latium uictore puderet.
hunc Fabios inter sacrataque nomina Marti
Scipiadas interque Ioui spolia alta ferentem
Marcellum fastis labem suffragia caeca 255
addiderant, Cannasque malum exitiale fouebat
ambitus et Graio funestior aequore Campus.
idem, ut turbarum sator atque accendere sollers
inuidiam prauusque togae, sic debilis arte
belligera Martemque rudis uersare nec ullo 260
spectatus ferro, lingua sperabat adire
ad dextrae decus atque e rostris bella ciebat.
ergo alacer Fabiumque morae increpitare professus
ad uulgum in patres petulantia uerba ferebat:
'uos, quorum imperium est, consul praecepta modumque 265
bellandi posco. sedeone aut montibus erro,
dum mecum Garamas et adustus corpora Maurus
diuidit Italiam? an ferro, quo cingitis, utor?
exaudi, bone dictator, quid Martia plebes
imperitet: pelli Libyas Romamque leuari 270
hoste iubent. num festinant, quos plurima passos
tertius exhaurit lacrimosis casibus annus?

**249** infima *Livineius* : int- ω **250** in quassata $\Gamma^2$r1 : inquassata ω **253** hunc β : n- α **254** scipiadas α$\Gamma^2$ : -es β **259** prauusque $\Gamma^2$Q *edd. a* p : -isque ω (paruisque G prauis Γ) : paruusque ς **264** petulantia *Heinsius* : ut ouantia ω : et o. ς *edd. vett.* : ut ouans iam *Bauer* serebat *Heinsius* **266** aut *Livineius* : an ω : ac *Heinsius* **267** adustus corpora Lβ : -to -a F : -tus -e *edd. a* v : *fort. scribendum* -to -e **270** pelli Cm *Ep. 28* : bello ω libyas ωCm (*propter errorem in* b2 Libys) : libyes *i. Libyae edd. vett.* **271** iubent ω : -et $\Gamma^2$ς num β : uim F : uni L **272** exhaurit *scripsi, quod iam Heinsio in mentem venerat, coll. Verg. Aen. 1, 597 sqq.* : exurit ω annus Fβ (*corr. ex* annis O) : amnis $F^2$L

ite igitur, capite arma, uiri. mora sola triumpho
paruum iter est. quae prima dies ostenderit hostem,
et patrum regna et Poenorum bella resoluet. 275
ite alacres, Latia deuinctum colla catena
Hannibalem Fabio ducam spectante per urbem.'
Haec postquam increpuit, portis arma incitus effert
impellitque moras, ueluti cum carcere rupto
auriga indocilis totas effundit habenas 280
et praeceps trepida pendens in uerbera planta
impar fertur equis; fumat male concitus axis,
ac frena incerto fluitant discordia curru.
cernebat Paulus (namque huic communia Campus
iura atque arma tulit) labi mergente sinistro 285
consule res pessumque dari; sed mobilis ira est
turbati uulgi, signataque mente cicatrix
undantes aegro frenabat corde dolores.
nam cum perdomita est armis iuuenilibus olim
Illyris ora uiri, nigro allatrauerat ore 290
uictorem inuidia et uentis iactarat iniquis.
hinc inerat metus et durae reuerentia plebis.
sed genus admotum superis summumque per altos
attingebat auos caelum: numerare parentem
Assaracum retro praestabat Amulius auctor 295
Assaracusque Iouem, nec, qui spectasset in armis,
abnueret genus. huic Fabius iam castra petenti:
'si tibi cum Tyrio credis fore maxima bella
ductore (inuitus uocem hanc e pectore rumpam)

276 deuinctum ω (deuicta O) : deuictum ςCh 280 effundit ω (inf- F) : -fud- Ch 283 ac FO : at LGVΓ 284 namque B *edd. a* r1 : nam ω 286 ira est ωCh : ira *edd. a* r1 287 uulgi $\Gamma^2$ς : -us ω : *fort. scribendum* mobile et ira turbatum uulgus 290 illyris (illiris) αδ : illius β uiri ωCh : *om.* δ *unde* ora nigro tunc $\Gamma^2$ς 295 amulius $\Gamma^2$ς : amullius ω 296 nec qui *edd. a* r1 : ne qui ω (neque O) : nec quis ς

frustraris, Paule. Ausoniae te proelia dira 300
teque hostis castris grauior manet, aut ego multo
nequiquam didici casus praenoscere Marte.
spondentem audiui (piget heu taedetque senectae,
si, quas prospicio, restat passura ruinas!)
cum duce tam fausti Martis, qua uiderit hora, 305
sumpturum pugnam. quantum nunc, Paule, supremo
absumus exitio, uocem hanc si consulis ardens
audiuit Poenus! iam latis obuia, credo,
stat campis acies exspectaturque sub ictu
alter Flaminius. quantos insane ciebis 310
Varro uiros! tu (pro superi!) tu protinus arma,
tu campum, noscas ante exploresque trahendo
quam ritus hostis. tu non, quae copia rerum,
quae natura locis, quod sit, rimabere sollers,
armorum genus, et stantem super omnia tela 315
Fortunam adspicies. fer, Paule, indeuia recti
pectora. cur, uni patriam si affligere fas est,
uni sit seruare nefas? eget improbus arto
iam uictu Libys, et belli feruore retuso
laxa fides socium est. non hic domus hospita tecto 320
inuitat patrio, non fidae moenibus urbes
excipiunt renouatque pari se pube iuuentus.
tertia uix superest, crudo quae uenit Hibero,

300 frustratus OB Ausoniae *i. Romanorum scripsi* : -am ω (frustraris, Paule, Ausoniam. te *edd. ante Bauerum*) : Ausonium *vel* Ausonidum *L. Müller 191* : Ausonia *Blomgren* plura (*pro* dira) *Damsté, sed cf. e.g. Lucan. 3, 312sq.* **302** marte FO$\Gamma^2$ς : in arte Lβ **305** uiderit α$\Gamma^2$ς : -at β hora F$\Gamma^2$ς : ora Lβ **311** pronus in arma *Bauer Heinsium secutus* **313** quam Ch : quantum ω : qui $G^2$ *Ruperti* ritus αCh : rictus β : ictus $\Gamma^2$ς ualeat (*pro* tu non) Γς *locum plurimis coniecturis vexatum expedivit Blomgren; sensus est 'tu protinus arma, tu campum sc. vis, antequam ritus hostis noscas trahendoque bellum explores'* **314** loci ςrl m *edd. pleraeque* **316** in deuia Ombl c **319** retuso Cm *ad Liv. 22, 39 p. 507* Ch : recluso ω **320** fides α$\Gamma^2$ς : -m β

turba uirum. persta et cauti medicamina belli
lentus ama. si qua interea irritauerit aura 325
annueritque deus, uelox accede secundis.'
Cui breuiter maesto consul sic ore uicissim:
'mecum erit haec prorsus pietas, mentemque feremus
in Poenos, inuicte, tuam. nec me unica fallit
cunctandi ratio, qua te grassante senescens 330
Hannibal oppressum uidit considere bellum.
sed quaenam ira deum? consul datus alter, opinor,
Ausoniae est, alter Poenis. trahit omnia secum
et metuit demens, alio ne consule Roma
concidat. e Tyrio consortem accite senatu, 335
non tam saeua uolet. nullus, qui portet in hostem,
sufficit insano sonipes. incedere noctis,
quae tardent cursum, tenebras dolet, itque superbus
tantum non strictis mucronibus, ulla retardet
ne pugnas mora, dum uagina ducitur ensis. 340
Tarpeiae rupes cognataque sanguine nobis
tecta Iouis, quaeque arce sua nunc stantia linquo,
moenia felicis patriae, quocumque uocabit
summa salus, testor, spreto discrimine iturum.
sed si surda mihi pugnabunt castra monenti, 345
haud ego uos ultra, nati, dulcemque morabor
Assaraci de gente domum similemue uidebit
Varroni Paulum redeuntem saucia Roma.'

333 ausonia F poenus F 335 accite Cm *Ep. 28* : -re ω 336 tam Cm : iam ω saeua ωCm : sera HXΨr2 *edd. a* v : serua $Γ^2$Ξ 337 incedere Lβ *cf. Tac. ann. 15, 37, 3* postquam tenebrae incedebant : -cid- F : -cend- O 338 quae αγCm : quo G : quod $Γ^2$ *edd. a* r1 tenebras *edd. a* v : -ae ω itque ωCm : idque b2 341 Tarpeias *'Casaubonus ad marginem ... editionis Gryphianae' Drakenborch, sed vocativus confirmatur versu 1, 541, ad* testor (*344*) *facile suppletur 'vos'* 345 pugnabunt $αΓ^2ς$ : -ant β (-at G) monenti αr1 : mou- β 346 ulta F 347 assaraci $αGΓ^2$ : -ici γ (assirici O)

Sic tum diuersa turbati mente petebant
castra duces. at praedictis iam sederat aruis 350
Aetolos Poenus seruans ad proelia campos.
non alias maiore uirum, maiore sub armis
agmine cornipedum concussa est Itala tellus.
quippe extrema simul gentique urbique timebant,
nec spes certandi plus uno Marte dabatur. 355
Faunigenae socio bella inuasere Sicano
sacra manus Rutuli, seruant qui Daunia regna
Laurentique domo gaudent et fonte Numici,
quos Castrum Phrygibusque grauis quondam Ardea misit,
quos celso deuexa iugo Iunonia sedes, 360
Lanuuium atque altrix casti Collatia Bruti,
quique immite nemus Triuiae, quique ostia Tusci
amnis amant tepidoque fouent Almone Cybelen.
hinc Tibur, Catille, tuum sacrisque dicatum
Fortunae Praeneste iugis Antemnaque, prisco 365
Crustumio prior, atque habiles ad aratra Labici.
necnon sceptriferi qui potant Thybridis undam,
quique Anienis habent ripas gelidoque rigantur
Simbruuio rastrisque domant Aequicula rura.
his Scaurus monitor, tenero tunc Scaurus in aeuo, 370
sed iam signa dabat nascens in saecula uirtus.
non illis solitum crispare hastilia campo,
nec mos pennigeris pharetram impleuisse sagittis;

349 tum diuersa *Livineius* : tumidi uersa ω diuersi turbata Ch (*errore ut videtur typogr.*) 350 at *Livineius* : ac ω 356 famigenae F 357 daunia L$G^2V^2\Gamma$ : damnia F : dauona G : dauina V : dauna O 358 numici $\alpha\Gamma^2$ : munici β (-ti O) 361 lanuuium αCh *Dausqueius* : lauinium β : lauinum *edd. a* p 362 quique triuiae F hostia FΓOς 363 amnis L$V^2\Gamma^2$ : annus Fβ tepidoque αr2 : tre- β (-osque G) cybelen *vel* cibelen LO$\Gamma^2$ς : cibellen $F^2$G : cibellem FV : Cybeben *Ruperti* (*cf. Hall ad Claud. rapt. Pros. 1, 212*) 368 animis F 369 simbruuio α$G^2V\Gamma^2$Ch : -unio GΓO : -iuio Qr2 *edd. a* v

pila uolunt breuibusque habiles mucronibus enses;
aere caput tecti surgunt super agmina cristis. 375
At, quos ipsius mensis seposta Lyaei
Setia et incelebri miserunt ualle Velitrae,
quos Cora, quos spumans immiti Signia musto,
et quos pestifera Pomptini uligine campi,
qua Saturae nebulosa palus restagnat et atro 380
liuentes caeno per squalida turbidus arua
cogit aquas Vfens atque inficit aequora limo,
ducit auis pollens nec dextra indignus auorum
Scaeuola, cui dirae caelatur laudis honora
effigie clipeus: flagrant altaribus ignes, 385
Tyrrhenum ualli medio stat Mucius ira
in semet uersa, saeuitque in imagine uirtus.
†tunc ictae species iniere ac bella magistro†
cernitur effugiens ardentem Porsena dextram.
Quis Circaea iuga et scopulosi uerticis Axur 390
Hernicaque impresso raduntur uomere saxa,
quis putri pinguis sulcaris Anagnia gleba,
Sulla Ferentinis Priuernatumque maniplis

374 uolunt *multis suspectum, nec defendi potest versibus 2, 518 et Verg. Aen. 7, 340; exspectes* gerunt *vel* ferunt; *an* ualent? 377 setia BQ$\Sigma^2$$r^2$pv : r(h)etia (-cia) ω : phetia Ch incelebri FVς : in c. LGOΓ : e c. *D. Heinsius, sed v. Thes. 7, 1, 858, 59* 378 immiti Ch : inimico ω signa F : segnia $\Gamma^2$ς 379 pomptini FG *Livineius* : promp- O : pon- Lδς 382 ufens LGΓ : ufeus VO : ufers F infecit GV 383 auorum αΓ : am- β 385 flagrant L$G^2$Γ : fr- Fβ 386 mucius β (minc- G) : mut- ας 387 in imagine $\Gamma^2$ς : imagine ω 388 tunc ict(a)e species iniere (nuere Fβ) ac bella ωCh : t. i. s. ruere acri bella Γς : *locus conclamatus; 389 post 387 ponere suadent scriba codicis* W, *Livineius, Ernesti, Summers; doctorum conatus a Rupertio et Bauero enumeratos repetere supersedeo* 389 porsena FΓς : persona LGO : $\text{p}^{a}$ *i. persona* V 390 axur βCh *v. Blomgren 4* : assur L : anxur FΓ 393 Sulla *edd. recc.* : sy- α$\Gamma^2$ς : si- β ferentinos (maniplos ... excitos) $\Gamma^2$ς priuernaturque VO

ducebat simul excitis, Soraeque iuuentus
addita fulgebat telis. hic Scaptia pubes, 395
hic Fabrateriae uulgus, nec monte niuoso
descendens Atina aberat detritaque bellis
Suessa atque a duro Frusino haud imbellis aratro.
at, qui Fibreno miscentem flumina Lirim
sulphureum tacitisque uadis ad litora lapsum 400
accolit, Arpinas, accita pube Venafro
ac Lirenatum dextris, socia hispidus arma
commouet atque uiris ingens exhaurit Aquinum.
Tullius aeratas raptabat in agmina turmas,
regia progenies et Tullo sanguis ab alto. 405
indole pro quanta iuuenis quantumque daturus
Ausoniae populis uentura in saecula ciuem!
ille, super Gangen, super exauditus et Indos,
implebit terras uoce et furialia bella
fulmine compescet linguae nec deinde relinquet 410
par decus eloquio cuiquam sperare nepotum.
  Ecce inter primos Therapnaeo a sanguine Clausi
exsultat rapidis Nero non imitabilis ausis.
hunc Amiterna cohors et Bactris nomina ducens
Casperia, hunc Foruli magnaeque Reate dicatum 415
caelicolum Matri necnon habitata pruinis
Nursia et a Tetrica comitantur rupe cohortes.
cunctis hasta decus clipeusque resectus in orbem

396 fabrateriae $\Gamma^3$O : frabr- αG : fragr- δ  397 athina δ  398 suessa ς : sessa ωCh  a duro Yr2 : aduro ω  400 tacitisque Γς : tactisque ω  402 Lirenatum *scripsi coll. Plin. nat. 3, 64; CIL X 4860* (Lirinatum *Cellarius, Notitia orbis antiqui 1, Lipsiae 1701, 823*) : larinatum ω *cf. 12, 174*  405 sanguine O  408 in (*pro* et) O  409 implebat O  410 fulmina F : -men O  relinquit Γ (*corr.*) O  413 imitabilis $F^2$ *edd. a* r1 : mu- ω  415 Casperia Ch : casperula ω  hunc α$\Gamma^2$ς : huc β  417 a tetrica r1 : atetrica ω  418 resectus *Thilo 1891, 622 quam coniecturam ceteris praefero coll. Ov. Pont. 3, 1, 96* excisa ... pelta : refertur ω *tuetur Summers* : retortus *Bothe, Bauer*

conique implumes et laeuo tegmina crure.
ibant et laeti pars Sancum uoce canebant 420
auctorem gentis, pars laudes ore ferebat,
Sabe, tuas, qui de proprio cognomine primus
dixisti populos magna dicione Sabinos.
Quid, qui Picenae stimulat telluris alumnos,
horridus et squamis et equina Curio crista, 425
pars belli quam magna uenit! non aequore uerso
tam creber fractis albescit fluctus in undis,
nec coetu leuiore, ubi mille per agmina uirgo
lunatis acies imitatur Martia peltis,
perstrepit et tellus et Amazonius Thermodon. 430
hic et, quos pascunt scopulosae rura Numanae,
et quis litoreae fumant altaria Cuprae,
quique Truentinas seruant cum flumine turres,
cernere erat; clipeata procul sub sole corusco
agmina sanguinea uibrant in nubila luce. 435
stat fucare colus nec Sidone uilior Ancon
murice nec Libyco, statque umectata Vomano
Hadria et inclemens hirsuti signifer Ascli.
quod Picus quondam, nomen memorabile ab alto
Saturno, statuit genitor, quem carmine Circe 440
exutum formae uolitare per aethera iussit

**419** conique αCm *Ep. 48* : denique et β : uertice et *edd. a* j et ωCm : ac ς *edd. vett.* laeuo tegmina crure ωCm : -i -e -is *edd. a* v (tegmine *iam* ς) **420** sancum α *Modius* : -ctum β **421** ferebat ω : -ant ς *edd. cf. 4, 18sq.* **422** proprio ωCm *Ep. 48* : patrio *edd. a* r1 **429** minitatur *vel* meditatur *Heinsius, sed cf. e.g. Ov. epist. 4, 91* **430** t(h)ermodon α$\Gamma^2$ς : therinodon β **431** numan(a)e L$Q^2$p : hum- F : mim- β **433** truentinas αQBr2 : c- β **436** colus αr1 : collus β (colos $\Gamma^2$) **437** nomado δς **438** inclemens δς : inde- ω ascli $F^2$Gδ : asdi αO **439** quod picus $N^2$ : uopicus ω (*et* C *teste Dausqueio*) : uepicus QBr2 : ut picus r1 : hoc Picus *Heinsius, edd. recc.* **441** exutum ω : exentum δ : exemptum ς formam *Summers, sed cf. 8, 588*

et sparsit croceum plumis fugientis honorem.
ante, ut fama docet, tellus possessa Pelasgis,
quis Asus regnator erat fluuioque reliquit
nomen et a sese populos tum dixit Asilos. 445
Sed non ruricolae firmarunt robore castra
deteriore cauis uenientes montibus Vmbri.
hos Aesis Sapisque lauant rapidasque sonanti
uertice contorquens undas per saxa Mataurus,
et lauat ingentem perfundens flumine sacro 450
Clitumnus taurum Narque albescentibus undis
in Thybrim properans Tiniaeque inglorius umor
et Clasis et Rubico et Senonum de nomine Sena.
sed pater ingenti medios illabitur amne
Albula et admota perstringit moenia ripa. 455
his urbes Arna et laetis Meuania pratis,
Hispellum et duro monti per saxa recumbens
Narnia et infestum nebulis umentibus olim
Iguuium patuloque iacens sine moenibus aruo

442 croceum plumis αOr2Ch : p. c. Gδς 444 Asus *scripsi* (Asis *iam N. Alfieri, La Parola del Passato 4, 1949, 57 sqq. de fluvio per medium Picenum labente qui hodie dicitur 'Aso'; nam Aesis 448 Vmbros lavat*) : aesis ω (resis G cesis O) 445 Asisos *Scaliger* : (dixerat) Asclos *Summers; de Asilis v. quae disputavit E. Norden, Alt-Germanien 232 sqq.* 447 cauis β : canis α 448 resis G : desis O 449 Mataurus Ch *v. Blomgren 3* : me- ω 451 clitumnus αr1 : -minis β 452 tiniaeque p : tumi(a)eque ω (tun-n(a)eque F²L) 453 Clasis *Cluverius 701, cf. Hülsen RE s. v.* : clanis LBYp : clauis Fβ (danis O) sena Ch : -ae ω 454 medios illabitur *vix sanum; fort.* medius *sc. inter Vmbriam et Etruriam* delabitur 455 admota Ch : im- ω moenia *sc. urbium ad Tiberim sitarum* 456 arna *edd. a* p : arma ω latis *edd. vett.* 457 hispellum Γ²Oς : his pellum ω : Hisbellum Ch 458 narnia *edd. a* r2 : arnia F *ex corr.* L : aruia β : auia Γ²Oς olim *i. semper, cf. Thes. 9, 563, 39 sqq.* 459 Iguuium *Cluverius 625* (Ignuuium Ch *fort. errore typogr., sed idem Adversaria 274*) : igninum ω : ingenum δ : inginum Γ²ς

Fulginia, his populi fortes: Amerinus et, armis 460
uel rastris laudande Camers, his Sassina diues
lactis, et haud parci Martem coluisse Tudertes.
ductor Piso uiros spernaces mortis agebat,
ora puer pulcherque habitu, sed corde sagaci
aequabat senium atque astu superauerat annos. 465
is primam ante aciem pictis radiabat in armis,
Arsacidum ut fuluo micat ignea gemma monili.
Iamque per Etruscos legio completa maniplos
rectorem magno spectabat nomine Galbam.
huic genus orditur Minos illusaque tauro 470
Pasiphae, clarique dehinc stant ordine patres.
lectos Caere uiros, lectos Cortona, superbi
Tarchonis domus, et ueteres misere Grauiscae.
necnon Argolico dilectum litus Halaeso
Alsium et obsessae campo squalente Fregenae. 475
affuit et sacris interpres fulminis alis
Faesula et antiquus Romanis moenibus horror
Clusinum uulgus, cum, Porsena magne, iubebas
nequiquam pulsos Romae imperitare Superbos.
tunc, quos a niueis exegit Luna metallis, 480
insignis portu, quo non spatiosior alter
innumeras cepisse rates et claudere pontum,
Maeoniaeque decus quondam Vetulonia gentis.

460 fulginia Γ²ς : fulmina ω  461 camers Γ²ς : -ars ωCh sassina ωCh : sax- δ : sars- Γ²ς  464 ora ωCm *Ep. 48* : ore B *edd. a* r1  pulcherque αr2Cm : puerque β : puer atque Γ²ς : puerique *edd. a* r1  habitu ω : -um Cm *edd. recc.*  470 huic Γ²ς : hinc ω  inlusaque FCh : inclusaque Cm *Summers, mire* : inuisaque F²β : inuiseque L  471 pasiphae Br2 : p(h)as(s)iphe ω  472 cortona r2 : corona ω  473 tarc(h)onis ω : -ontis Γ²ς  Grabiscae Ch  474 haleso ωCh : a- *edd. vett. cf. 14, 218 et Verg. Aen. 7, 724*  475 Alsium p : Vsium ω (*corr. ex* Visum F)  fregenae v : fragelle ω : fregellae Γ²Oς  476 sacris ... alis *i. cum alis equitum sacris (cf. 4, 93 et 8, 357) quod propter interpretes moneo qui de fulminis alis poetam loqui putant*  480 quos αΓ²O : quis Gδ

bissenos haec prima dedit praecedere fasces
et iunxit totidem tacito terrore secures. 485
haec altas eboris decorauit honore curules
et princeps Tyrio uestem praetexuit ostro.
haec eadem pugnas accendere protulit aere.
his mixti Nepesina cohors Aequique Falisci,
quique tuos, Flauina, focos, Sabatia quique 490
stagna tenent Ciminique lacum, qui Sutria tecta
haud procul et sacrum Phoebo Soracte frequentant.
spicula bina gerunt. capiti cudone ferino
sat cautum. Lycios damnant hastilibus arcus.
Hae bellare acies norant. at Marsica pubes 495
et bellare manu et chelydris cantare soporem
uipereumque herbis hebetare et carmine dentem.
Aeetae prolem Angitiam mala gramina primam
monstrauisse ferunt tactuque domare uenena
et lunam excussisse polo, stridoribus amnes 500
frenare ac siluis montes nudasse uocatis.
sed populis nomen posuit metuentior hospes,
cum fugeret Phrygias trans aequora Marsya Crenas,
Mygdoniam Phoebi superatus pectine loton.

484 procedere O 489 his mixti Ch : his mixta ω : hos iuxta $\Gamma^2$ς nepisina δ 490 flauina β : flanma F : flamna L 493 capiti αV$O^2$Cm *Ep. 48* : caputi G : capidi ΓO : cupidi ς : caput his $\Gamma^2$r2pv 494 sat αCm : stat β damnant BQr2 : clamant ω 495 hae p : hac ω at αCm : ac β : hac Γς 498 aeetae *Calderinus in* Γ (*in marg. sua manu 'Domitius putat aeetae prolem angitiam; nam angitia filia fuit aeetae. vide Solinum'*) v : ac te ω angitiam FCh : -ciam LGV : agnitiam Γ : angeciam O : anguitiam ς mala αv : demum mala β 501 frenare *Delz 1983, 220* : -antem ω 502 posuit nomen populis F 503 Phrygias ... Crenas *Salmasius ad Solin. p. 834, i. Aulocrenen; v. Solin. 40, 8 ex Plin. nat. 5, 106* : phrygios ... frenos ω : phrygios ... crenos *edd. a* p : Phrygios ... fines *Håkanson* : Phrygius ... poenas *Watt 1985* 504 ph(o)ebi $\Gamma^2$ς : -us ω loton $\Gamma^2$ς : -en ω

Marruuium ueteris celebratum nomine Marri 505
urbibus est illis caput, interiorque per udos
Alba sedet campos pomisque rependit aristas.
cetera in obscuro famae et sine nomine uulgi,
sed numero castella ualent. coniungitur acer
Paelignus gelidoque rapit Sulmone cohortes. 510
Nec cedit studio Sidicinus sanguine miles,
quem genuere Cales. non paruus conditor urbi,
ut fama est, Calais, Boreae quem rapta per auras
Orithyia uago Geticis nutriuit in antris.
haud illo leuior bellis Vestina iuuentus 515
agmina densauit uenatu dura ferarum,
quae, Fiscelle, tuas arces Pinnamque uirentem
pascuaque haud tarde redeuntia tondet Aueiae.
Marrucina simul, Frentanis aemula pubes,
Corfini populos magnumque Teate trahebat. 520
omnibus in pugna offertur sparus, omnibus alto
adsuetae uolucrem caelo demittere fundae.
pectora pellis obit caesi uenatibus ursi.
Iam uero, quos diues opum, quos diues auorum
e toto dabat ad bellum Campania tractu, 525
ductorum aduentum uicinis sedibus Osci
seruabant: Sinuessa tepens fluctuque sonorum

507 rependit α$\Gamma^2$ς : -et β **510** sulmone α$\Gamma^2$ς : -a β **511–514** *post 523 transposuit Summers, insertis ante versibus 5, 551–554 suo loco alienis, recte ut opinor* **511** sidicinus α (sud- F) *Heinsius* : sir- Ch : uicinus β **512** cales β : t- α **515** illo ς *Summers* : u- ω belli *Heinsius, sed* bellis *dativus est, i. ad bella* **518** tondet $\Gamma^2$Oς : co- α : tu- β Aueiae *Cluverius 750* : auellae ω **519** marrucina αr1 : marcu- β : Marrutioque Ch *mire* **520** teate ω (r- O) Ch : th- ς **521** pugna offertur ωCh *iure tuetur Heine Thes. 9, 2, 505, 46* : p. fertur *edd. a* r1 : -am fertur *Heinsius, edd. recc.* **522** dimittere Oς **523** c(a)esi α$\Gamma^2$ς : ceci β **524** iam $F^2$β : tam α **525** e ω *Livineius* : et δς **526** aduentum $\Gamma^2$ς : -u ω osci p (hosci r2) : hosti ω **527** sinuessa $F^2$ *in lac.* L$\Gamma^2$ς : summessa β : summersa O

Vulturnum, quasque euertere silentia, Amyclae
Fundique et regnata Lamo Caieta domusque
Antiphatae, compressa freto, stagnisque palustre 530
Liternum et quondam fatorum conscia Cyme.
illic Nuceria et Gaurus naualibus acta
prole Dicarchea, multo cum milite Graia
illic Parthenope ac Poeno non peruia Nola,
Allifae et Clanio contemptae semper Acerrae. 535
Sarrastes etiam populos totasque uideres
Sarni mitis opes; illic, quos sulphure pingues
Phlegraei legere sinus, Misenus et ardens
ore giganteo sedes Ithacesia Bai.
non Prochyte, non ardentem sortita Typhoea 540
Inarime, non antiqui saxosa Telonis
insula, nec paruis aberat Calatia muris,
Surrentum et pauper sulci cerealis Abella,
in primis Capua, heu rebus seruare serenis
inconsulta modum et prauo peritura tumore. 545
laetos rectoris formabat Scipio bello.
ille uiris pila et ferro circumdare pectus
addiderat. leuiora domo de more parentum
gestabant tela, ambustas sine cuspide cornos;

528 amycle L$\Gamma^2$ (-i-) ς : amyde (-i-) Fβ : nude O **531** Liternum Ch : lint- ω cyme $F^2$r2 : crine ω **532** nuceriam O acta αCh : apta β *locus sanus (mons Gaurus cum Puteolanis e navalibus eductis) frustra varie temptatus* **533** dicarchea αr2 : dic(h)archeia β (dicher- O) **534** part(h)enope α$\Gamma^2$ : -onope β **535** clanio $\Gamma^2$ς : clamo Fδ : damo LGO **538** missenus γ **539** ithacesia bai $\Gamma^2$ς (bei *vel* baei) p : it(h)aces iab(a)ei ω (ichaces O yabaey δ) *cf. 12, 114* **540** ingentem *vel* fumantem *Ruperti propter* ardens *538; ego potius 538 sq.* ardens ore giganteo *addubitem* typh(o)ea α (tifea F) $\Gamma^2$ς : trophea $F^2$β **545** tumore v : ti- ω **546** laetos ωCh : lectos $\Gamma^2$ς **548** adiderat V : abd- Γ **549** gestarant *Drakenborch, Summers*

aclydis usus erat factaeque ad rura bipennis. 550
ipse inter medios uenturae ingentia laudis
signa dabat: uibrare sudem, tramittere saltu
murales fossas, undosum frangere nando
indutus thoraca uadum (spectacula tanta
ante acies uirtutis erant), saepe alite planta 555
ilia perfossum et campi per aperta uolantem
ipse pedes praeuertit equum, saepe arduus idem
castrorum spatium et saxo tramisit et hasta.
Martia frons facilesque comae nec pone retroque
caesaries breuior. flagrabant lumina miti 560
adspectu, gratusque inerat uisentibus horror.
Affuit et Samnis, nondum uergente fauore
ad Poenos, sed nec ueteri purgatus ab ira:
qui Batulum Nucrasque metunt, Bouiania quique
exagitant lustra aut Caudinis faucibus haerent, 565
et quos aut Rufrae, quos aut Aesernia, quosue
obscura incultis Herdonia misit ab agris.
Bruttius, haud dispar animorum, unaque iuuentus
Lucanis excita iugis Hirpinaque pubes
horrebat telis et tergo hirsuta ferarum. 570
hos uenatus alit. lustra incoluere sitimque
auertunt fluuio, somnique labore parantur.

550 bipennis *Schrader, Ruperti* : -es ω 554.555 *parenthesin agnovit Blass* ante acies *i. ante proelia commissa, cf. e.g. Lucan. 6, 297; Stat. Theb. 6, 918; Sil. 3, 507* 559 nec tempore utroque *Bailey propter duo adverbia, sed cf. 10, 191; poeta sequitur Livium, 28, 35, 6* adornabat promissa caesaries 564 batulum Γ²ς *cf. Verg. Aen. 7, 739* : -alum ωCh Nucrasque Ch : m- ω : Bucamque *Ruperti* : *fort. scribendum* Cluuiasque *coll. Liv. 9, 31; Tac. hist. 4, 5, 1; Iuv. 2, 49* metunt αGΓ² : mutant O : *om.* δ (*lac.*) : colunt p bouiania r1 : bomania ω 565 exagitant Ch : fatigant ω : exercent Γ²ς 566 rufre F²Γ²ς : -rie β : -ret L : refert F : Rufae Ch (a)esernia P² *edd. a* p : cesernia *vel* ceserina (cesir- V cesar- O) ω 568 haud FGr2 : aut Lγ

Additur his Calaber Sallentinaeque cohortes
necnon Brundisium, quo desinit Itala tellus.
parebat legio audaci permissa Cethego, 575
qui socias uires atque indiscreta maniplis
arma recensebat: nunc sese ostendere miles
Leucosiae e scopulis, nunc, quem Picentia Paestum
misit et exhaustae mox Poeno Marte Cerillae,
nunc Silarus quos nutrit aquis, quo gurgite tradunt 580
duritiem lapidum mersis inolescere ramis.
ille et pugnacis laudauit tela Salerni,
falcatos enses, et, quae Buxentia pubes
aptabat dextris, irrasae robora clauae.
ipse umerum exsertus gentili more parentum 585
difficili gaudebat equo roburque iuuentae
flexi cornipedis duro exercebat in ore.
Vos etiam, accisae desolataeque uirorum
Eridani gentes, nullo attendente deorum
uotis tunc uestris casura ruistis in arma. 590
certauit Mutinae quassata Placentia bello,
Mantua mittenda certauit pube Cremonae,
Mantua, Musarum domus atque ad sidera cantu
euecta Aonio et Smyrnaeis aemula plectris.
tum Verona Athesi circumflua et undique sollers 595

573 additus F Sallentinaeque Ch : salla- ω 574 brundisium αCh : -usium β 575 parebat α$V^2\Gamma^2$ : -abat β 576.577 qui ... recensebat *Bothe et Blass 1867, 35* (*et sic* F *ante correcturam ut videtur*) : cui ... -ant $F^2$Lβ 578 Leucasiae *Heinsius, sed cf. Ov. met. 15, 708* scopulis p : po- ω Paestum *Delz 1983, 220* (Picentia *i. Picentina, fem. ad sensum*) : p(a)esto αG : peste γ 579 ceril-(l)ae ω (te- $F^2$L) Ch : ca- δς 581 inolescere αG$V^2\Gamma^2$ : mol(l)-γ 583 buxentia Fv : -antia GO : busantia Lδ 584 inrasae β (iurasse O) : in rasae α 585 umerum *Livineius* : -o ω exertus α$\Gamma^2$ς : excitus β more Γς : mole ω 587 flexi αCm *Ep. 48* : -u β 588 accisae r1JCm : acciscie ω : attritae B *edd. a* p 594 aonio $F^2$r2Ch : achiuo *vel* -no ω : andino *Calderinus in* Γ *edd. a* p

arua coronantem nutrire Fauentia pinum,
Vercellae, fuscique ferax Pollentia uilli,
et quondam Teucris comes in Laurentia bella
Ocni prisca domus paruique Bononia Rheni,
quique graui remo limosis segniter undis 600
lenta paludosae proscindunt stagna Rauennae.
tum Troiana manus tellure antiquitus orti
Euganea profugique sacris Antenoris oris.
necnon cum Venetis Aquileia superuenit armis.
tum pernix Ligus et sparsi per saxa Bagenni 605
in decus Hannibalis duros misere nepotes.
maxima tot populis rector fiducia Brutus
ibat et hortando notum accendebat in hostem.
laeta uiro grauitas ac mentis amabile pondus
et sine tristitia uirtus. non ille rigoris 610
ingratas laudes nec nubem frontis amabat
nec famam laeuo quaerebat limite uitae.
Addiderat ter mille uiros, in Marte sagittae
expertos, fidus Sicula regnator ab Aetna.
non totidem Ilua uiros, sed laetos cingere ferrum 615
armarat patrio, quo nutrit bella, metallo.
Ignosset quamuis auido committere pugnam
Varroni, quicumque simul tot tela uideret.
tantis agminibus Rhoeteo litore quondam

599 ocni *Calderinus in* Γ *edd. a* v : ocui β : ocum F : otin L (*de Ocno Felsinae i. Bononiae conditore cf. Serv.Verg. Aen. 10, 198*) **603** profugi *cum* Antenoris *coniungendum ubique perperam pro nominativo accipitur; recte Marsus ad vocem 'a Troia, scilicet unde ad euganeos navigavit' cf. 12, 212–216* **604** superuenit *Watt 1985* : superfuit αΓς : -fluit β **605** tum β : tunc α bagenni F : bageum Lβ : bageni Γ[2]ς : Vagenni Ch *edd. recc., sed v. Thes. 2, 1681, 38 sqq.* **609** ac ω : et Oς **610** rigoris v : u- ω **614** expertos Γ[2]ς : -us ω **615** ilua Γ[2]ς : illa ω l(a)etos αGCh : lettos O : *om.* V (*lac.*) Γ : lectos Γ[2]ς cingere Γς : g- VO : gignere αGCh **616** metello GV **617** ignosset α *Heinsius* : -scet β

feruere, cum magnae Troiam inuasere Mycenae, 620
mille rates uidit Leandrius Hellespontus.
Vt uentum ad Cannas, urbis uestigia priscae,
defigunt diro signa infelicia uallo.
nec tanta miseris iamiam impendente ruina
cessarunt superi uicinas prodere clades. 625
per sudum attonitis pila exarsere maniplis,
et celsae toto ceciderunt aggere pinnae,
nutantique ruens prostrauit uertice siluas
Garganus, fundoque imo mugiuit anhelans
Aufidus, et magno late distantia ponto 630
terruerunt pauidos accensa Ceraunia nautas.
quaesiuit Calaber subducta luce repente
immersus tenebris et terram et litora Sipus,
obseditque frequens castrorum limina bubo.
nec densae trepidis apium se inuoluere nubes 635
cessarunt aquilis. non unus crine corusco,
regnorum euersor, rubuit letale cometes.
castra quoque et uallum rabidae sub nocte silenti
irrupere ferae raptique ante ora pauentum
adiunctos uigilis sparserunt membra per agros. 640
ludificante etiam terroris imagine somnos
Gallorum uisi bustis erumpere manes,
terque quaterque solo penitus tremuere reuulsae

**624** iamiam *Livineius* : iamque ω *tuetur Housman ad Manil. 1, 269 Add., contra J.B. Hofmann Thes. 7, 1, 110, 25* **626** sudum α *Schrader* : subitum $F^2$β **627** conciderent F (*corr. in* -unt) **633** immersus *Lefebvre, alii, cf. Thes. 7, 1, 455, 75 et Sil. 12, 659 sq.* : immensis ω Sipus *masc. ut Strabo 6, 3, 9* (*fem. Lucan. 5, 377*) **634** lumina α **635** apium *Lipsius ad Tac. ann. 12, 64, 1* : absum ωCh : absunt $\Gamma^2$ς : auium *Livineius* **636** cessarunt ω *Livineius* : -tque *edd. a* v **638** rabidae αr1 : rap- β **639** irrupuere γ (*corr. in* Γ) **642** uisi $\Gamma^2$ς : n- ω busti $\Gamma^2$ erumpere ωCm *Ep. 48* : -up- Γς : rupere *edd. a* r1 manes αpCm : nitores β

Tarpeiae rupes, atque atro sanguine flumen
manauit Iouis in templis, lacrimaeque uetusta 645
effigie patris large fluxere Quirini,
maior et horrificis sese extulit Allia ripis.
non Alpes sedere loco, non nocte dieue
ingentes inter stetit Apenninus hiatus.
axe super medio, Libyes a parte, coruscae 650
in Latium uenere faces, ruptusque fragore
horrisono polus, et uultus patuere Tonantis.
Aetnaeos quoque contorquens e cautibus ignes
Vesuius intonuit, scopulisque in nubila iactis
Phlegraeus tetigit trepidantia sidera uertex. 655
Ecce inter medios belli praesagus, et ore
attonito sensuque simul, clamoribus implet
miles castra feris et anhelat clade futura:
'parcite, crudeles superi! iam stragis aceruis
deficiunt campi. uideo per densa uolantem 660
agmina ductorem Libyae currusque citatos
arma uirum super atque artus et signa trahentem.
turbinibus furit insanis et proelia uentus
inque oculos inque ora rotat. cadit immemor aeui
nequiquam, Thrasymenne, tuis Seruilius oris 665
subductus. quo, Varro, fugis? pro Iuppiter! ictu
procumbit saxi fessis spes ultima Paulus.
cesserit huic Trebia exitio. pons ecce cadentum
corporibus struitur, reicitque cadauera fumans

**644** flumen p : ful- ω *def. Heinsius, vix recte* **650** libyes α (-ies F) $\Gamma^2$ς : libres β a parte ς : aperte ω **651** latum GO **653** cautibus α$\Gamma^2$ς : can- β : faucibus v *Heinsius* **654** Vesuius *Heinsius* (Vesb-) : lerb- ω : lesb- $\Gamma^2$Ch : lemn- BQZ *edd. a* r1 **662** artus $\Sigma^2$p : arcis ω : arces $\Gamma^2$ς : artes Ch **668** pons $F^2$r2 : ponis α : penis β (penus O) : rogus $\Gamma^2$ς **669** reicitque Ch : recitatque Cm *Ep. 86 unde Modius coniecisse se dicit* reicitque *sive errore sive fraudulenter* : tacitoque F (ta *expunctum* rei *s.l. a m. 1*) β : tacita L : tacitusque $\Gamma^2$ς : ructatque *Gronovius, Bauer* fumans ωCm : fundit *edd. a* v

Aufidus, ac uictrix insultat belua campis. 670
gestat Agenoreus nostro de more secures
consulis et sparsos lictor fert sanguine fasces.
in Libyam Ausonii portatur pompa triumphi.
o dolor! hoc etiam, superi, uidisse iubetis?
congesto, laeuae quodcumque auellitur, auro 675
metitur Latias uictrix Carthago ruinas.'

**671** agenoreus L r1 : -as F : -is β **672** sparsos r1 : -o ω

SILI ITALICI

PVNICORVM

# LIBER NONVS

Turbato monstris Latio cladisque futurae
signa per Ausoniam prodentibus irrita diuis,
haud secus ac si fausta forent et prospera pugnae
omina uenturae, consul traducere noctem
exsomnis telumque manu uibrare per umbras 5
ac modo segnitiae Paulum increpitare, modo acres
exercere tubas nocturnaque classica uelle.
nec minor in Poeno properi certaminis ardor.
erumpunt uallo fortuna urgente sinistra
consertaeque manus. nam sparsi ad pabula campis 10
uicinis raptanda Macae fudere uolucrem
telorum nubem. ante omnes inuadere bella
Mancinus gaudens hostilique unguere primus
tela cruore cadit, cadit et numerosa iuuentus.
nec pecudum fibras Varro et contraria Paulo 15
auspicia incusante deum compesceret arma,
ni sors alterni iuris, quo castra reguntur,
arbitrium pugnae properanti in fata negasset.
quae tamen haud ualuit perituris milibus una
plus donasse die. rediere in castra, gemente 20
haud dubie Paulo, qui crastina iura uideret
amenti cessura uiro frustraque suorum

3 forent $\alpha V^2\Gamma^2$ : -et β et αΓ : ac β 4 omnia Oςr2 *edd. a* v 5 ex(s)omnis LΓO : ex somnis FGV : e s. *edd. a* r1 6 segnitiae *non* -ie *scribendum esse docet Leumann 285* 10 iam OBQ *Dausqueius, alii* 15 contraria $\alpha G^2V^2\Gamma$ : contria β

seruatas a caede animas. nam turbidus ira
infensusque morae dilata ob proelia ductor
'sicine, sic' inquit 'grates pretiumque rependis, 25
Paule, tui capitis? meruerunt talia, qui te
legibus atque urnae dira eripuere minanti?
tradant immo hosti reuocatos ilicet enses,
tradant arma iube aut pugnantum deripe dextris.
sed uos, quorum oculos atque ora umentia uidi, 30
uertere cum consul terga et remeare iuberet,
ne morem et pugnae signum exspectate petendae.
dux sibi quisque uiam rapito, cum spargere primis
incipiet radiis Gargana cacumina Phoebus.
pandam egomet propere portas. ruite ocius atque hunc 35
ereptum reuocate diem.' sic turbidus aegra
pestifero pugnae castra incendebat amore.
At Paulus, iam non idem nec mente nec ore,
sed qualis stratis deleto milite campis
post pugnam stetit, ante oculos atque ora futuro 40
obuersante malo, ceu iam spe lucis adempta
cum stupet exanimata parens natique tepentes
nequiquam fouet extremis amplexibus artus,
'per totiens' inquit 'concussae moenia Romae
perque has, nox Stygia quas iam circumuolat umbra, 45
insontes animas, cladi parce obuius ire.
dum transit diuum furor et consumitur ira
Fortunae, nouus Hannibalis, sat, nomina ferre
si discit miles nec frigidus adspicit hostem.

25 sic Ch : nunc ω *fort. recte* 29 diripe ς *edd. vett.* dextris *Heinsius* : -as ω 30 (h)umentia αGr2 : uiuencia O : liuentia V : luētia Γ 32 ne morem v : me morem αGΓ : memorem VO expectare Γ (*corr.*) O 33 rapito Cm *Ep. 86* : s- ω : c- Γς primis ωCm : -us B *edd. a* r1 35 pandam αΓς : -gam β propere ωCh : prope r1 mpv : primus *edd. a* j 38 at FGδ : ac L : ut O 39 deleto Fβ : delecto L : dilecto Γς 46 parce $F^2$L$Γ^2$ς : -te Fβ : pte Γ 49 si $Γ^2$r1 : sic ω

nonne uides, cum uicinis auditur in aruis, 50
quam subitus linquat pallentia corpora sanguis,
quamque fluant arma ante tubas? cunctator et aeger,
ut rere, in pugnas Fabius quotcumque sub illis
culpatis duxit signis, nunc arma capessunt.
at quos Flaminius – sed dira auertite, diui! 55
sin nostris animus monitis precibusque repugnat,
aures pande deo. cecinit Cymaea per orbem
haec olim uates et te praesaga tuosque
uulgauit terris proauorum aetate furores.
iamque alter tibi, nec perplexo carmine, coram 60
fata cano uates: sistis ni crastina signa,
firmabis nostro Phoebeae dicta Sibyllae
sanguine. nec Graio posthac Diomede ferentur,
sed te, si perstas, insignes consule campi.'
haec Paulus, lacrimaeque oculis ardentibus ortae. 65
Necnon et noctem sceleratus polluit error.
Xanthippo captus Libycis tolerarat in oris
seruitium Satricus, mox inter praemia regi
Autololum dono datus ob uirtutis honorem.
huic domus et gemini fuerant Sulmone relicti 70
matris in uberibus nati, Mancinus et una
nomine Rhoeteo Solymus. nam Dardana origo
et Phrygio genus a proauo, qui sceptra secutus
Aeneae claram muris fundauerat urbem

50 aruis r1 : armis ω (*sed* arma *52*) 53 quotcumque *Postgate 1902 coll. 6, 621; 7, 399. 730* : quos- ω 55 at FCh : aut F²Lβ : haud Γς diui F (*corr. ex* duue) LV² (*in lac.*) Γ²r1 : fata duj G (duj *del.*) : fata diui O : dira Γ : fata ΞBJ 56 animus αGΓ² : aninnis O : animis δ 57 cymea L : Cumaea Ch : crinea Fβ : grynea Γ²ς 59 (a)etate αΓς : er- β 61 ni Γ²Br2 : in ω 63 posthac F²Lr1 : post haec Fβ 64 praestas O 66 palluit O 67 xant(h)ippo αVς : z- β 69 autololum αΓ² : ant(h)- β (-loum G) 70 huic Γς : hinc ω 72 rh(o)eteo Γς : th- ω solymus LG² : solrinus β : solimus FΓςCh *cf. Ov. fast. 4, 79*

ex sese dictam Solymon. celebrata colonis 75
mox Italis paulatim attrito nomine Sulmo.
at tum barbaricis Satricus cum rege cateruis
aduectus, quo non spretum, si posceret usus,
noscere Gaetulis Latias interprete uoces,
postquam posse datum Paeligna reuisere tecta 80
et patrium sperare larem, ad conamina noctem
aduocat ac furtim castris euadit iniquis.
sed fuga nuda uiri. sumpto nam prodere coepta
uitabat clipeo et dextra remeabat inermi.
exuuias igitur prostrataque corpora campo 85
lustrat et exutis Mancini cingitur armis.
iamque metus leuior. uerum, cui dempta ferebat
exsangui spolia et cuius nudauerat artus,
natus erat, paulo ante Mace prostratus ab hoste.
Ecce sub aduentum noctis primumque soporem 90
alter natorum, Solymus, uestigia uallo
Ausonio uigil extulerat, dum sorte uicissim
alternat portae excubias, fratrisque petebat
Mancini stratum sparsa inter funera corpus,
furtiua cupiens miserum componere terra. 95
nec longum celerarat iter, cum tendere in armis
aggere Sidonio uenientem conspicit hostem,
quodque dabat fors in subitis necopina, sepulcro
Aetoli condit membra occultata Thoantis.
inde, ubi nulla sequi propius pone arma uirumque 100

75 solymon r1 : -i- ω 77 at ω : ac r2v cum O barbaricae ... cateruae *Summers, sed abl. qui dicitur militaris fort. ferri potest* 78 aduectus αδ : aductus G : adductus G²O 80 reuisere αG² Γ²O : -scere β 86 exutis Γς : -us ω 89 *om.* F *add. m.2 marg.* mace ω : Macae Ch : Maca p *edd. recc.* (*nom. sg.* Maces *5, 194; 9, 222, acc.* Macen *2, 60, nom. pl.* Macae *3, 275; 9, 11; 15, 670*) 91 solymus α : -i- β 96 celerarat Γ²ς : celebr- ω 98 necopina *Cellarius* : nec opina ω 99 contendit ... occulta O 100 propius αΓ : -prius β

incomitata uidet uestigia ferre per umbras,
prosiliens tumulo contorquet nuda parentis
in terga haud frustra iaculum, Tyriamque sequentum
Satricus esse manum et Sidonia uulnera credens
auctorem caeci trepidus circumspicit ictus. 105
uerum ubi uictorem iuuenili robore cursus
attulit et notis fulsit lux tristis ab armis
fraternusque procul luna prodente retexit
ante oculos sese et radiauit comminus umbo,
exclamat iuuenis subita flammatus ab ira: 110
'non sim equidem Sulmone satus tua, Satrice, proles
nec frater, Mancine, tuus fatearque nepotem
Pergameo indignum Solymo, si euadere detur
huic nostras impune manus. tu nobile gestes
germani spolium ante oculos referasque superba 115
me spirante domus Paelignae perfidus arma?
haec tibi, cara parens Acca, ad solacia luctus
dona feram, nati ut figas aeterna sepulcro.'
Talia uociferans stricto mucrone ruebat.
ast illi iam tela manu iamque arma fluebant 120
audita patria natisque et coniuge et armis,
ac membra et sensus gelidus stupefecerat horror.
tum uox semanimi miseranda effunditur ore:
'parce, precor, dextrae, non ut mihi uita supersit
(quippe nefas hac uelle frui), sed sanguine nostro 125
ne damnes, o nate, manus. Carthaginis ille
captiuus, patrias nunc primum aduectus in oras,

103 Tyriumque *i. Tyriorum Damsté, fort. recte* sequentem Γς **104** satricus αΓ : -os GO : -is V **111** sim αCm *Ep. 86* : sum β *commendat L. Müller 339, sed v. J. Soubiran, L'Élision dans la poésie Latine, Paris 1966, 412 sq. qui adducit Prop. 2, 13, 8 et Ov. trist. 5, 8, 2* **113** solymo L : -i- FG$\Gamma^2$ : solino V : sulimo O **114** huic nostras i. manus Cm : hinc -a i. -u α : hinc uestra i. -u β : hinc nostra te i. -u $\Gamma^2$ς **117** haec αr1 : nec β Acca Cm : acta ω : apta $\Gamma^2$ς **123** cum O semanimi Ch : semi- ω **125** hac αr2b1 : hoc β **127** patria F auectus F : adductus Γ

ille ego sum Satricus, Solymi genus. haud tua, nate,
fraus ulla est. iaceres in me cum feruidus hastam,
Poenus eram. uerum castris elapsus acerbis 130
ad uos et carae properabam coniugis ora.
hunc rapui exanimi clipeum. sed iam unice nobis
haec fratris tumulis arma excusata reporta.
curarum tibi prima tamen sit, nate, referre
ductori monitus Paulo: producere bellum 135
nitatur Poenoque neget certamina Martis.
augurio exsultat diuum immensamque propinqua
stragem acie sperat. quaeso, cohibete furentem
Varronem; namque hunc fama est impellere signa.
sat magnum hoc miserae fuerit mihi cardine uitae 140
solamen, cauisse meis. nunc ultima, nate,
inuento simul atque amisso redde parenti
oscula.' sic fatus galeam exuit atque rigentis
inuadit nati tremebundis colla lacertis,
attonitoque timens uerbis sanare pudorem 145
uulneris impressi ⟨et⟩ telum excusare laborat:
'quis testis nostris, quis conscius affuit actis?
non nox errorem nigranti condidit umbra?
cur trepidas? da, nate, magis, da iungere pectus.
absoluo pater ipse manum, atque in fine laborum 150
hac condas oculos dextra, precor.' at miser imo
pectore suspirans iuuenis non uerba uicesque
alloquio uocemue refert, sed sanguinis atri
sistere festinat cursum laceroque ligare
ocius illacrimans altum uelamine uulnus. 155
tandem inter gemitus miserae erupere querelae:

128 solymi $F^2$L : -i- Fβ 129 cum *om.* GV 130 uerum ut castris *Scaliger* 132 unice $F^2$GV$\Gamma^2$O : nunce F : īmite L : uice Γ 138 cohibete ωCh : pro- *edd. a* r1 140 sat αΓ : sed G : stat VO 144 tremebundus GΓς 145 attonitoque timens ω : attoniti et nitens *edd. a* j : *locum varie temptatum explicavit Blomgren* 146 et *add. Lefebvre, Schrader* 156 erumpere δ (*corr. in* Γ)

'sicine te nobis, genitor, Fortuna reducit
in patriam? sic te nato natumque parenti
impia restituit? felix o terque quaterque
frater, cui fatis genitorem agnoscere ademptum. 160
ast ego, Sidoniis imperditus, ecce, parentem
uulnere cognosco. saltem hoc, Fortuna, fuisset
solamen culpae, dubia ut mihi signa dedisses
infausti generis. uerum linquetur iniquis
non ultra superis nostros celare labores.' 165
Haec dum amens queritur, iam deficiente cruore
in uacuas senior uitam disperserat auras.
tum iuuenis maestum attollens ad sidera uultum
'pollutae dextrae et facti Titania testis
infandi, quae nocturno mea lumine tela 170
derigis in patrium corpus, non amplius' inquit
'his oculis et damnato uiolabere uisu.'
haec memorat, simul ense fodit praecordia et atrum
sustentans uulnus mananti sanguine signat
in clipeo mandata patris FUGE PROELIA VARRO, 175
ac summi tegimen suspendit cuspide teli
defletumque super prosternit membra parentem.
Talia uenturae mittebant omina pugnae
Ausoniis superi, sensimque abeuntibus umbris
conscia nox sceleris roseo cedebat Eoo. 180
ductor in arma suos Libys et Romanus in arma
excibant de more suos, Poenisque redibat,
qualis nulla dies omni surrexerit aeuo.
'non uerborum' inquit 'stimulantum' Poenus 'egetis,

**161** imperditus αGVCm *Ep. 86* : -citus ΓQ *edd. a* p : impeditus O **165** nostros celare Cm : n. tolerare ω : non hos t. b1b2 : nostros scelerare *Summers, sed cf. 147 et 163* **166** deficiente puella F (al cruore *m.1 marg.*) **171** derigis α : di- β *cf. 2, 92* **173** fodit αΓ : fu- β **176** ac αGb1 : at γ tegimen α *Drakenborch* : tegmen β **178** omina LG²Γ : omnia Fβ **179** sensimque Γ²ς : -umque ω **182** excibat Γ² *edd. vett.* **184** non αr2Ch : nec β

Herculeis iter a metis ad Iapygis agros 185
uincendo emensi. nusquam est animosa Saguntos,
concessere Alpes, pater ipse superbus aquarum
Ausonidum Eridanus captiuo defluit alueo.
strage uirum mersus Trebia est, atque ora sepulcro
Lydia Flaminio premitur, lateque refulgent 190
ossibus ac nullo sulcantur uomere campi.
clarior his titulis plusque allatura cruoris
lux oritur. mihi magna satis, sat uero superque
bellandi merces sit gloria; cetera uobis
uincantur. quicquid diti deuexit Hibero, 195
quicquid in Aetnaeis iactauit Roma triumphis,
quin etiam Libyco si quid de litore raptum
condidit, in uestros ueniet sine sortibus enses.
ferte domos, quod dextra dabit. nil ductor honoris
ex opibus posco. raptor per saecula longa 200
Dardanus edomitum uobis spoliauerit orbem.
qui Tyria ducis Sarranum ab origine nomen,
seu Laurens tibi Sigeo sulcata colono
arridet tellus, seu sunt Byzacia cordi
rura magis centum Cereri fruticantia culmis, 205
electos optare dabo inter praemia campos.
addam etiam, flaua Thybris quas irrigat unda,

**185** iter αΓς : inter β  a metis α$G^2$Γ : ametis β  Iapygas *Heinsius, sed cf. Ov. met. 15, 52* Iapygis arua  **188** ausonidum $\Gamma^2$ς : -ium ω  **189** sepulcro βCh : -lto αΓς  **192** titulis ω : -us Cm *Ep. 50 edd. recc.* plusque ωCm : plus *edd. a* r1  **193** uera B *edd. a* l : clara *L. Müller 416, sed* uerŏ *etiam Val. Fl. 5, 321; Stat. Theb. 2, 187* : magna *Watt 1984 coll. 10, 222 sq.*  **194** sit Γς : sic ω  **195** diti $\Gamma^2$ς : dici ω  **198** ueniet αO : -ent β  sortibus $\Gamma^2$Oς : f. ω  **199** ferte α$\Gamma^2$ς : fo- β  uictor *edd. a* r1  **201** uobis αG : n- γ  **202** sarranum $\Gamma^2$ς : se- ω  **204** sunt αr1 : sint β  Byzacia Ch (*sic iam Dausqueius et Cluverius*) : bizancia FO : -tia Lβ : buxentia *edd. a* v  **206** praemia αr2Cm *Ep. 50* : proelia β

captiuis late gregibus depascere ripas.
qui uero externo socius mihi sanguine Byrsae
signa moues, dextram Ausonia si caede cruentam 210
attolles, hinc iam ciuis Carthaginis esto.
neu uos Garganus Daunique fefellerit ora,
ad muros statis Romae. licet auia longe
urbs agat et nostro procul a certamine distet,
hic hodie ruet, atque ultra te ad proelia, miles, 215
nulla uoco; ex acie tende in Capitolia cursum.'
Haec memorat. tum propulso munimine ualli
fossarum rapuere moras, aciemque locorum
consilio curuis accommodat ordine ripis.
barbaricus laeuo stetit ad certamina cornu 220
bellator Nasamon unaque immanior artus
Marmarides, tum Maurus atrox Garamasque Macesque
et Massylae acies et ferro uiuere laetum
uulgus Adyrmachidae, pariter gens accola Nili
corpora ab immodico seruans nigrantia Phoebo. 225
quis positum agminibus caput imperiumque Nealces.
at parte in dextra, sinuat qua flexibus undam
Aufidus et curuo circum errat gurgite ripas,
Mago regit. subiere leues, quos horrida misit
Pyrene, populi uarioque auxere tumultu 230
flumineum latus. effulget caetrata iuuentus,

208 *sic* ωCm : gurgitibus late captiuis pascere ripas Γ²H *edd. a* r1 (gurgitibus *pro* gregibus ς) 209 externo Cm : extremo ω sanguine ωCm : cardine Γ²ς 210 mouens Ch 211 attollens δ (*corr. in utroque*) hinc iam Γ² *edd. a* r1 : i. h. ω 212 heu Γ (*corr.*) O 213.214 *cf. Lucan. 5, 375* auius Hydrus *et Amm. 27, 5, 6* longius agentes Greuthungos ... aggressus est 215 hic Fr1 pmCm : haec F²Lβ *edd. a* v ruit L 216 tendo F² 221 uasamon GV 224 *post* pariter *perperam dist. edd. recc., v. Blomgren qui confert versum 9, 293* 226 caput *om.* F 228 aufidus αΓ : auadus β 230 auxere F²LGΓ : anx- O : aus- FV : (et uario) cinx- *Heinsius* : claus- *Summers, sed v. Håkanson* (flumineum latus *i. latus exercitus ad flumen positum*)

Cantaber ante alios nec tectus tempora Vasco
ac torto miscens Baliaris proelia plumbo
Baetigenaeque uiri. celsus media ipse coercet
agmina, quae patrio firmauit milite quaeque 235
Celtarum Eridano perfusis saepe cateruis.
sed qua se fluuius retro labentibus undis
eripit et nullo cuneos munimine uallat,
turritas moles ac propugnacula dorso
belua nigranti gestans ceu mobilis agger 240
nutat et erectos attollit ad aethera muros.
cetera iam Numidis circumuolitare uagosque
ferre datur cursus et toto feruere campo.
  Dum Libys incenso dispensat milite uires
hortandoque iterum atque iterum insatiabilis urget 245
factis quemque suis et se cognoscere iactat,
qua dextra ueniant stridentis sibila teli,
promittitque uiris nulli se defore testem,
iam Varro exacta uallo legione mouebat
cladum principia, ac pallenti laetus in unda 250
laxabat sedem uenturis portitor umbris.
stant primi, quos sanguineae pendente uetabant
ire notae clipeo, defixique omine torpent.
iuxta terribilis facies: miseranda iacebant
corpora in amplexu, natusque in pectore patris 255
imposita uulnus dextra letale tegebat.
effusae lacrimae, Mancinique inde reuersus

**232** uasco αGΓ$^{2}$ : -to γ **233** Baliaris *edd. recc.* : -e- ω **239** turritas Γ$^{2}$ς : -ae ω *def. Heinsius* **240** molibus v2 *errore typogr., inde omnes praeter* l *usque ad Modium* (*v. ad* 242), *quem in* C molibus *legisse cave credas* (*falsi sunt Blass Textesquellen 208 et Summers*) **241** erectos αΓ : -us β **242** uagosque Cm *Ep. 50* : girosque ω : citosque *edd. a* j **243** datur ωCm : -m Γς **244** incenso FBrl : int- Lβ **250** ac αVOCh : et G : at Γς **254** iacebat Ch **255** amplexum Γς pectora *Livineius, sed in pectore patris, sc. iacens, vulnus quod erat in tergo* (*cf.* 103) *tegebat*

fraterna sub morte dolor, tum triste mouebat
augurium et similes defuncto in corpore uultus.
ocius erroris culpam deflendaque facta 260
ductori pandunt atque arma uetantia pugnam.
ille ardens animi 'ferte haec' ait 'omina Paulo.
namque illum, cui femineo stant corde timores,
mouerit ista manus, quae caede imbuta nefanda,
cum Furiae expeterent poenas, fortasse paterno 265
signauit moriens sceleratum sanguine carmen.'
Tum minitans propere describit munera pugnae,
quaque feras saeuus gentes aciemque Nealces
temperat, hac sese Marso cum milite cumque
Samnitum opponit signis et Iapyge alumno. 270
at campi medio (namque hac in parte uidebat
stare ducem Libyae) Seruilius obuia adire
arma et Picentes Vmbrosque inferre iubetur.
cetera Paulus habet dextro certamina cornu.
his super insidias contra Nomadumque uolucrem 275
Scipiadae datur ire manum, quaque arte dolisque
scindent se turmae, praedicit spargere bellum.
Iamque propinquabant acies, agilique uirorum
discursu mixtoque simul calefacta per ora
cornipedum hinnitu et multum crepitantibus armis 280
errabat caecum turbata per agmina murmur.
sic, ubi prima mouent pelago certamina uenti,
inclusam rabiem ac sparsuras astra procellas

260 fata *edd. a* r1 262 omina $G\Gamma^2\varsigma$ : omnia αγ *edd. recc.* 266 moriens $\Gamma^2\varsigma$ : -dens ω 267 discribit *Summers, sed v. Thes. 5, 1, 663, 1* 268 Afras laeuus *Heinsius* 269 hac $F^2G\Gamma$ : ac αVO 273 umbrosque αΓ : -asque β 276 quaque *edd. a* p : quaeque ωCh *edd. recc.* 277 *de indicativo* scindent *cf. 10, 525 et Lindblom 65sq.* 280 hinnitu $F^2G\Gamma^2O$ : hynn- V : inn- LG : inuictu F : hinnitum PCh (?) crepitantibus FGδς : trepid- LO *edd. a* r1 : strepit- *Modius Ep. 50 et inde edd.*

parturit unda freti fundoque emota minaces
exspirat per saxa sonos atque acta cauernis 285
torquet anhelantem spumanti uertice pontum.
  Nec uero fati tam saeuo in turbine solum
terrarum fuit ille labor. discordia demens
intrauit caelo superosque ad bella coegit.
hinc Mauors, hinc Gradiuum comitatus Apollo 290
et domitor tumidi pugnat maris, hinc Venus amens,
hinc Vesta et captae stimulatus caede Sagunti
Amphitryoniades, pariter ueneranda Cybele
Indigetesque dei Faunusque satorque Quirinus
alternusque animae mutato Castore Pollux. 295
contra cincta latus ferro Saturnia Iuno
et Pallas, Libycis Tritonidos edita lymphis,
ac patrius flexis per tempora cornibus Hammon
multaque praeterea diuorum turba minorum.
quorum ubi mole simul uenientum et gressibus alma 300
intremuit tellus, pars impleuere propinquos
diuisi montes, pars sedem nube sub alta
ceperunt: uacuo descensum ad proelia caelo.
  Tollitur immensus deserta ad sidera clamor,
Phlegraeis quantas effudit ad aethera uoces 305
terrigena in campis exercitus, aut sator aeui
quanta Cyclopas noua fulmina uoce poposcit
Iuppiter, exstructis uidit cum montibus ire
magnanimos raptum caelestia regna gigantas.
nec uero prima in tantis concursibus hasta 310

284 minacum Ch   287 in *om. edd. a* r1   289 intrauit αr2v : lucta- β   caelo ωCh : -os r2 *edd. a* v *v. ad 6, 498*   293 Cybebe *Heinsius, v. ad 8, 363*   294 indigetesque $\alpha V^2 \Gamma^2$O : -getosque GΓ : -gentesque V   295 alternusque αr1 : -riusque β   297 tritonidos ω (trid- V titr- O) Ch : -es *edd. a* v   298 at δς   303 descensum $\Gamma^2$r1 : di- ω (discessum G) Ch   304 immensos α   305 effundit r1 *edd. a* v   306 terrigenum campis *Damsté*   309 gigantas αr2 *Heinsius* : -es β

ulla fuit. stridens nimbus certante furore
telorum simul effusus, cupidaeque cruoris
hinc atque hinc animae gemina cecidere procella.
ac prius insanus dextra quam ducitur ensis,
bellantum pars magna iacet. super ipsa suorum 315
corpora consistunt auidi calcantque gementes.
nec magis aut Libyco protrudi Dardana nisu
auertiue potest pubes, aut ordine pelli
fixa suo Sarrana manus, quam uellere sede
si coeptet Calpen impacto gurgite pontus. 320
amisere ictus spatium, nec morte peracta
artatis cecidisse licet. galea horrida flictu
aduersae ardescit galeae, clipeusque fatiscit
impulsu clipei, atque ensis contunditur ense.
pes pede uirque uiro teritur, tellusque uideri 325
sanguine operta nequit, caelumque et sidera pendens
abstulit ingestis nox densa sub aethere telis.
quis adstare loco dederat Fortuna secundo,
contorum longo et procerae cuspidis ictu,
ceu primas agitent acies, certamina miscent. 330
at quos deinde tenet retrorsum inglorius ordo,
missilibus certant pugnas aequare priorum.
ultra clamor agit bellum, milesque cupiti
Martis inops saeuis impellit uocibus hostem.
non ullum defit teli genus. hi sude pugnas, 335
hi pinu flagrante cient, hi pondere pili,

**311** nimbis ς *edd. vett.* **312** effusis ςr1mp cupidaeque αr2v : rap- β : rab- Γ$^2$r1m **314** ac prius ... quam *Gronovius* : acrius ... qua ω **317** nisu FΓ : u- Lβ **318** auertiue αδ : -ne GO potest F$^2$β (pōt δ) : post α pelli Γ$^2$r1 : belli ω **319** sede αGΓ$^2$ : -em γ **320** coeptet ωCh : temptat Γ$^2$ : temptet (tentet) PQ *edd. a* r1 **322** flictu F$^2$LGΓ$^2$V : -um Γ : fluctu FO **323** fatiscit G$^2$Γς : -es- ω **334** s(a)euis αΓς : seuit β **335** non ullum αG$^2$r2 *D. Heinsius* Ch : nec u. β : u. nec g hi sude G$^2$ΓV$^2$ς : insude ω

at saxis fundaque alius iaculoque uolucri.
interdum stridens per nubila fertur harundo,
interdumque ipsis metuenda phalarica muris.
Speramusne, deae, quarum mihi sacra coluntur, 340
mortali totum hunc aperire in saecula uoce
posse diem? tantumne datis confidere linguae,
ut Cannas uno ore sonem? si gloria uobis
nostra placet neque uos magnis auertitis ausis,
huc omnes cantus Phoebumque uocate parentem. 345
uerum utinam posthac animo, Romane, secunda,
quanto tunc aduersa, feras! sitque hactenus, oro,
nec libeat temptare deis, an Troia proles
par bellum tolerare queat. tuque anxia fati
pone, precor, lacrimas et adora uulnera laudes 350
perpetuas paritura tibi. nam tempore, Roma,
nullo maior eris. mox sic labere secundis,
ut sola cladum tuearis nomina fama.
Iamque inter uarias Fortuna utrimque uirorum
alternata uices incerto eluserat iras 355
euentu, mediaque diu pendente per ambas
spe gentes paribus Mauors flagrabat in armis,
mitia ceu uirides agitant cum flamina culmos,
necdum maturas impellit uentus aristas,
huc atque huc it summa seges nutansque uicissim 360
alterno lente motu incuruata nitescit.
tandem barbaricis perfractam uiribus acri
dissipat incurrens aciem clamore Nealces.
laxati cunei, perque interualla citatus

337 at β (ad O) : ac α 338.339 *sic* ωCh 339 *post 342* Γ, *sed signo ante 338 transponitur, unde inverso ordine* r1 *edd. a* m que *om. edd. a* j 340 speramusne F²β : -ue α 342 tantumne F²GO : -ue αδ 344 nos Or1 347 sicque L : satque *Blass 1867, 23, Bauer, sed cf. Thes. 6, 2751, 7* 362 acris *edd. a* r1 : acer *edd. a* j 364 lassati Lδ

irrupit trepidis hostis. tum turbine nigro 365
sanguinis exundat torrens, nullumque sub una
cuspide procumbit corpus. dum uulnera tergo
bellator timet Ausonius, per pectora saeuas
exceptat mortes et leto dedecus arcet.
Stabat cum primis mediae certamine pugnae 370
aspera semper amans et par cuicumque periclo
Scaeuola, nec tanta uitam iam strage uolebat,
sed dignum proauo letum et sub nomine mortem.
is postquam frangi res atque augescere uidit
exitium, 'breuis hoc uitae, quodcumque relictum, 375
extendamus;' ait 'nam uirtus futile nomen,
ni decori sat sint pariendo tempora leti.'
dixit et in medios, qua dextera concita Poeni
limitem agit, uasto conixus turbine fertur.
hic exsultantem Caralim atque erepta uolentem 380
induere excelso caesi gestamina trunco
ense subit, capuloque tenus ferrum impulit ira.
uoluitur ille ruens atque arua hostilia morsu
appetit et mortis premit in tellure dolores.
nec Gabaris Sicchaeque uirum tenuere furentem 385
concordi uirtute manus; sed perdidit acer,
dum stat, decisam Gabar inter proelia dextram;
at Siccha auxilium magno turbante dolore
dum temere accelerat, calcato improuidus ense
succidit ac nudae sero uestigia plantae 390

365 trepidus Ch : -os *Heinsius* nigri Ch 366 una Br1mp *Livineius* : ima ω 370 certamine ωCh : -a Γ *edd. a* r1 377 decori sat sint *Heinsius* : decoris adsint ωCh tempora αΓ : -e β *conatus et interpolationes priorum enumerare longum est* (*v. Ruperti*) 378 dextera r1 : -tra ω 380 calarim Γς : clarim O 383 arua αCm *Ep. 50* : arma β 385 gabaris BH *Scaliger* (*ut Bostar, -aris, v. Thes. 2, 2145, 72*) : -i ω furentem *scripsi coll. v. 393* : -es ω 390 ac ωCh : et δ sero ωCh : ferro δ

damnauit dextraque iacet morientis amici.
tandem conuertit fatalia tela Nealcae
fulminei gliscens iuuenis furor. exsilit ardens
nomine tam claro stimulante ad praemia caedis.
tum silicem scopulo auulsum, quem montibus altis 395
detulerat torrens, raptum contorquet in ora
turbidus. incusso crepuerunt pondere malae,
ablatusque uiro uultus. concreta cruento
per nares cerebro sanies fluit, atraque manant
orbibus elisis et trunca lumina fronte. 400
Sternitur unanimo Marius succurrere Capro
conatus metuensque uiro superesse cadenti.
lucis idem auspicium ac patrium et commune duobus
paupertas; sacro iuuenes Praeneste creati
miscuerant studia et iuncta tellure serebant. 405
uelle ac nolle ambobus idem sociataque toto
mens aeuo ac paruis diues concordia rebus.
occubuere simul, uotisque ex omnibus unum
id Fortuna dedit, iunctam inter proelia mortem.
arma fuere decus uictori bina Symaetho. 410
Sed longum tanto laetari munere casus
haud licitum Poenis. aderat terrore minaci
Scipio conuersae miseratus terga cohortis
et cuncti fons Varro mali flauusque comarum
Curio et a primo descendens consule Brutus. 415
atque his fulta uiris acies repararet ademptum
mole noua campum, subito ni turbine Poenus
agmina frenasset iam procurrentia ductor.

**391** que *om.* δ (*ins. m. 2* Γ) *male intellegunt interpretes 'a dextra parte amici'; sensus est 'et sic amicus moriens eum occidit'* **394** praemia F *marg. m. 1* Lβ : proelia Fδ **396** depulerat *edd. nonnulli Heinsium secuti, qui falso id codici* P *vindicavit* **401** capro r1 : caspro ω **404** penestre δ (*corr. in* Γ) **408** uotisque αVΓ² : n- Gδ **411** laetari Γ²ς : letali ω **416** repararat *Heinsius* **417** ni F²LV²Γ² : in Fβ

isque ut Varronem procul inter proelia uidit
et iuxta sagulo circumuolitare rubenti 420
lictorem, 'nosco pompam atque insignia nosco.
Flaminius modo talis' ait. tum feruidus acrem
ingentis clipei tonitru praenuntiat iram.
heu miser! aequari potuisti funere Paulo,
si tibi non ira superum tunc esset ademptum 425
Hannibalis cecidisse manu. quam saepe querere,
Varro, deis, quod Sidonium defugeris ensem!
nam rapido subitam portans in morte salutem
procursu incepta in sese discrimina uertit
Scipio. nec Poenum, quamquam est ereptus opimae 430
caedis honor, mutasse piget maiore sub hoste
proelia et erepti Ticina ad flumina patris
exigere oblato tandem certamine poenas.
stabant educti diuersis orbis in oris,
quantos non alias uidit concurrere tellus, 435
Marte uiri dextraque pares, sed cetera ductor
anteibat Latius, melior pietate fideque.
   Desiluere caua turbati ad proelia nube
Mauors Scipiadae metuens, Tritonia Poeno,
aduentuque deum intrepidis ductoribus ambae 440
contremuere acies. ater, qua pectora flectit
Pallas, Gorgoneo late micat ignis ab ore

**420** circumuolitare G$\Gamma^2$O : circum uolutare $\alpha$V$\Gamma$ **429** procursu $\alpha\varsigma$ : pro cursu $\beta$ inceptă in sese *Bauer 1893, 48* : i. sese in $\omega$ (*anastrophen agnoscit Housman ad Manil. 1, 245 Add., sed cf. Thes. 7, 1, 805, 35*) : i. sese $\delta$ : i. ad sese $\Gamma^2$r1 : coepta sese in b1 : c. in sese *Livineius* : suscepta ad se *Blass 1867, 24* : certa in sese *Summers* : excepta in sese *Bailey, recte ut puto, cf. 16, 650sq. (loquitur idem Scipio)* **433** poenas $\Gamma^2\varsigma$ : -us $\omega$ **434** ab $\Gamma^2$ *edd. a* r1 **435** quanto *edd. a* r1 alias $\omega$ *cf. 8, 352* : -os Ch *Bauer* : -o *Heinsius* **436** Marte *cum* pares *iungendum esse vidit van Veen* **438** desiluere $\omega$ *Livineius* : diss- $\delta\varsigma$ **441** ater qua $\omega$ (acer qua V) : aterque L **442** orbe *Heinsius, sed cf. Prop. 3, 22, 8; Ov. met. 4, 656*

sibilaque horrificis torquet serpentibus aegis.
fulgent sanguinei, geminum uibrare cometen
ut credas, oculi, summaque in casside largus 445
undantes uoluit flammas ad sidera uertex.
at Mauors moto proturbans aera telo
et clipeo campum inuoluens Aetnaea Cyclopum
munere fundentem loricam incendia gestat
ac pulsat fulua consurgens aethera crista. 450
  Ductores pugnae intenti, quantumque uicissim
auderent, propius mensi, tamen arma ferentes
sensere aduenisse deos et laetus uterque
spectari superis addebant mentibus iras.
iamque ictu ualido libratam a pectore Poeni 455
Pallas in obliquum dextra detorserat hastam,
et Gradiuus opem diuae portare ferocis
exemplo doctus porgebat protinus ensem
Aetnaeum in pugnas iuueni ac maiora iubebat.
tum Virgo ignescens penitus uiolenta repente 460
suffudit flammis ora atque obliqua retorquens
lumina turbato superauit Gorgona uultu.
erexere omnes immania membra chelydri
aegide commota, primique furoris ad ictus
rettulit ipse pedem sensim a certamine Mauors. 465
hic dea conuulsam rapido conamine partem
uicini montis scopulisque horrentia saxa
in Martem furibunda iacit, longeque relatos
expauit sonitus tremefacto litore Sason.
  At non haec superum fallebant proelia regem. 470
demittit propere succinctam nubibus Irim,

**445** e Cd (?) **447** proturbans αCh : per- β celo δ **448** (a)et(h)n(a)ea FV$\Gamma^2$ : ernea LGδ **449** munera *Heinsius* incendia αV$^2\Gamma^2$ : -ced- β **452** auderent Bl *Livineius* : -re ω : -re est $\Gamma^2$r1 : -ret *edd. a* j **459** uidebat δ (*corr. in* Γ) **460** ignescens α$\Gamma^2$ : -os- β **467** haerentia $\Gamma^2$ *edd. vett.* **469** sason αγCh : sanson G$\Gamma^2$ς : sasson B *edd. a* v **471** iram δ (*corr. in* Γ)

quae nimios frenet motus, ac talia fatur:
'i, dea, et Oenotris uelox allabere terris
germanoque truces, dic, Pallas mitiget iras
nec speret fixas Parcarum uertere leges. 475
dic etiam: ni desistis (nam uirus et aestus
flammiferae noui mentis) nec colligis iram,
aegide praecellant quantum horrida fulmina nosces.'
Quae postquam accepit dubitans Tritonia uirgo
nec sat certa diu, patriis an cederet armis, 480
'absistemus' ait 'campo. sed Pallade pulsa
num fata auertet caeloque arcebit ab alto
cernere Gargani feruentia caedibus arua?'
haec effata caua Poenum in certamina nube
sublatum diuersa tulit terrasque reliquit. 485
At Gradiuus atrox remeantis in aethera diuae
abscessu reuocat mentes fusosque per aequor
ipse manu magna nebulam circumdatus acri
restituit pugnae. conuertunt signa nouamque
instaurant Itali uersa formidine caedem, 490
cum uentis positus custos, cui flamina carcer
imperio compressa tenet caelumque ruentes
Eurique et Boreae parent Corique Notique,
Iunonis precibus promissa haud parua ferentis

473 oenotris Q : aen- $\Gamma^2$r2 : (a)enotriis ω elabere δ (*corr. in* Γ) **474** germanoque Ch : -eque ω : -ique $Y^2$ **476** in dextris (*pro* ni desistis) F (*corr. m.2 marg.*) **477** corrigis *Bentley* : corripis *Blass, sed cf. Val. Fl. 7, 335 et Langen ad l.* **478** aegida *corrector in exemplari ed. Rom. quo utebatur Drakenborch, Bauer* : -i *Bentley* praecellant α$\Gamma^2$ : prot- β (proc- δ) **483** sternere *Blass, sed* caelo ... ab alto *cum* cernere *iungendum esse videtur* **487** fusosque ΞΣCh : -orque ω : -oque $F^2$ : -usque $G^2$ : -amque $\Gamma^2$ *edd. a* l *v. ad 489* **488** nebulam Ch : -a ω acri $F^2$Lβ : atra F$\Gamma^2$ς **489** pugnae FCh : -am $F^2$β **491** tum *edd. vett.* cui $\Gamma^2$ς : qui ω **493** furique α (*corr. in* F) **494** furentis δ (*corr. in* Γ)

regnantem Aetolis Vulturnum in proelia campis 495
effrenat. placet hic irae exitiabilis ultor.
qui se postquam Aetnae mersit candente barathro
concepitque ignes et flammea protulit ora,
euolat horrendo stridore ac Daunia regna
perflat agens caecam glomerato puluere nubem. 500
eripuere oculos aurae uocemque manusque;
uertice harenoso candentes, flebile dictu,
torquet in ora globos Italum et bellare maniplis
iussa laetatur rabie. tum mole ruinae
sternuntur tellure et miles et arma tubaeque, 505
atque omnis retro flatu occursante refertur
lancea et in tergum Rutulis cadit irritus ictus.
atque idem flatus Poenorum tela secundant,
et uelut ammento contorta hastilia turbo
adiuuat ac Tyrias impellit stridulus hastas. 510
tum denso fauces praeclusus puluere miles
ignauam mortem compresso maeret hiatu.
ipse caput flauum caligine conditus atra
Vulturnus multaque comam perfusus harena
nunc uersos agit a tergo stridentibus alis, 515
nunc mediam in frontem ueniens clamante procella
obuius arma quatit patuloque insibilat ore,

495 aetolis $\Sigma^2$ *Cluverius* : (a)eoliis $F^2\Gamma^2\varsigma$ : (a)eolus ω 497 aetnae $\Gamma^2$ : (h)et(h)n(a)e ω cadente δ (*corr. in* Γ) 502 candentes (-is) $\alpha\Gamma^2$ : cad- β 503 in ora γ : niora F : mora LG 504 l(a)etatur LCh : lateatur F : laceratur $F^2\beta$ : lacerantur $\Gamma^2\varsigma$ *edd. vett.* (bacchatur pl lacessuntur g) 505 tellure et $\Gamma^2\varsigma$ : tellure ω iubaeque *Livineius vix minus ineptum quam* tubaeque; *fort. conitiendum* tellure ⟨equitesque⟩ et miles et arma [tubaeque], *cf. Liv. 23, 15, 13* Cannensi proelio ...ruina superincidentium uirorum equorum armorumque ... oppressus; *clausulam* arma tubasque *habet Statius, Theb. 7, 11 et 10, 233* 507 in tergum *Barth* : interdum ω 508 secundant ωCh : -at ς 509 hostilia δ (*corr. in* Γ) 512 m(a)eret $LF^2\Gamma^2\varsigma$ : mercet F : marcet β 517 ori *Heinsius*

interdum intentos pugnae et iamiamque ferentes
hostili iugulo ferrum conamine et ictu
auertit dextramque ipso de uulnere uellit. 520
nec satis Ausonias passim foedare cohortes:
in Martem uomit immixtas mugitibus auras
bisque dei summas uibrauit turbine cristas.
Quae dum Romuleis exercet proelia turmis
Aeolius furor et Martem succendit in iras, 525
affatur Virgo socia Iunone parentem:
'quantos Gradiuus fluctus in Punica castra,
respice, agit quantisque furens se caedibus implet!
nunc, quaeso, terris descendere non placet Irim?
quamquam ego non Teucros (nostro cum pignore regnet 530
Roma et Palladio sedes hac urbe locarim)
non Teucros delere aderam, sed lumen alumnae
Hannibalem Libyae pelli florentibus annis
uita atque exstingui primordia tanta negabam.'
Excipit hinc Iuno longique laboris ab ira 535
'immo,' ait 'ut noscant gentes, immania quantum
regna Iouis ualeant cunctisque potentia quantum
antistet, coniunx, superis tua, disice telo
flagranti (nil oramus) Carthaginis arces
Sidoniamque aciem uasto telluris hiatu 540
Tartareis immerge uadis aut obrue ponto.'
Contra quae miti respondet Iuppiter ore:
'certatis fatis et spes extenditis aegras.
ille, o nata, libens cui tela inimica ferebas,

518 prementes *Heinsius, Håkanson* 519 et ictu αr2v : dictu β : ducto $\Gamma^2$Qr1 522 iras Ch (*iam D. Heinsius, sed* iras *habes 525*) 523 uibrauit αr2v : l- β 531 hac L$\Gamma^2$ς : ac Fβ 533 liby(a)e *vel* libi(a)e α$V^2\Gamma^2$ : libre β 535 hinc *scripsi coll. Val. Fl. 5, 672* excipit hinc *et Sil. 6, 430* : haec ω : hic $\Gamma^2$O longisque GV 538 discute *edd. a* r1 539 obstamus *Heinsius* 541 immergere γ (*corr. in* VΓ)

contundet iuuenis Tyrios ac nomina gentis 545
induet et Libycam feret in Capitolia laurum.
at cui tu, coniunx, cui das animosque decusque,
(fata cano) auertet populis Laurentibus arma.
nec longe cladis metae. uenit hora diesque,
qua nullas umquam transisse optauerit Alpes.' 550
sic ait atque Irim propere demittit Olympo,
quae reuocet Martem iubeatque abscedere pugna.
nec uetitis luctatus abit Gradiuus in altas
cum fremitu nubes, quamquam lituique tubaeque
uulneraque et sanguis et clamor et arma iuuarent. 555
  Vt patuit liber superum certamine tandem
laxatusque deo campus, ruit aequore ab imo
Poenus, quo sensim caelestia fugerat arma,
magna uoce trahens equitemque uirosque feraeque
turrigerae molem tormentorumque labores. 560
atque ubi turbantem leuiores ense cateruas
agnouit iuuenem scintillauitque cruentis
ira genis, 'quaenam Furiae quisue egit in hostem,
en, Minuci, deus, ut rursus te credere nobis
auderes?' inquit. 'genitor tibi natus ab armis 565
ille meis ubi nunc Fabius? semel, improbe, nostras
sit satis euasisse manus.' atque inde superbis
hasta comes dictis murali turbine pectus
transforat et uoces uenturas occupat ictu.
  Nec ferro saeuire sat est. appellitur atra 570
mole fera, et monstris componitur Itala pubes.

545 iuuenis Tyrios *Bothe* : T. i. ω *def. L. Müller 407, contra Courtney, A Commentary on the Satires of Juvenal 53* 548 auertet j : uertet $F^2$β : uertit α 551 dimittit GO 553 uentis F (*corr. m.2*) 554 litiūque δ (*corr. in* Γ) 564 minuci Br2 : -ti *Calderinus in* Γv : munci F : minici L : numici G : inimici γ ut αVr2v : et Gδ *ut Odus in* Γ *versum corrupit* en inimice deis rursum ut te credere nobis, *sic fere legitur in codd. dett. et edd. priscis*

nam praeuectus equo moderantem cuspide Lucas
Maurum in bella boues stimulis maioribus ire
ac raptare iubet Libycarum armenta ferarum.
immane stridens agitur crebroque coacta 575
uulnere bellatrix properos fert belua gressus.
liuenti dorso turris flammaque uirisque
et iaculis armata sedet. procul aspera grando
saxorum super arma ruit, passimque uolanti
celsus telorum fundit Libys aggere nimbum. 580
stat niueis longum stipata per agmina uallum
dentibus, atque ebori praefixa comminus hasta
fulget ab incuruo derecta cacumine cuspis.
hic inter trepidos rerum per membra, per arma
exigit Vfentis sceleratum belua dentem 585
clamantemque ferens calcata per agmina portat.
nec leuius Tadio letum: qua tegmine thorax
multiplicis lini claudit latus, improba sensim
corpore non laeso penetrarunt spicula dentis
et sublime uirum clipeo resonante tulerunt. 590
haud excussa noui uirtus terrore pericli.
utitur ad laudem casu geminumque citato
uicinus fronti lumen transuerberat ense.
exstimulata graui sese fera tollit ad auras
uulnere et erectis excussam cruribus alte 595
pone iacit uoluens reflexo pondere turrim.
arma uirique simul spoliataque belua uisu
sternuntur subita, miserandum, mixta ruina.

572 praeuectus αGV$\Gamma^2$Ch : pro- δς 573 uti (*pro* ire) *Damsté, fort. recte* 575 immani *Livineius* : -is *Blass, sed v. L. Müller 390 et cf. 10, 205* 579 *om.* F (*suppl. m.2 marg.*) 582 utque *Thilo, Bauer vol. 2 p. IX, sed v. Summers 1900, 305 et Meurig Davies Class. Quart. 1951, 154* 583 derecta α (de recta L) GVCh : dei- δς 585 exiit Ch 586 furens *Heinsius* 587 tadio αCh : r- β letum ω : l(a)euum $\Gamma^2$ *edd. a* r1 *cum* latus *coniungentes* qua β : que α 596 pone αr2ml : pene β

Spargi flagrantes contra bellantia monstra
Dardanius taedas ductor iubet et facis atrae, 600
quos fera circumfert, compleri sulphure muros.
nec iusso mora. collectis fumantia lucent
terga elephantorum flammis, pastusque sonoro
ignis edax uento per propugnacula fertur.
non aliter, Pindo Rhodopeue incendia pastor 605
cum iacit et siluis spatiatur feruida pestis,
frondosi ignescunt scopuli subitoque per alta
collucet iuga dissultans Vulcanius ardor.
it fera candenti torrente bitumine corpus
amens et laxo diducit limite turmas. 610
nec cuiquam uirtus propiora capessere bella:
longinquis audent iaculis et harundinis ictu.
uritur impatiens et magni corporis aestu
huc atque huc iactas accendit belua flammas,
donec uicini tandem se fluminis undis 615
praecipitem dedit et tenui decepta liquore
stagnantis per plana uadi tulit incita longis
exstantem ripis flammam. tum denique sese
gurgitis immersit molem capiente profundo.
At qua pugna datur necdum Maurusia pestis 620
igne calet, circumfusi Rhoeteia pubes
nunc iaculis, nunc et saxis, nunc alite plumbo
eminus incessunt, ut qui castella per altos

599 spargi ωCh : -gere *edd. a* v 600 ductor (*vel* rector) *Barth, cf. 7, 585; 15, 242* : ui- ω acre δ (*corr. in* Γ) 602 coniectis *Calderinus in* Γ, *Heinsius, sed cf. 17, 92* 603 pastusque Cm *Ep. 1* : par- ω : rap- $\Gamma^2$ς *edd. vett. Summers, cuius argumentum* (*'sed pascitur seu nutritur ignis ea re quam consumit'*) *quodammodo infirmatur versu 14, 307; cf. etiam Ov. rem. 808* 609 cadenti δ (*corr. in* Γ) 610 diducit FGV$\Gamma^2$ : de- Lδ 614 *om. edd. vett. excepta* r2, *reduxit Modius Ep. 1* 619 gurgite summersit *van Veen, sed* immersit *cum ablativo* profundo *coniungendum; cf. Verg. Aen. 6, 174* 621 rh(o)eteia α$G^2\Gamma^2$ : rhoetria β 623 ut $\Gamma^2$ς : ne ω

oppugnat munita locos atque adsidet arces.
ausus digna uiro, fortuna digna secunda, 625
extulerat dextram atque aduersum comminus ensem
Mincius infelix ausi, sed stridula anhelum
feruorem effundens monstri manus abstulit acri
implicitum nexu diroque ligamine torsit
et superas alte miserum iaculata per auras 630
telluri elisis afflixit, flebile, membris.
Has inter clades uiso Varrone sub armis
increpitans Paulus 'quin imus comminus' inquit
'ductori Tyrio, quem uinctum colla catenis
staturum ante tuos currus promisimus urbi? 635
heu patria, heu plebes scelerata et praua fauoris!
haud umquam expedies tam dura sorte malorum,
quem tibi non nasci fuerit per uota petendum,
Varronem Hannibalemne, magis.' dum talia Paulus,
urget praecipites Libys atque in terga ruentum 640
ante oculos cunctas ductoris concitat hastas.
pulsatur galea et quatiuntur consulis arma.
acrius hoc Paulus medios ruit asper in hostes.
Tum uero excussus mentem, in certamina Paulo
auia diducto, conuertit Varro manuque 645
cornipedem inflectens 'das,' inquit 'patria, poenas,
quae Fabio incolumi Varronem ad bella uocasti.
quaenam autem mentis uel quae discordia fati?
Parcarumque latens fraus est? abrumpere cuncta

**624** assidet (ads-) ω (abs- F) Cm *Ep. 1* : obs- P *edd. a* p **626** dextram atque $\Gamma^2$ς : dextramque ω : -aque Ch **627** mincius ωCm : mnicius r1v : mitius r2 : mutius p *edd. a* l ausi *post* ausus *625 suspectum; fort. scribendum* infelix, saeui **631** *sic* Cm *Ep. 1, sed ex coniectura Modii ut videtur* : tellure elisit ac flexit ω (flixit L$\Gamma^2$) : -e elisis afflixit *Livineius* **636** plebs δς scelerata et $\Gamma^2$ς : scelerataque ω **639** -ne F *ut coni. Bentley* : -ue Lβ (*cf. H.–Sz. 545*) **640** praecipitans *edd. a* r1 : -ti Ch **641** atque oculos Ch cunctas α$\Gamma^2$ς : -a β **645** diducto αGVCh : de- δς

iamdudum cum luce libet. sed comprimit ensem 650
nescio qui deus et meme ad grauiora reseruat.
uiuamne et fractos sparsosque cruore meorum
hos referam populo fasces atque ora per urbes
iratas spectanda dabo et, quo saeuius ipse
Hannibal haud poscat, fugiam et te, Roma, uidebo?' 655
plura indignantem telis propioribus hostes
egere et sonipes rapuit laxatus habenas.

651 qui ωCh : quis Γ[2] *edd. a* r1 deus. at quae me *Summers, vix recte, cf. 10, 56* sese ad meliora reseruat, *sed* meme *nusquam invenitur pace Housman Manil. 1 p. LXII (Thes. 5, 2, 256, 81 sqq.)* : *fort. coniciendum* et nos (*cf. 7, 305 sq.; 10, 286*) : et mala me *Watt 1985* 657 rapuit F[2]β : -iat α

# SILI ITALICI
# PVNICORVM
## LIBER DECIMVS

Paulus, ut aduersam uidet increbrescere pugnam,
ceu fera, quae telis circumcingentibus ultro
adsilit in ferrum et per uulnera colligit hostem,
in medios fert arma globos seseque periclis
ingerit atque omni letum molitur ab ense. 5
increpat horrendum: 'perstate et fortiter, oro,
pectoribus ferrum accipite ac sine uulnere terga
ad manes deferte, uiri. nisi gloria mortis
nil superest. idem sedes adeuntibus imas
hic uobis dux Paulus erit.' uelocius inde 10
Haemonio Borea pennataque ocior ibat
quae redit in pugnas fugientis harundine Parthi,
atque ubi certamen primi ciet immemor aeui
plenus Gradiuo mentem Cato, fertur in hostes
ac iuuenem, quem Vasco leuis, quem spicula densus 15
Cantaber urgebat, letalibus eripit armis.
abscessere retro pauidique in terga relatos
abduxere gradus, ut, laetus ualle remota
cum capream uenator agit fessamque propinquo
insequitur cursu et sperat iam tangere dextra, 20

1 increbrescere αΓr1 : -bes- β 7 uulnere αΓς : -a β 11 pennataque ocior *Bailey coll. 2, 95* : pennaque citatior ω 14 plenus *Heinsius* : p(o)enus ωCh : p(a)etus *Calderinus in* Γ *edd. vett.* gradiuus mente ς *edd. vett.* cito *Odus in* Γς *edd. vett.* 15 uasco $F^2 Γ^2$ς : -to ω densis Ch : -sans *Livineius* : -sens *Heinsius, recte ut puto, cf. e.g. Verg. Aen. 11, 650*

si ferus aduerso subitum se protulit antro
et stetit ante oculos frendens leo, deserit una
et color et sanguis et tela minora periclo,
nec iam speratae cura est in pectore praedae.
nunc in restantes mucronem comminus urget, 25
nunc trepidos ac terga mala formidine uersos
adsequitur telis. furere ac decorare labores
et saeuire iuuat. cadit ingens nominis expers
uni turba uiro, atque alter si detur in armis
Paulus Dardaniis, amittant nomina Cannae. 30
Tandem inclinato cornu sine more ruebat
prima acies non parca fugae. Labienus et Ocres
sternuntur leto atque Opiter, quos Setia colle
uitifero, celsis Labienum Cingula saxa
miserunt muris. iunxit fera tempora leti 35
Sidonius non consimili discrimine miles;
nam Labienus obit penetrante per ilia corno,
fratres hic umero cecidere, hic poplite caesis.
oppetis et Tyrio super inguina fixe ueruto
Maecenas, cui Maeonia uenerabile terra 40
et sceptris olim celebratum nomen Etruscis.
per medios agitur proiecto lucis amore
Hannibalem lustrans Paulus. sors una uidetur
aspera, si occumbat ductore superstite Poeno.
Quam metuens molem (neque enim certamine sumpto 45
tempestas tanta et rabies impune fuisset)
in faciem pauidi Iuno conuersa Metelli
'quid uanos,' inquit 'Latio spes unica consul,
incassumque moues fato renuente furores?

32 ocres $\Sigma^2$ *Marsus, v. Schulze 201 n. 7* : a- ω : Ocris j 33 Opiter, hos *Hilff 34 sq., satis probabiliter* 37 corno Ch : -uon F : -non L : -nu β 38 caesis ωCh : -i *edd. a* r1 : -o *edd. a* j 40 m(a)ecenas $\Gamma^2$ςCh : mac- ω : mecoenas (-cae-) p *edd. a* j moenia F 43 mors *D. Heinsius* 47 iuno α$\Gamma^2$r1 : uitio β 49 (incassum)que moues αCh : remoues β : renouas $\Gamma^2$ *edd. vett.*

si superest Paulus, restant Aeneia regna; 50
sin secus, Ausoniam tecum trahis. ire tumentem
tu contra iuuenem et caput hoc abscidere rebus
turbatis, o Paule, paras? nunc Hannibal ipsi
(tam laetus bello est) ausit certare Tonanti.
et iam conuersis (uidi nam flectere) habenis 55
euasit Varro ac sese ad meliora reseruat.
sit spatium fatis, et dum datur, eripe leto
hanc nostris maiorem animam; mox bella capesses.'
Ad quae suspirans ductor: 'mortemne sub armis
cur poscam, causa ista parum est, quod talia nostrae 60
pertulerunt aures suadentem monstra Metellum?
i, demens, i, carpe fugam. non hostica tela
excipias tergo, superos precor. integer, oro,
intactusque abeas atque intres moenia Romae
cum Varrone simul. talin', pauidissime, dignum 65
me uita pulchraque indignum morte putasti?
quippe sinit Poenus, qui nunc contraria bella
ipsi ferre Ioui ualeat. pro degener altae
uirtutis patrum! quando certamen inire
cuiue uiro mallem memet componere, quam qui 70
et uictus dabit et uictor per saecula nomen?'
Talibus increpitat mediosque aufertur in hostes
ac retro cursum tendentem ad crebra suorum
agmina et in densis furantem membra maniplis
per conferta uirum et stipata umbonibus arma 75
consequitur melior planta atque obtruncat Acherram,

51 si $\delta\varsigma$ 52 abscidere $\alpha$Ch : -scind- $\beta$ 55 iam $\alpha$r2v : tam $\beta$ 58 huc Ch 60 poscam $\Gamma^2\varsigma$ : pas- $\beta$ : par- $\alpha$ 61 pertulerunt $\alpha$GVCh : -int $\delta\varsigma$ 64 abeas $\alpha V^2\Gamma^2$ : -t $\beta$ intres $\alpha V^2\Gamma^2$ : -t $\beta$ 67 sinit $\omega$ (sunt O *quod Heinsius Coloniensi tribuit, perperam ut videtur*) : furit *in marg. exemplaris Vat. Inc. II 427 ed. Venetae 1483, unde, ut puto, Heinsius (cf. ad 587); idem coni. Dausqueius* 70 uiro $\omega$ : -um Ch 74 et *om.* $\alpha$ 76 acherram $\alpha$ : acerram $\beta$ : acheram Ch (*sed v. 3, 299*)

ut canis occultos agitat cum Belgicus apros
erroresque ferae sollers per deuia mersa
nare legit tacitoque premens uestigia rostro
lustrat inaccessos uenantum indagine saltus 80
nec sistit, nisi conceptum sectatus odorem
deprendit spissis arcana cubilia dumis.
At coniunx Iouis, ut Paulum depellere dictis
nequiquam fuit et consul non desinit irae,
in faciem Mauri rursus mutata Gelestae 85
auocat ignarum saeuo a certamine Poenum:
'huc tela, huc' inquit 'dextram implorantibus affer,
o decus aeternum Carthaginis. horrida iuxta
stagnantes consul molitur proelia ripas,
et laus haud alio maior datur hoste perempto.' 90
haec ait et iuuenem diuersa ad proelia raptat.
Flumineo Libycam turbabat in aggere pubem –
Cristae nomen erat. bis terni iuncta ferebant
arma senem circa nati; pauperque penatum
(sed domus haud obscura Tuder, notusque per Vmbros 95
bellator populos) factis et caede docebat
natorum armigeram pugnas tractare cohortem.
unanima inde phalanx crudo ducente magistro
postquam hominum satiata nece est, prostrauerat ictu
innumero cum turre feram facibusque secutis 100
ardentem monstri spectabat laeta ruinam,
cum subitus galeae fulgor conoque coruscae
maiore intremuere iubae. nec tarda senectus;
agnouit nam luce uirum: rapit agmine natos
saeua parens ultro in certamina et addere passim 105

77 bellicus r2 *quod Drakenborch Coloniensi tribuit* 83 dictis $\alpha G^2 \Gamma^2$ : ditis β 84 irae *Modius Ep. 1* : ire ω 86 *sic* αCm : aduocat ignauum saeua ad certamina β 99 satiata $\alpha G^2 V^2 \Gamma$ : soc- β nece est *Livineius et Dausqueius* : necem ω 100 secutus OCh (?) : -a *edd. a* r1 104 agmina b1 *Livineius, Bauer, sed cf. Thes. 1, 1346, 77 sqq.*

tela iubet nec manantes ex ore feroci
aut quae flagrarent galea exhorrescere flammas.
armiger haud aliter magni Iouis, anxia nido
cum dignos nutrit gestanda ad fulmina fetus,
obuersam spectans ora ad Phaethontia prolem 110
explorat dubios Phoebea lampade natos.
iamque suis daret ut pugnae documenta †uocantis†
⟨. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .⟩
et medias hasta uelox praeteruolat auras.
haesit multiplici non alte cuspis in auro
ac senium inualido dependens prodidit ictu. 115
cui Poenus: 'quinam ad cassos furor impulit ictus
exsanguem senio dextram? uix prima momordit
tegmina Callaici cornus tremebunda metalli.
en, reddo tua tela tibi. memorabilis ista
a nobis melius discet bellare iuuentus.' 120
sic propria miseri transfigit pectora corno.
At contra, horrendum, bis terna spicula dextra
torta uolant, paribusque ruunt conatibus hastae,
haud secus ac Libyca fetam tellure leaenam
uenator premit obsesso cum Maurus in antro, 125
inuadunt rabidi iam dudum et inania temptant
nondum sat firmo catuli certamina dente.
consumit clipeo tela et collectus in arma

109 flumina FPQr1r2 110 phaetontia Γ²ς : phe- ω 112 *post hunc versum spatium unius versus relictum in* r1 m p uocantis ω : uocatis Γς : uacantis Ch pugnae ... uocantis *noli defendere versu Verg. Aen. 12, 125* 113 en – medias *Lefebvre et Ruperti* 115 ac senium Ch : ac semem F : ac seniem L : ac senem β : atque senem V²Γ²ς dependens BΓ² v : depr- ω 117 senio dextram Ch : d. s. ω 119 hastae F *omissis versibus 120–123, sed* ista *s.l. m. 1 et omissa in ima pagina suppleta* 121 corno Ch : -u ω 124 libyca Σr2v *Livineius* : -am ωCm *Ep. 1* fetam r2v *Livineius* : fera α : s(c)eua β 125 *om. edd. vett. praeter* r2 (*v. Praef. p. XLIX*), *restituit* Cm 126 rabidi ωCm : -p- ς inmaniạ δ (*corr. in* Γ)

sustinet urgentes crepitantibus ictibus hastas
Sidonius ductor, nec iam per uulnera credit 130
aut per tot caedes actum satis, iraque anhelat,
ni leto det cuncta uirum iungatque parenti
corpora et excidat miseros cum stirpe penates.
  Tunc Abarim affatur (namque una hic armiger ira
flammabat Martem atque omnes comes ibat in actus): 135
'suppedita mihi tela. uadis liuentis Auerni
demitti globus ille cupit, qui nostra lacessat
tegmina. iam stultae fructus pietatis habebit.'
haec fatus iaculo Lucam, qui maximus aeui,
transadigit. pressa iuuenis cum cuspide labens 140
arma super fratrum resupino concidit ore.
mortiferum inde manu properantem uellere ferrum
pilo Volsonem (namque hoc de strage iacentum
fors dabat) affixa sternit per tegmina nare.
tum Vesulum calido lapsantem in sanguine fratrum 145
ense metit rapido plenamque (heu barbara uirtus!)
abscisi galeam capitis ceu missile telum
conuersis in terga iacit. Telesinus ad ossa
illiso saxo, qua spina interstruit artus,
occumbit, fratrisque uidet labentia membra 150
Quercentis, quem funda procul per inane uoluta
sopierat, dum supremam Telesinus in auras
exhalat lucem et dubitantia lumina condit.
at fessus maerore simul cursuque metuque
et tamen haud irae uacuus non certa per aequor 155
interdum insistens Perusinus membra ferebat.

129 urgentes *Heinsius* : ing- ω : *an* ingestas ? **134** abarim LV$\Gamma^2$ : -um F : abarmi Gδ **136** mihi α$\Gamma^2$ς : trahi β **137** lacessat ω : -it *edd. a* b1 **140** habenis (*pro* labens) L **141** concidit α$\Gamma^2$ς : cond- β **144** affixo (*sc. pilo*) s. p. t. nari *Thilo 1891, 623, sed cf. Ov. met. 12, 387. 571* **145** laxantem δ (*corr. in* Γ) **151** quercentis α$V^2\Gamma^2$r2jCm *Ep. 1* : -tentis V : -tontis Gδ : qu(a)erentis PΞXv **153** lucem *i. vitam, cf. 293; 13, 473; 15, 66*

hunc sude, quam raptam Libyci per terga iacentis
armiger obtulerat monstri, super inguina fixum
obtruncat quercuque premit uiolentus obusta.
temptarat precibus saeuum lenire furorem, 160
sed Stygius primos impleuit feruor hiatus,
et pulmone tenus demisit anhelitus ignem.
tandem cum toto cecidit grege, nomen in Vmbro
clarum Crista diu populo, ceu fulmine celsa
aesculus aut proauis ab origine cognita quercus 165
cum fumat percussa Ioui sacrosque per aeuum
aetherio ramos populantur sulphure flammae,
donec uicta deo late procumbit et omnem
collabens operit spatioso stipite prolem.
Atque ea dum iuxta Tyrius stagna Aufida ductor 170
molitur, Paulus numerosa caede futuram
ultus iam mortem ceu uictor bella gerebat
inter mille uiros. iacet ingens Phorcys ab antris
Herculeae Calpes, caelatus Gorgone parmam,
unde genus †tristisque deae† manabat origo. 175
hunc obiectantem sese atque antiqua tumentem
nomina saxificae monstrosa e stirpe Medusae,
dum laeuum petit incumbens uiolentius inguen,
detrahit excelsi correptum uertice coni

157 rapta δ (*corr. in* Γ) libyci raptam *edd. a* r1 per terga *i. de tergo* 158 agmina δ (-e O) ς fixam *sc. super inguina monstri Summers 1900, 306 et sublata interpunctione Håkanson, vix recte; non enim in os fervore repletum adegit sudem, sed in ventrem Perusini* (*cf.* 39) 162 demisit αr2Ch : dempsit β : depressit Γ²ς. 163 tandem p : tantum ω 165 consita *Heinsius, cf.* 532 169 operit αΓ²r1 : a- β 173 Phorcys *Livineius* : portus αG : porcus γ : pro (antris) O : phorcus Γ²ς : porcis Ch 175 tristisque deae ω (deae *om.* O) : -ique d. Ch : -isque dea *Barth, fort. recte, cf.* 501 *sq.* : -ique dea *Summers* : *post 174 versum excidisse putat Thilo 1891, 623* : *exspectes* tristisque uiro, *nam certe de origine Phorcyos, non Gorgonis, loquitur poeta* 177 a δ *post 177 versum excidisse puto* 178 inguen LF²Γ² : ignem Fβ

afflictumque premens, tergo qua balteus imo 180
sinuatur coxaque sedet munimen utraque,
coniecto fodit ense super. uomit ille calentem
sanguinis effundens per hiantia uiscera riuum
et subit Aetolos Atlanticus accola campos.
Has inter strages rapido terrore coorti 185
inuadunt terga atque auerso turbine miscent
bella inopina uiri, Tyrius quos fallere doctos
hanc ipsam pugnae rector formarat ad artem,
succinctique dolis, fugerent ceu Punica castra,
dediderant dextras. tum totis mentibus actam 190
in caedes aciem pone atque in terga ruentes
praecipitant. non hasta uiro, non deficit ensis:
e strage est ferrum atque euulsa cadauere tela.
raptum Galba procul (neque enim uirtutis amorem
aduersa exemisse ualent) ut uidit ab hoste 195
auferri signum, conixus corpore toto
uictorem adsequitur letalique occupat ictu.
ac dum comprensam caeso de corpore praedam
auellit, tardeque manus moribunda remittit,
transfixus gladio propere accurrentis Amorgi 200
occidit, immoriens magnis non prosperus ausis.
Haec inter, ueluti nondum satiasset Enyo
iras saeua truces, sublatum puluere campum
Vulturnus rotat et candentes torquet harenas.

181 sinuatur $\Gamma^2\varsigma$ : sumatur ω coxaque ... utraque ω : -aque ... -ique Ch : -aeque ... -ique *Heinsius, edd. recc., contra Delz 1975, 172* 182 coniecto *cf. Caes. civ. 3, 99, 1* superuomit *edd. a* l, *sed* super *i. desuper* 185 coorti $F^2G\Gamma^2$b1 : cohorti αγ 186 aduerso F : eu- Ch 187 doctus *Heinsius* 192 uiros *Heinsius, sed cf. Thes. 5, 1, 335, 47 sqq.;* uiro *sc. unicuique* 193 euulsa Cm *Ep. 13* : a- ω 195 ualent $F^2\Gamma^2\varsigma$ : uadent ω (-unt δ) 200 accurrentis ωCm : o- Oς 201 prosperus ωCm : prosper in $\Gamma^2\varsigma$ 202 enyo r2 : enio $\Gamma^2\varsigma$ : euro ω (erinis F)

iamque reluctantes stridens immane procella 205
per longum tulit ad campi suprema cauisque
afflictos ripis tumidum demersit in amnem.
hic tibi finis erat, metas hic Aufidus aeui
seruabat tacito, non felix Curio, leto.
namque furens animi dum consternata moratur 210
agmina et oppositu membrorum sistere certat,
in praeceps magna propulsus mole ruentum
turbatis hauritur aquis fundoque uolutus
Hadriaca iacuit sine nomine mortis harena.
Ingens ferre mala et Fortunae subdere colla 215
nescius aduersa fronte incurrebat in arma
uincentum consul. pereundi Martius ardor
atque animos iam sola dabat fiducia mortis,
cum Viriatus agens telis, regnator Hiberae
magnanimus terrae, iuxta atque ante ora furentis 220
obtruncat Pauli fessum certaminis hostem.
heu dolor, heu lacrimae! Seruilius, optima belli,
post Paulum belli pars optima, corruit ictu
barbarico magnamque cadens leto addidit uno
inuidiam Cannis. tristem non pertulit iram 225
consul et, insani quamquam contraria uenti
exarmat uis atque obtendit puluere lucem,
squalentem rumpens ingestae toruus harenae
ingreditur nimbum ac ritu iam moris Hiberi
carmina pulsata fundentem barbara caetra 230
inuadit laeuaeque fodit uitalia mammae.
hic fuit extremus caedum labor. addere bello

205 procella $\Gamma^2\varsigma$ : -am ω : -as Ch 206 cauisque $\Gamma^2\varsigma$ : can- ω 208 erit Ch 219 uiriat(h)us β : -atth- $F^2L$ : iurat tus F 220 ante $V^2\Gamma^2\varsigma$ : *om.* ω 227 obtundit *Heinsius, sed v. Thes. 9, 2, 275, 15sqq.* 228 toruus $\alpha\Gamma^2\varsigma$ : ceruus β 229 ritu uictoris *Ruperti* : Viriathum moris *Postgate, Summers, sed* ritu moris *in hoc poeta ferendum et* iam *mordicus tenendum est* : r. i. Martis *Watt 1985*

haud ultra licuit dextram, nec tanta relictum est
uti, Roma, tibi posthac ad proelia Paulo.
saxum ingens uasto libratum pondere caeca 235
uenit in ora manu et perfractae cassidis aera
ossibus infodiens compleuit sanguine uultus.
inde pedem referens labentia membra propinquo
imposuit scopulo atque undanti uulnere anhelans
sedit terribilis clipeum super ore cruento, 240
immanis ceu, depulsis leuioribus hastis
accepit leo cum tandem per pectora ferrum,
stat teli patiens media tremebundus harena
ac manante iubis rictuque et naribus unda
sanguinis, interdum languentia murmura torquens, 245
effundit patulo spumantem ex ore cruorem.
tum uero incumbunt Libyes. subit ipse citato
ductor equo, qua flatus agit, qua perfidus ensis,
qua sonipes, qua belligero fera belua dente.
obrutus hic telis ferri per corpora Piso 250
rectorem ut uidit Libyae, conixus in hastam
ilia cornipedis subrecta cuspide transit
collapsoque super nequiquam incumbere coeptat.
cui Poenus, propere collecto corpore, quamquam
cernuus inflexo sonipes effuderat armo: 255
'umbraene Ausoniae rediuiua bella retractant
post obitum dextra nec in ipsa morte quiescunt?'

233 est $\Gamma^2$Ch : *om.* ω   235 saxum $\Gamma^2$ς : -o ω   239 uulnere ωCm *Ep. 1* : puluere *edd. a* r1   241 delapsis δ   247 incumbunt ωCh : incubuit $\Gamma^2$ς   libres δ (*corr. in* Γ)   subit *Damsté, cf. 15, 741; 17, 446. 457; Verg. Aen. 11, 762 sq.* : super ω   248 perfidus *scripsi* (ensis *i. miles, cf. 2, 267; 17, 85, respicit ad versus 185 sqq.; cf.* perfida gentis Sidoniae tela *2, 655 et* perfidus ensis *Verg. Aen. 12, 731*) : peruius ω   250 hic αv : hinc β   252 subrecta γ : -repta G : -iecta α$\Gamma^2$ς   253 collapsoque α$\Gamma^2$ς : collapso β   254 cui j : cum ωCh   255 cernuus α$G^2V^2\Gamma^2$ : certiuus β   armo $\Gamma^2$ς : -a ω   256 umbraene $F^2G^2\Gamma^2$ς : -ue ω   in bella (*et* 257 dextras) $\Gamma^2$ς

sic ait atque aegrum coeptanti attollere corpus
arduus insurgens totum permiscuit ensem.
Ecce Cydonea uiolatus harundine plantam 260
Lentulus effusis campum linquebat habenis,
cum uidet in scopulo rorantem saxa cruore
toruoque obtutu labentem in Tartara Paulum.
mens abiit, puduitque fugae. tum uisa cremari
Roma uiro, tunc ad portas iam stare cruentus 265
Hannibal; Aetoli tum primum ante ora fuere
sorbentes Latium campi. 'quid deinde relictum est,
crastina cur Tyrios lux non deducat ad urbem,
deseris in tantis puppim si, Paule, procellis?
testor caelicolas,' inquit 'ni damna gubernas 270
crudelis belli uiuisque in turbine tanto,
inuitus plus, Paule, (dolor uerba aspera dictat)
plus Varrone noces. cape, quaeso, hunc, unica rerum
fessarum spes, cornipedem. languentia membra
ipse leuabo umeris et dorso tuta locabo.' 275
Haec inter lacero manantem ex ore cruorem
eiectans consul: 'macte o uirtute paterna!
nec uero spes angustae, cum talia restent
pectora Romuleo regno. calcaribus aufer,
qua uulnus permittit, equum atque hinc ocius; urbis 280
claudantur portae (ruet haec ad moenia pestis)
dic, oro. rerum Fabio tradantur habenae.
nostris pugnauit monitis furor. amplius acta
quid superest uita, nisi caecae ostendere plebi

**262** cruorem F (*corr.*) Cd (?) **264** rediit *Blass, sed* mens *sc. fugiendi* abiit cremare $\Gamma^2\varsigma$ **265** uiro $R^2$r1 : -os ω cruentus $R^2$b1 : -os ω : -as $\Gamma^2\varsigma$ **266** Aetoli *Heinsius* : et toti (-um O) ω **267** relictum est ω : relictum Ch **268** deducit α **269** si Ch : sic ω **270** ni $F^2LG\Gamma^2$ : in Fγ **271.272** *sic dist. Damsté, post* inuitus *edd.* **273.274** unica r. f. spes *Summers* : -e r. f. cape ω **278** restant Γς **280** *dist. Bailey* **282** oro αr2v : ergo β **283.284** actae ... uitae *Heinsius*

Paulum scire mori? feror an consumptus in urbem 285
uulneribus? quantine emptum uelit Hannibal, ut nos
uertentes terga adspiciat? nec talia Paulo
pectora, nec manes tam parua intramus imago.
ille ego – sed uano quid enim te demoror aeger,
Lentule, conquestu? perge atque hinc cuspide fessum 290
erige quadrupedem propere.' tum Lentulus urbem
magna ferens mandata petit. nec Paulus inultum
quod superest de luce sinit: ceu uulnere tigris
letifero cedens tandem proiectaque corpus
luctatur morti et languentem pandit hiatum 295
in uanos morsus nec sufficientibus irae
rictibus extrema lambit uenabula lingua.
iamque coruscanti telum propiusque ferenti
gressum exsultantem et securo caedis Iertae
non exspectatum surgens defixerat ensem 300
Sidoniumque ducem circumspectabat, in illa
exoptans animam certantem ponere dextra.
sed uicere uirum coeuntibus undique telis
et Nomas et Garamas et Celta et Maurus et Astur.
hic finis Paulo. iacet altum pectus et ingens 305
dextera, quem, soli si bella agitanda darentur,
aequares forsan Fabio. mors addidit urbi
pulchra decus misitque uiri inter sidera nomen.
 Postquam spes Italum mentesque in consule lapsae,
ceu truncus capitis saeuis exercitus armis 310
sternitur, et uictrix toto furit Africa campo.

285 feror αΓ²r2Ch : fu- β : ferar *edd. a* v in urbem ωCm *Ep. 13* : eidem *edd. a* r1 286 quantine Cm : -ue ω : -que *Livineius* 288 manes αΓ²O : ina- β praua F *ut coni. Ker* 289 uano αCm : uario β 291 erige αCh *v. Blomgren* : -pe β 297 rictibus *Heinsius, v. Håkanson et cf. de forma Mart. 3, 93, 6* : ic- ω 299 iert(a)e αCh : inerte β : Ilerthae *edd. a* j 300 deflexerat Cd (?) 302 cunctantem *Watt 1984* : *an* certando? 304 nomas αΓ² : u- β Celta *Burmann* : -(a)e ω (*ex corr.* F) 307 addidit *Dausqueius* : -itur ω 311 fremit Ch *edd. recc.*

hic Picentum acies, hic Vmber Martius, illic
Sicana procumbit pubes, hic Hernica turma.
passim signa iacent, quae Samnis belliger et quae
Sarrastes populi Marsaeque tulere cohortes. 315
transfixi clipei galeaeque et inutile ferrum
fractaque conflictu parmarum tegmina et ore
cornipedum derepta fero spumantia frena.
sanguineus tumidas in campos Aufidus undas
eiectat redditque furens sua corpora ripis. 320
sic Lagea ratis, uasto uelut insula ponto
conspecta, illisit scopulis ubi nubifer Eurus,
naufragium spargens operit freta, iamque per undas
et transtra et mali laceroque aplustria uelo
ac miseri fluitant reuomentes aequora nautae. 325
At Poenus per longa diem certamina saeuis
caedibus emensus, postquam eripuere furori
insignem tenebrae lucem, tum denique Martem
dimisit tandemque suis in caede pepercit.
sed mens inuigilat curis noctisque quietem 330
ferre nequit. stimulat dona inter tanta deorum
hoc tantum, nondum portas intrasse Quirini.
proxima lux placet. hinc strictos ferre ocius enses,
dum feruet cruor et perfusae caede cohortes,
destinat ac iam claustra manu, iam moenia flamma 335
occupat et iungit Tarpeia incendia Cannis.
Quo turbata uiri coniunx Saturnia coepto
irarumque Iouis Latiique haud inscia fati
incautum ardorem atque auidas ad futile uotum
spes iuuenis frenare parat. ciet inde quietis 340

**312** illic $\Gamma^2 \varsigma$ : -uc $\omega$ **318** cornipedem $\gamma$ (*corr. in* $\Gamma$) derepta $\beta$Ch : -cta F : direpta L *edd. vett.* : deiecta $\Gamma^2 \varsigma$ **319** tumidas ... undas $\omega$Ch : -is ... -is *edd. a* j **324** aplustria $\alpha\Gamma^2$ : amp- $\beta$ **329** a c. *Bothe* **332** hoc tantum *Håkanson* (tanta ... tantum *ut* 16, 505 *sq.*) : hortatur $\omega$ **337** quo $\Gamma^2 \varsigma$ : qu(a)e $\omega$ **338** inscia $\omega$Ch : nescia $\varsigma$ facti F

regnantem tenebris Somnum, quo saepe ministro
edomita inuiti componit lumina fratris,
atque huic arridens 'non te maioribus' inquit
'ausis, diue, uoco nec posco, ut mollibus alis
des uictum mihi, Somne, Iouem. non mille premendi 345
sunt oculi tibi nec spernens tua numina custos
Inachiae multa superandus nocte iuuencae.
ductori, precor, immittas noua somnia Poeno,
ne Romam et uetitos cupiat nunc uisere muros,
quos intrare dabit numquam regnator Olympi.' 350
 Imperium celer exsequitur curuoque uolucris
per tenebras portat medicata papauera cornu.
ast ubi per tacitum allapsus tentoria prima
Barcaei petiit iuuenis, quatit inde soporas
deuexo capiti pennas oculisque quietem 355
irrorat tangens Lethaea tempora uirga.
exercent rabidam truculenta insomnia mentem,
iamque uidebatur multo sibi milite Thybrim
cingere et insultans adstare ad moenia Romae.
ipse refulgebat Tarpeiae culmine rupis 360
elata torquens flagrantia fulmina dextra
Iuppiter, et late fumabant sulphure campi,
ac gelidis Anien trepidabat caerulus undis,
et densi ante oculos iterumque iterumque tremendum
uibrabant ignes. tunc uox effusa per auras: 365
'sat magna, o iuuenis, prensa est tibi gloria Cannis.
siste gradum. nec enim sacris irrumpere muris,

342 inuicti *edd. a* r1 343 huic $\Gamma^2\varsigma$ : hinc ω 345 nec F 346 spernes Gδ (*corr. in* Γ) 353 at V : atque QXT ablapsus δ (*corr. in* Γ) 354 petit δ (*corr. in* Γ) 357 rapidam G (*corr.*) δ 361 elata $F^2\beta$ : fl- α 362 late Ξ *Damsté* : -i ω : -ii *Heinsius* 363 ac α *edd. vett.* : at β (et Γ) gelidis γ : -us αG anien $R^2$ *Bauer* : -es α : -e β : -o $V\Gamma^2\varsigma$ 364 que *prius om.* δ 365 aures Ch *unde* offusa per aures *Heinsius* 366 stat γ (*corr. in* Γ) prensa $\Gamma^2\varsigma$ : pressa ω : parta *Drakenborch* 367 neque $V^2\varsigma$

Poene, magis dabitur, nostrum quam scindere caelum.'
attonitum uisis maioraque bella pauentem
post confecta Sopor Iunonia iussa relinquit, 370
nec lux terribili purgauit imagine mentem.
Quos inter motus somni uanosque tumultus
dedita per noctem reliquo cum milite castra
nuntiat et praedam pleno trahit agmine Mago.
huic ductor laetas Tarpeio uertice mensas 375
spondenti, cum quinta diem nox orbe tulisset,
celatis superum monitis clausoque pauore
uulnera et exhaustas saeuo certamine uires
ac nimium laetis excusat fidere rebus.
tum spe deiectus iuuenis, ceu uertere ab ipsis 380
terga iuberetur muris ac signa referre,
'tanta mole' inquit 'non Roma, ut creditur, ipsa,
sed Varro est uictus. quonam tam prospera Martis
munera destituis fato patriamque moraris?
mecum exsultet eques; iuro hoc caput, accipe muros 385
Iliacos portasque tibi sine Marte patentes.'
Dumque ea Mago fremit cauto non credita fratri,
iam Latius sese Canusina in moenia miles
colligere et profugos uicino cingere uallo
coeperat. heu rebus facies inhonora sinistris! 390
non aquilae, non signa uiris, non consulis altum
imperium, non subnixae lictore secures.
trunca atque aegra metu, ceu magna elisa ruina,
corpora debilibus nituntur sistere membris.
clamor saepe repens et saepe silentia fixis 395

368 scandere *Paullus Casaubonus* (*v. Drakenborch*) 372 uariosque δς *edd. vett.* 375 huic FV$\Gamma^2$ : hinc LGδ tarpeio uertice Ch : t. in u. ω 376 diem α$\Gamma^2$ς : -s β 379 nec *Blass* 382 creditur $F^2$P : -idit ω 383 uictus α$V^2\Gamma^2$ : uir- β quonam *edd. a p cf. Cic. Phil. 2, 1; Liv. 3, 40, 8* : qu(a)e- ω 384 destituis $F^2$δ : di- αGV 386 parentis δ (*corr. in* Γ) 387 tanto δ (*corr. in* Γ)

in tellurem oculis. nudae plerisque sinistrae
detrito clipeo. desunt pugnacibus enses.
saucius omnis eques. galeis carpsere superbum
cristarum decus et damnarunt Martis honores.
at multa thorax perfossus cuspide, et haerens 400
loricae interdum Maurusia pendet harundo.
interdum maesto socios clamore requirunt.
hic Galba, hic Piso et leto non dignus inerti
Curio deflentur, grauis illic Scaeuola bello.
hos passim, at Pauli pariter ceu dira parentis 405
fata gemunt: ut uera mali praesagia numquam
cessarit canere et Varronis sistere mentem,
utque diem hunc totiens nequiquam auerterit urbi,
atque idem quantus dextra. sed cura futuri
quos premit, aut fossas instant praeducere muris 410
aut portarum aditus, ut rerum est copia, firmant,
quaque patet campus planis ingressibus hostis,
ceruorum ambustis imitantur cornua ramis,
et stilus occulitur, caecum in uestigia telum.
Ecce super clades et non medicabile uulnus 415
reliquias belli atque imperdita corpora Poenis
impia formido ac maior iactabat Erinys.
trans aequor Tyrios enses atque arma parabant
Punica et Hannibalem mutato euadere caelo.

397 detrito Fβ : detecto L : detracto *vel* derepto *Heinsius* : *an* deiecto? pugnacibus αr2v : -antibus β 398 equus *Blass* 399 martis Γ[2]Ξv : mo- ω 400 ac *Heinsius* 404 deflentur ωCh : -etur O *edd. a* v illic αΓ[2]r2 : ibi β 405 at *edd. a* v : ac ω 406 praesagia *Barth, cf. 11, 570 et Verg. Aen. 10, 843* : -sentia ω : -nuntia *Thilo 1891, 624 et Summers* (uerba ... p.) 407 canere F[2]V[2]Γ : cau- ω 408 utque Ch : atque ω auerterit F[2]Γ[2]ς : -et ω : aduerterit V 410 praeducere *Lipsius* (*v. Drakenborch*), *Livineius* : pro- ω 412 campus αΓO[2] : -is β hosti Γ[2] *edd. vett.* 413 imitantur *edd. a* r1 : -tes FΓ[2] : mutantes Lβ 414 stilus ωCh : silus Γ[2] *edd. a* v

dux erat exilio collectis Marte Metellus, 420
sed stirpe haud parui cognominis. is mala bello
pectora degeneremque manum ad deformia agebat
consulta atque alio positas spectabat in orbe,
quis sese occulerent, terras, quo nomina nulla
Poenorum aut patriae penetraret fama relictae. 425
  Quae postquam accepit flammata Scipio mente,
quantus Sidonium contra fera proelia miscens
ductorem stetit in campis, rapit ocius ensem
atque, ubi turpe malum Latioque extrema coquebant
coepta uiri, ruptis foribus sese arduus infert. 430
tum quatiens strictum cum uoce ante ora pauentum
mucronem: 'Tarpeia, pater, qui templa secundam
incolis a caelo sedem, et Saturnia, nondum
Iliacis mutata malis, tuque aspera pectus
aegide Gorgoneos uirgo succincta furores, 435
Indigetesque dei, sponte en per numina uestra
perque caput nullo leuius mihi numine patris
magnanimi iuro: numquam Lauinia regna
linquam nec linqui patiar, dum uita manebit.
ocius en testare deos, si moenia taedis 440
flagrabunt Libycis, nullas te ferre, Metelle,
ausurum in terras gressus. ni talia sancis,

**420** exilio (*vel* -ii) non laetus *Summers* : e. contemptus *Bailey, sed idem (p.l.) post 420 versum excidisse non negaverit; et certe* exilio collectis *coll. Verg. Aen. 2, 798 tangendum non est; ego post* collectis *duo hemistichia excidisse et* ⟨contemptus⟩ Marte *supplendum esse suspicor; tradita explicare frustra conatur Blomgren* **421** cognouimus β (cognoīs Γ) is mala $\Phi^2$l *Barth* : ismana ωCh : ismara *Odus in* Γς : is noua *Calderinus in* Γ *edd. a* v **422** pectora $\alpha\Gamma^2$ : -e β agebant GV **423** orbe $\Gamma^2$ς : ore ω **424** qui δ **430** arduus $\alpha\Gamma^2$ς : arctius β **433** a $\Gamma^2$ς : ac ω **434** Italicis Ch **436** en per *Lefebvre* : inter ω uestra αGVCh : no- δς **438** iuro $FV^2$p : uiro Lβ **440** antestare $R^2$ *Heinsius* t(a)edis $\Gamma^2$O : c- ω **442** ni $\alpha G\Gamma^2$ : in γ sancis $F^2\Gamma^2$ς : sau- ω

quem tremis et cuius somnos formidine rumpis,
Hannibal hic armatus adest. moriere, nec ullo
Poenorum melior parietur gloria caeso.' 445
his excussa incepta minis iamque ordine iusso
obstringunt animas patriae dictataque iurant
sacramenta deis et purgant pectora culpa.
  Atque ea dum Rutulis turbata mente geruntur,
lustrabat campos et saeuae tristia dextrae 450
facta recensebat pertractans uulnera uisu
Hannibal et magna circumstipante caterua
dulcia praebebat trucibus spectacula Poenis.
quas inter strages confossus pectora telis
seminecem extremo uitam exhalabat in auras 455
murmure deficiens iam Cloelius oraque nisu
languida uix aegro et dubia ceruice leuabat.
agnouit sonipes arrectisque auribus acrem
hinnitum effundens sternit tellure Bagesum,
quem tum captiuo portabat in agmine dorso. 460
hinc rapidum glomerans cursum per lubrica pinguis
stante cruore soli et mulcata cadauera caede
euolat ac domini consistit in ore iacentis.
inde inclinatus colla et summissus in armos
de more inflexis praebebat scandere terga 465
cruribus ac proprio quodam trepidabat amore.

**449** ea dum α$\Gamma^2$ς : eadem β **454** inter strages ς *cf. 185 et carm. de bello Aeg. 52* : s. i. ω confossus ς : -is ω pectora ας : -e β **455** exhalabat ω *Livineius* : -rat *edd. a* v **456** murmure *Gronovius* : munere ω cloelius $F^2\Gamma^2$ς : clodius F : delius L : clodelius β nisu FΓς : u- β **459** hinnitum $F^2$β : hinu- F : inu- L bagesum ωCh : u- *edd. a* v **460** agmine *Damsté* : -a ω **461** pinguis $\Gamma^2$ς : -i ω *edd. recc.* **462** mulctata Lδς (*de scriptura v. Thes. 8, 1564, 40 et cf. Verg. Aen. 11, 839*) : mult- FGV : mut- r2 *edd. a* v : cumul- *Bentley, commendat Håkanson* caede *edd. a* v : c(a)edi ωCh **463** et δ ore *Heinsius* : ora ω iacentis $F^2\Gamma^2$ς : lat- ω **464** colla et summissus in ω *Livineius ex ed. Paris. 1512* : -um s. et *edd. a* l

milite non illo quisquam felicius acri
insultarat equo, uel si resupina citato
proiectus dorso ferretur membra, uel idem
si nudo staret tergo, dum rapta uolucri 470
transigeret cursu sonipes certamina campi.
At Libys humanos aequantem pectore sensus
haud parce miratus equum, quinam ille sinistrae
depugnet morti iuuenis, nomenque genusque
erogitat letique simul compendia donat. 475
hic Cinna (ad Tyrios namque is sua uerterat arma
credulus aduersis et tum comes ibat ouanti)
'auribus huic,' inquit 'ductor fortissime, origo est
non indigna tuis. quondam sub regibus illa,
quae Libycos renuit frenos, sub regibus olim 480
Roma fuit. sed enim solium indignata Superbi
ut sceptra exegit, confestim ingentia bella
Clusina uenere domo, si Porsena fando
auditus tibi, si Cocles, si Lydia castra.
ille ope Maeonia et populo succinctus Etrusco 485
certabat pulsos per bella reponere reges.
multa adeo nequiquam ausi, pressitque tyrannus
Ianiculum incumbens urbi. mox pace probata
compressere odia, et positum cum foedere bellum
obsidibusque obstricta fides. mansuescere corda 490
nescia, pro superi! et nil non immite parata
gens Italum pro laude pati: bis Cloelia senos

**468** citato α$\Gamma^2$ς : creato β **469** ferretur *Livineius, alii* : ferret cum ω **470** uolucri *edd. a* r1 *Damsté, cf. 13, 194* : -is ω *edd. recc.* **472** pectora TCd (*?*) **474** sorti *Heinsius* genusque *Hilff, v. Håkanson* : dec- ω **476** hic ωCh : hinc *edd. a* j cinna β (cuma O) : cimta F : cimia L **477** aduersis et *Calderinus in* ΓCh : -i sat ω tum δCh : tunc ω **478** inquit α$\Gamma^2$ : lin- β (liq- δ) **479** sub $\Gamma^2$ς : sed ω **481** solum δ (*corr. in* Γ) **484** cocles L$F^2\Gamma^2$ : codes Fβ **488** urbi. mox *Blass* (*cf. 1, 295*) : ubi mox iam ω **489** cum αr1 : tum βr2 *edd. a* v **492** bis r1 : si ω : sic ς cloelia $F^2\Gamma^2$ς : delia ω senos r1 : seuos ω (saeuis F)

nondum complerat primaeui corporis annos,
una puellarum Laurentum et, pignora pacis,
inter uirgineas regi tramissa cateruas. 495
facta uirum sileo. rege haec et foedere et annis
et fluuio spretis mirantem interrita Thybrim
tranauit frangens undam puerilibus ulnis.
cui si mutasset sexum natura, reuerti
forsan Tyrrhenas tibi non licuisset in oras, 500
Porsena. sed iuueni, ne sim tibi longior, hinc est
et genus et clara memorandum uirgine nomen.'
  Talia dum pandit, uicinus parte sinistra
per subitum erumpit clamor. permixta ruina
inter et arma uirum et lacerata cadauera Pauli 505
eruerant corpus media de strage iacentum.
heu quis erat! quam non similis modo Punica telis
agmina turbanti, uel cum Taulantia regna
uertit et Illyrico sunt addita uincla tyranno!
puluere canities atro arentique cruore 510
squalebat barba, et perfracti turbine dentes
muralis saxi, tum toto corpore uulnus.
  Quae postquam adspexit, geminatus gaudia ductor
Sidonius 'fuge, Varro,' inquit 'fuge, Varro, superstes,
dum iaceat Paulus. patribus Fabioque sedenti 515
et populo consul totas edissere Cannas.
concedam hanc iterum, si lucis tanta cupido est,
concedam tibi, Varro, fugam. at, cui fortia et hoste
me digna haud paruo caluerunt corda uigore,
funere supremo et tumuli decoretur honore. 520
quantus, Paule, iaces! qui tot mihi milibus unus

**499** ruenti OBW : cruenti Γ (*corr.*) **501** huic $\Gamma^2$ς *edd. vett.* **512** toto unum c. *Barth* : tum totum in c. *Bentley* **513** quae ωCh : quem *edd. a* v **514** uarro inquit $\Gamma^2$ς : uero i. ω *sed imperativum non sequitur* uero *nisi apud comicos* **515** iacet V (*corr.*) O **520** munere *Gronovius, cf. 15, 396; Verg. Aen. 11, 26; Stat. Theb. 12, 54; contra e.g. Prop. 2, 11, 4; Sen. Med. 997*

maior laetitiae causa es. cum fata uocabunt,
tale precor nobis salua Carthagine letum.'
haec ait et socium mandari corpora terrae,
postera cum thalamis Aurora rubebit apertis, 525
imperat armorumque iubet consurgere aceruos,
arsuros, Gradiue, tibi. tum munera iussa,
defessi quamquam, accelerant sparsoque propinquos
agmine prosternunt lucos. sonat icta bipenni
frondosis silua alta iugis. hinc ornus et altae 530
populus alba comae ualidis accisa lacertis
scinditur, hinc ilex proauorum consita saeclo.
deuoluunt quercus et amantem litora pinum
ac, ferale decus, maestas ad busta cupressos.
funereas tum deinde pyras certamine texunt, 535
officium infelix et munus inane peremptis,
donec anhelantes stagna in Tartessia Phoebus
mersit equos fugiensque polo Titania caecam
orbita nigranti traxit caligine noctem.
post, ubi fulserunt primis Phaethontia frena 540
ignibus atque sui terris rediere colores,
supponunt flammam et manantia corpora tabo
hostili tellure cremant. subit horrida mentem
formido incerti casus, tacitusque pererrat
intima corda pauor, si fors ita Martis iniqui 545

523 uobis α (*corr. in* F) 525 rubebit *edd. a* l : ruebat ω : rubebat p 528 sparsoque ωCm *Ep. 13* : -osque *edd. a* v 529 icta B *Gronovius coll. Verg. Aen. 6, 180, Summers, v. von Albrecht 190* : a- ω 530 alta ... altae *vix ferendum* (*cf. autem Enn. ann. 187–189*) : atra *Heinsius* : arta *ego coll. Caes. Gall. 7, 18, 3* 531 alba F²LVΓ : alta FG : alma O 532 consita *Heinsius* : cond- ω 534 ac PXp : at ω cupressus δ (*corr. in* Γ) 535 certamine LΓ² : -a Fβ 538.539 Titania ... orbita *i. solaris currus, v. Håkanson et adde Lucan. 9, 691* 539 ingrati δ (*corr. in* Γ)

mox ferat, hac ipsis inimica sede iacendum.
at tibi, bellipotens, sacrum constructus aceruo
ingenti mons armorum surgebat ad astra.
ipse manu celsam pinum flammaque comantem
attollens ductor Gradiuum in uota ciebat: 550
'primitias pugnae et laeti libamina belli
Hannibal Ausonio cremat haec de nomine uictor,
et tibi, Mars genitor, uotorum haud surde meorum,
arma electa dicat stipantum turba uirorum.'
tum face coniecta populatur feruidus ignis 555
flagrantem molem, et rupta caligine in auras
actus apex claro perfundit lumine campos.
hinc citus ad tumulum donataque funera Paulo
ibat et hostilis leti iactabat honorem.
sublimem eduxere pyram mollesque uirenti 560
stramine composuere toros. superaddita dona,
funereum decus: expertis inuisus et ensis
et clipeus, terrorque modo atque insigne superbum,
tum laceri, fasces captaeque in Marte secures.
non coniunx natiue aderant, non iuncta propinquo 565
sanguine turba uirum, aut celsis de more feretris
praecedens prisca exsequias decorabat imago,
omnibus exuuiis nudo iamque Hannibal unus
sat decoris laudator erat. fulgentia pingui

546 hac l *Heinsius* : ast ω : ac *edd. a* v : atque *Livineius* iacentum Ch 547 at ω : ac Ch : ast r2 *edd. a* v 548 lugenti GV 549 flammamque F (*corr.*) ς comantem $F^2 V^2 \Gamma^2$ : con- ω 550 uota $F^2 L^2 G^2 \Gamma^2$ : n- ω (noua F) 554 stipantum *scripsi coll. 452; 524 sqq. et Verg. Aen. 11, 12 sq. quem locum totum noster hic imitatus est* : spir- ω : super- *Heinsius* 563 modo $\Gamma^2$ *edd. a* v : -um ω 564 *'in Coloniensi hic versus non exstabat' Heinsius* laceri β : lat- α *edd. vett.* fractaeque *Heinsius* : ruptaeque *Barth* 568 tamen (*pro* iamque) *Housman ad Manil. 1, 270, sed v. Thes. 7, 1, 108, 80*

murice suspirans inicit uelamina et auro 570
intextam chlamydem ac supremo affatur honore:
'i, decus Ausoniae, quo fas est ire superbas
uirtute et factis animas. tibi gloria leto
iam parta insigni. nostros Fortuna labores
uersat adhuc casusque iubet nescire futuros.' 575
haec Libys, atque repens crepitantibus undique flammis
aetherias anima exsultans euasit in auras.
Fama dehinc gliscente sono iam sidera adibat,
iam maria ac terras primamque intrauerat urbem.
diffidunt muris. solam pauitantibus arcem 580
sperauisse sat est. nec enim superesse iuuentam,
ac stare Ausoniae uacuum sine corpore nomen,
quodque adeo nondum portis irruperit hostis,
contemptu cessare putant. iam tecta cremari
ac delubra rapi caedesque ante ora nefandae 585
natorum septemque arces fumare uidentur.
lux una euersas bis centum in strage curules
ac iuuenum bis tricenis orbata gemebat
milibus exhaustae nutantia moenia Romae,
atque ea post Trebiam, post Tusci stagna profundi, 590
nec socium numero pariter leuiore perempto.
sed uero sed enim reliqui pia turba senatus
munera sortito inuadunt. celer omnia lustrans
clamitat attonitis Fabius: 'non ulla relicta est,
credite, cunctandi ratio. approperemus, ut hostis 595

570 inicit $\alpha\Gamma^2\varsigma$ (*de quantitate v. Thes. 7, 1, 1611, 39*) : iniecit β 576 ac (*pro* atque) δ (*corr. in* Γ) 579 ac αr2 : et β paui- damque *vel* patriamque *Gronovius, sed cf. Henry 2, 142* 587 in strage $\Sigma^2$ *et marg. exemplaris Vat. Inc. II 427 ed. Venetae 1483, unde, ut puto, Heinsius 'in strage scribendum et sic editio Veneta Marsi'* (*cf. ad 67*) : instare ω : astare ς 594 attonitis QΣ *Livineius* : -us ω 595 approperemus ς : ac p. ω

nequiquam armatos ausit succedere muros.
dura inter pauidos alitur fortuna sedendo,
et gliscunt aduersa metu. ite ocius, arma
deripite, o pubes, templis. uos atria raptim
nudate et clipeos in bella refigite captos. 600
sat patriae sumus, e numero si ad proelia nostro
nil minuit pauor. in patulis illa horrida campis
sit metuenda lues; muros haud fregerit umquam
exsultare leuis nudato corpore Maurus.'
Dum Fabius lapsas acuit formidine mentes, 605
Varronem aduentare uagus per moenia rumor
spargit et occulto perfundit pectora motu.
haud secus ac, fractae rector si forte carinae
litoribus solus †uacuis† ex aequore sospes
adnatet, incerti trepidant, tendantne negentne 610
iactato dextras, ipsamque odere salutem
unius amissa superantis puppe magistri.
quam restare uiro labem, qui accedere portis
audeat ac dirum ueniat pauitantibus omen!
Hos mulcens questus Fabius deforme docebat 615
cladibus irasci uulgumque arcebat ab ira.
aduersis etenim frangi non esse uirorum,
qui Martem inscribant genti, non posse dolores
condere et ex poena solacia poscere luctus.
si uero exprobrare sinant, sibi tristius illum 620

596 *forma* ausit *abusive adhibita in sententia consecutiva, cf. tamen Prop. 2, 19, 21* 597 alitur ωCm *Ep. 13* : -ter b2 *errore typothetae* 598 uictu (*pro* metu) δ (*corr. in* Γ) ite ωCd : ite ite $\Gamma^2$ς *edd. vett.* 599 deripite α : di- β 601 sat α$\Gamma^2$ : stat β nostro $R^2$ *marg. Vat. Inc. II 427 unde, ut puto, Heinsius Marso tribuit* (*v. ad 587*) : -(a)e ω : -er p 605 lassas Vς 607 motu α$\Gamma^2$ : metu β 609 patriis *Damsté* : *an* notis*?* *temptavi etiam* solusque suis *i. et ad cives suos solus* 610 -ne -ne $\Gamma^2$ *edd. recc.* : -ue -ue ωCh : -ne -ue *edd. a* v 617 ferri Ch 618 nec *Heinsius* 620 uera *Gronovius*

illuxisse diem, quo castris uiderit ire
Varronem, quam quo uideat remeare sine armis.
his dictis sedere minae et conuersa repente
pectora. nunc fati miseret, nunc gaudia Poeno
consulibus reputant caesis erepta duobus. 625
ergo omne effundit longo iam se agmine uulgus
gratantum, magnaque actum se credere mente
testantur, quod fisus auis sceptrisque superbis
Laomedontiadum non desperauerit urbi.
Nec minus infelix culpae grandique pudore 630
turbatus consul titubantem ad moenia gressum
portabat lacrimans. deiectum attollere uultum
ac patriam adspicere et luctus reuocare pigebat.
quod uero reduci tum se populusque patresque
offerrent, non gratari, sed poscere natos 635
quisque suos fratresque simul miseraeque parentes
ire uidebantur laceranda ad consulis ora.
sic igitur muto lictore inuectus in urbem
damnatum superis aspernabatur honorem.
At patres Fabiusque procul maerore remoto 640
praecipitant curas. raptim delecta iuuenta
seruitia armantur, nec claudit castra saluti
postpositus pudor. infixum est Aeneia regna
Parcarum in leges quacumque reducere dextra
proque arce et sceptris et libertatis honore 645
uel famulas armare manus. primaeua suorum
corpora praetexto spoliant uelamine et armis
insolitis cingunt. puerilis casside uultus

**627** actum $\Gamma^2\varsigma$ : arctum $F^2L\beta$ : arcum F **633** renouare Ch (*ut Liv. 22, 61, 13*) **638** muto *edd. a* r1 *cf. Plin. paneg. 23, 3; 61, 7* : multo ω : nullo *Lefebvre* **641** delecta iuuenta *varie temptatum; iuuenta est abl. causae, cf. Liv. 22, 57, 11* octo milia iuuenum ualidiorum ex seruitiis ... armauerunt *et Plin. nat. 6, 89* eligi regem a populo senecta clementiaque **642** castra α r2 v : claustra β

clauditur atque hostis pubescere caede iubetur.
idem obsecrantes, captiuum uulgus ut auro 650
pensarent paruo (nec pauca fuere precantum
milia) miranti durarunt prodere Poeno.
cuncta adeo scelera et noxam superauerat omnem
armatum potuisse capi. tunc terga dedisse
damnatis Siculas longe meritare per oras 655
impositum, donec Latio decederet hostis.
haec tum Roma fuit. post te cui uertere mores
si stabat fatis, potius, Carthago, maneres.

# SILI ITALICI
## PVNICORVM
### LIBER VNDECIMVS

Nunc age, quos clades insignis Iapyge campo
uerterit ad Libyam populos Sarranaque castra,
expediam. stat nulla diu mortalibus usquam
Fortuna titubante fides. adiungere dextras
certauere palam rumpenti foedera Poeno 5
(heu nimium faciles lassis diffidere rebus!)
saeuior ante alios iras seruasse repostas
atque odium renouare ferox in tempore Samnis,
mox leuis et sero pensurus facta pudore
Bruttius, ambiguis fallax mox Apulus armis, 10
tum gens Hirpini uana indocilisque quieti
et rupisse indigna fidem, ceu dira per omnes
manarent populos foedi contagia morbi.
iamque Atella suas iamque et Calatia adegit
fas superante metu Poenorum in castra cohortes. 15
inde Phalanteo leuitas animosa Tarento
Ausonium laxare iugum. patefecit amicas

5 rumpentes *Blass, sed cf. 161* 6 lassis *Zwierlein Mus. Helv. 35, 1978, 61* : laesis ω 7 s(a)euior α$\Gamma^2$ : scenior β (sceu- V) 9 pensurus *Bentley, cf. Ov. epist. 2, 143* : press- ω facta ω : fata Ch 11 hirpini ς : irp- αΓCh : rep- GV : irpun O naua *Schrader* quieti αCh *cf. 1, 237* : -em β 12 et rupisse αr1 : er- β : nec r. *Bentley, fort. recte, cf. Hor. epist. 1, 3, 35* dira α *edd. a* v : dura β 13 f(o)edi αr2v : feri β : ferri V$\Gamma^2$O$^2$ς 14 Calatia *Dausqueius* : g- ω 16 phalanteo α$\Gamma^2$ς : -ea β

alta Croton portas Afrisque ad barbara iussa
Thespiadum docuit summittere colla nepotes.
idem etiam Locros habuit furor. ora uadosi 20
litoris, Argiuos maior qua Graecia muros
seruat et Ionio alluitur curuata profundo,
laetas res Libyae et fortunam in Marte secuta
iurauit pauitans Tyrio sua proelia Marti.
iam uero, Eridani tumidissimus accola, Celtae 25
incubuere malis Italum ueteresque doloris
tota se socios properarunt iungere mole.
Sed fas id Celtis, fas impia bella referre
Boiorum fuerit populis: Capuaene furorem,
quem Senonum genti, placuisse, et Dardana ab ortu 30
moenia barbarico Nomadum sociata tyranno
quisnam mutato tantum nunc tempore credat?
luxus et insanis nutrita ignauia lustris
consumptusque pudor peccando unisque relictus
diuitiis probrosus honor lacerabat hiantem 35
desidia populum ac resolutam legibus urbem.
insuper exitio truculenta superbia agebat.
nec uitiis derant uires. non largior ulli
Ausoniae populo (sic tum Fortuna fouebat)
aurique argentique modus; madefacta ueneno 40
Assyrio maribus uestis medioque dierum

**18** croton FΓ²ς : t- Lβ iussam δ (*corr. in* Γ) **22** adluitur *Summers* : luitur ω : lauitur *Livineius* **23** in Marte *multis suspectum ob* Marti *v. 24* : in morte *edd. a* v : errore *edd. a* b1 : e more *Barth* : *an* sponte ? **25** tumidissimus αVς : ti- Gδ **26** italum ωCm *Ep. 13* : iterum *edd. vett.* **28** fas sit AXr1 *Heinsius* **29** -ne v : -ue ω **31** Nomadum *Gronovius, Heinsius* : nondum ω **32** quis nisi *Ruperti* : *totus versus Gronovio et aliis suspectus; sed alludere videtur poeta ad consulem Campanum quem 124 inducit* **34** unisque αΓ²O² : imisque β **35** diuitiis F²G²Γ²ς : diutius F : diuitis L : diuisis G : duutiis V : duuciis δ **36** desidia αG²Γ² : de siria (sy- O) β **38** longior VPς **40** que *prius om.* δ **41** maribus *Gronovius, cf. 13, 353* : man- ω

regales epulae atque ortu conuiuia solis
deprensa et nulla macula non illita uita.
tum populo saeui patres, plebesque senatus
inuidia laeta, et collidens dissona corda 45
seditio. sed enim interea temeraria pubis
delicta augebat pollutior ipsa senectus.
nec, quos uile genus despectaque lucis origo
foedabat, sperare sibi et deposcere primi
derant imperia ac patriae pereuntis habenas. 50
quin etiam exhilarare uiris conuiuia caede
mos olim et miscere epulis spectacula dira
certantum ferro, saepe et super ipsa cadentum
pocula respersis non parco sanguine mensis.
Hos astu aggressus, quo uerteret acrius aegras 55
ad Tyrios mentes, quae nulla sorte daturam
certus erat Romam (neque enim impetrata uolebat)
– Pacuuio fuit haud obscurum crimine nomen –
hortatur summi partem deposcere iuris
atque alternatos sociato consule fasces 60
et, si partita renuant sedisse curuli
aequatumque decus geminasque uidere secures,

43 nulli *Heinsius, Withof* (*et* maculis) inclita δ (*corr. in* Γ) : inclyta Ch (?) 45 inuida F l(a)eta $F^2$LCm *Ep. 101* : lacera Fβ 46 interea *multis corruptum videtur, sed cf. Thes. 7, 1, 2184, 83* : incestae *Thilo 1864, 405* : infectae *Bauer* pubis $\Sigma^2$ *Barth* : -es ω 48 despectaque δ : di- ωCh 50 imperia ωCm : -o *edd. a* v 51–54 *post 43 Barth, alii, probabiliter* 51 exhilarare $\Gamma^2$ς : ex(h)ilare ω 55 hos *Bailey* : has ω 56 quia p *edd. a* b1 sorte $\alpha\Gamma^2$ : -de β daturum δ (*corr. in* Γ) 57 impetranda *Livineius, Bauer, sed v. Blomgren* 58 pacuuio $\Gamma^2\Sigma^2$ *marg. Vat. Inc. II 427, unde, ut puto, Heinsius Marso attribuit* (*v. ad 10, 67*) : paccullo α : pattullo GV : patulo δ : pactulo ς : Paculo Ch : Pacuuius *Ker, sed cf. 10, 93; 13, 32; 14, 527* carmine *L. Müller, Berl. philol. Wochenschr. 1892, 1363 ad poetam referens* 62 (a)equatumque Gδ : (a)equantumque α : equantum V

ultorem ante oculos atque ora adstare repulsae.
ergo electa manus gressu fert dicta citato.
antistat cunctis praecellens Virrius ore, 65
sed genus obscurus nullique furore secundus.
qui postquam coetu patrum ingentique senatu
impia dementis uulgi ac uix tota profudit
consulta et tumidis incendit uocibus aures,
concordi fremitu renuentum effunditur asper 70
toto e concilio clamor. tum quisque fatigat
increpitans, uocumque tremit certamine templum.
Hic Torquatus auum fronte aequauisse seuera
nobilis 'heu Capua portantes talia dicta
Romuleis durastis' ait 'succedere muris, 75
ad quos non ausi Carthago atque Hannibal arma
post Cannas afferre suas? numquamne per aures
it uestras, in Tarpeia cum sede Latini
orarent paria, haud uerbis, haud uoce, sed acri
propulsum dextra, qui tum mandata superbo 80
ore apportabat, tanto per limina templi
turbine praecipitem reuoluti corporis actum,
ut saeuo afflictus saxo spectante piaret
tristia dicta Ioue et lueret uerba impia leto?
en ego progenies eius, qui sede Tonantis 85
expulit orantem et nuda Capitolia consul
defendit dextra.' rabidum hinc palmasque uirorum
intentantem oculis proauitaque facta parantem

63 stare δ (*corr. in* Γ) 64 fer δ (*corr. in* Γ) 66 obscurus *Livineius et Modius, cf. 12, 470* : -m ω 67 *om.* v (*propter* secundus – senatu) : *reduxit Modius ex* C 68 profudit $\Gamma^2$ς : -und- ω 69 et pbl : *om.* ω : ac B 71 dum *vel* nam *Bauer* : quem *vel* quod *vel* quo *Ruperti* : *ego post 71 versum excidisse suspicor* 77 -ne $\Gamma^2$ς : -ue ω 81 adportabat $\Gamma^2$ς *Livineius* : asp- ωr2 *edd. a* v limina Gδ : lu- αV 87 rabidum *edd. a* v : rap- ωCh hinc ωr2Ch : hunc $\Gamma^2$ς 88 intentantem $\Gamma^2$ *edd. a* v : -ans ω

ut uidit maiore adeo crudescere motu,
excipit his frendens Fabius: 'pro cuncta pudendi! 90
sedes, ecce, uacat belli uiduata procella;
quem, quaeso, e uobis huic imposuisse paratis
inque locum Pauli quemnam datis? an tua, Virri,
prima atque ante alios sors concedente senatu
te citat ac nostris aequat iam purpura Brutis? 95
i, demens, i, quo tendis; tibi perfida fasces
det Carthago suos.' medio feruore loquentis
impatiens ultra gemitu cohibere furorem
fulminea toruum exclamat Marcellus ab ira:
'quae tandem et quam lenta tenet patientia mentem, 100
o confuse nimis Gradiui turbine Varro,
ut perferre queas furibunda insomnia consul?
nonne exturbatos iam dudum limine templi
praecipites agis ad portas et discere cogis
semiuiros, quod sit nostro de more creati 105
consulis imperium? non umquam sobria pubes
et peritura breui, moneo, ocius urbe facesse.
muros ante tuos, ut par est, debita ductor
armatus responsa dabit.' consurgere cuncti
hinc pariter magnoque uiros clamore premebant. 110
necnon et foribus propere Campana iuuentus
extulit ipsa gradum, tantaeque dolore repulsae
concitus Hannibalem uoluebat Virrius ore.
Fuluius (huic nam spondebant praesagia mentis
uenturum decus et Capuae pereuntis imago 115
iam tum erat ante oculos) 'non si Carthaginis' inquit
'ductorem uestris deuinctum colla catenis

92 hinc FO 94 alias Ch 95 uestris δ (*corr. in* Γ) 102. 103 *ordine inverso* VP 102 furibundi somnia *Burmann* 103 limine Gδ : lu- αV 105 quid *Summers* 112 extulit αΓ² ς : exp- β ipsa ωCh (*sed Livineius ex ed. 1512*) : acta *edd. a* j 114 huic GΓ² ςCh : hinc ω nam Σ² Ch : iam ω 117 nostris δς

Romam uictor agas, posthac intrare Quirini
sacratas dabitur sedes. tende ocius, oro,
quo mens aegra uocat.' referunt haec inde citati 120
mixta minis et torua trucis responsa senatus.
Tantane, Omnipotens, caligine mersa latere
fata placet? ueniet quondam felicior aetas,
cum pia Campano gaudebit consule Roma
et per bella diu fasces perque arma negatos 125
ultro ad magnanimos referet secura nepotes.
poena superborum tamen haec durabit auorum,
quod non ante suos Capua ad suffragia mittet,
quam Carthago suos.
Postquam nunc dicta senatus,
nunc facta exposuit, tum ueris falsa per artem 130
Virrius admiscens cecinit fatale cruenti
turbatis signum belli. furiata iuuentus
arma, arma Hannibalemque uolunt. ruit undique uulgus
et Poenos in tecta uocant. ingentia facta
Sidonii iuuenis celebrant: ut ruperit Alpes 135
Herculei socius decoris diuisque propinquas
transierit cursu rupes, ut caede referta
clauserit Eridani uictor uada, uictor ut idem
Lydia Romano turbarit stagna cruore,
ut Trebiae ripas aeterno nomine famae 140
tradiderit Paulumque idem inter proelia et idem
Flaminium, proceres rerum, demiserit umbris.
his super excisam primori Marte Saguntum
et iuga Pyrenes et Hiberum et sacra parentis
iuratumque uiro bellum puerilibus annis 145

**118** agis Ch *edd. recc.* **126** referet ωCh : -at *edd. a* v **127** durabit αΓ²ς : duc- G : durabat γ **128. 129** suos … suos *cf. 9, 181 sq.* **132** turbatis Γ²ς : -i ω **133** *alterum* arma *deest* Or2 *edd. a* v **135** ruperit ωCm *Ep. 101* : uic- r2 *edd. a* v **139–141** *om.* F (*add. m. 2 marg.*) V (*add. m. 1 in ima pagina*)˙ **141** et αr1 : ut β

accumulant. unum ducibus tot caede peremptis,
tot fusis acie, stare inter proelia nullis
attactum telis. superum cum munere detur
huic sociare uiro dextras et foedere iungi,
fastus exsanguis populi uanumque tumorem 150
nimirum Capua et dominatum perferat urbis
ceu famulis fasces aequataque iura negantis?
prorsus enim tanto potiorem ⟨in⟩ nomine habendum
Varronem, ut fugiat consul fulgentior ostro.
 Talia iactantes iam lectam sorte parabant 155
mittere quae Tyrios adiungat foedere pubem.
sed non inuictum ponebat pectore robur
tum solum Decius Capuae decus. isque receptus
in medios coetus (neque enim differre dabatur)
'itis,' ait 'ciues, uiolanda ad iura parentum 160
damnatumque caput temerati foederis aris
iungitis hospitio? quae tanta obliuio recti!
magnum atque in magnis positum populisque uirisque
aduersa re stare fidem. nunc tempus inire
proelia pro Rutulis, nunc signa aciemque mouere, 165
dum trepidae res et medicinam uulnera poscunt.
is locus officio, cum cessant prospera cumque
dura ad opem Fortuna uocat. nam laeta fouere
haudquaquam magni est animi decus. huc, age, adeste.
noui dis animas similes et pectora magnis 170
numquam angusta malis; capiunt, mihi credite, Cannas

**146** duobus LG **149** huic $\Gamma^2$ς : hinc ω foedera ς *edd. vett.* **150** fastus et exanguis *edd. a* r1 **151** urbi Ch **153** in *add. Bailey coll. 13, 859* **162** obliuia $\Gamma^2$ς *sed v. Thes. 9, 2, 107, 16 sqq.* **163** magnum b1 *et iam marg. exemplaris Vat. Inc. II 427 ed. Venetae 1483* : -na ωCh : -nam $\Gamma^2$ς positum *Vat. Inc. II 427, Heinsius* : -am ωCh **164** aduersa re stare *Bailey* : -a ostendere α : -am o. β (ostentare δς) : -am ostentare Ch (*sed Livineius ex edd. 1512. 1547*) : -is seruare *edd. a* b1 **169** huc $F^2$β : hoc F : hinc L decus *om.* δ (*corr. in* T) **171** augusta α cannas $F^2$ *Livineius* : -i L : -(a)e Fβ

et Thrasymenna uada et Pauli memorabile letum.
hi sunt qui uestris infixum moenibus hostem
deiecere manu et Capuam eripuere superbis
Samnitum iussis. hi sunt qui iura dedere 175
terrore expulso Sidicinaque bella remorunt.
quos fugitis socios? quosue additis? ille ego sanguis
Dardanius, cui sacra pater, cui nomina liquit
a Ioue ducta Capys magno cognatus Iulo,
ille ego semihomines inter Nasamonas et inter 180
saeuum atque aequantem ritus Garamanta ferarum
Marmarico ponam tentoria mixtus alumno
ductoremque feram, cui nunc pro foedere proque
iustitia est ensis solaeque e sanguine laudes?
non ita, non Decio permixtum fasque nefasque, 185
haec ut uelle queat. nullo nos inuida tanto
armauit natura bono, quam ianua mortis
quod patet et uita non aequa exire potestas.'
Haec uana auersas Decius iactauit ad aures.
ast delecta manus iungebat foedera Poeno. 190
iamque aderat praemissa duci turbante tumultu
Autololes numerosa cohors. ipse agmine magno
festinata citus per campos signa mouebat.
et Decius: 'nunc hora, uiri, nunc tempus. adeste,
dum Capua dignum, dum me duce dextera uindex 195
molitur facinus. procumbat barbara pubes.
pro se quisque alacres rapite hoc decus. hostis adire
si parat, obstructas praebete cadauere portas

173 nostris δ 175 samnitum Fς : sann- Lβ 177 auditis Ch 179 ab *edd. recc.* 180 inter (*prius*) $F^2$β : nitor α 181 ritus ωCm *Ep. 101* : rictum r2 *edd. a* v 186 haec ut α$\Gamma^2$ : haec ait ut β uos r2 *edd. a* v 188 et ω *Livineius* : e *edd. a* v 189 auersas Lδ : adu- FGV auras δ (*corr. in* Γ) 193 citus α$\Gamma^2$ : ortus β 195 *alterum* dum *om.* F 196 procumbit δ (*corr. in* Γ) 198 replete $\Gamma^2$ς

et ferro purgate nefas. hic denique solus
eluerit sanguis maculatas crimine mentes.' 200
Dumque ea nequiquam non ulli laeta profatur,
audita asperitate uiri coeptoque feroci
multa feta gerens ira praecordia Poenus
adstabat muris propereque accersere lectos
immitem castris Decium iubet. horrida uirtus 205
armatumque fide pectus rectique cupido
et maior Capua mens imperterrita mole
inuicta stabat toruoque minacia uultu
iussa ducis uerbisque etiam incessebat amaris.
quem Libyae rector tot signa, tot arma ferentes 210
spernentem increpitans magno clamore profatur:
'post Paulum, post Flaminium componimur, eheu,
uecordi Decio, mecum certasse uolenti
in decus et famam leti. rapite ite citati
signa, duces. pateatne mihi Campana uetante 215
urbs Decio, explorare libet, noua bella mouenti
cui patuere Alpes, saxa impellentia caelum
atque uni calcata deo.' suffuderat ora
sanguis, et a toruo surgebant lumine flammae.
tum rictus spumans et anhelis faucibus acta 220
uersabant penitus dirum suspiria murmur.
sic urbem inuectus toto comitante senatu
et uulgo ad spectanda ducis simul ora ruente
effundit cunctam rabiem irarumque procellas.
Necnon et Decio propiora pericula mentem 225
flammarant, tempusque adeo cernebat adesse,
quo laudes ducis inuicti superaret inermis.

199 purgate αΓ² : pugnate β (-re Γ) 202 coeptoque αΓ² : -taque β 208 minacia LCh : -tia F : uiuacia β (-antia V) : minantia F²Γ²ς 212 eheu FGVCm *Ep. 101* : ehen L : heu δ : heu heu ς *edd. vett.* 214 ite ωCm : inde *edd. a* rl 215 pateatne Cm : pateat ω : pateatque Γ²ς 217 saxaque δ (que *del. in* Γ) 218 suffunderat V : diffuderat O 220 rictu *edd. a* p spumas *edd. a* v 222 inuectus toto ωCm : ingreditur tanto ς

non illum fuga, non clausi occuluere penates,
sed liber, ueluti nullus penetrasset in urbem
Hannibal, intrepido seruauerat otia uultu, 230
cum iuuenem saeuis, horrendum, concitus armis
inuadit globus et pedibus sublime sedentis
ductoris sistit. tonat inde ferocibus alte
incessens uictor dictis: 'solusne ruentem
fulcire et reuocare paras a funere Romam, 235
o demens? en, qui diuum mihi munera tanta
eripiat. Decio prorsus seruabar inerti
uincendus, Decio imbelli, cui femina nulla
orta in Agenoreis nostrae Carthaginis oris
cesserit. huic agedum (nam cur indigna feramus?) 240
magnanimo, miles, meritas innecte catenas.'
dixerat haec, necdum finem conuicia norant.
illatus uelut armentis super ardua colla
cum sese imposuit uictorque immane sub ira
infremuit leo et immersis grauis unguibus haesit, 245
mandit anhelantem pendens ceruice iuuencum.
at Decius, dum uincla ligant 'necte ocius' inquit
'(nam sic Hannibalem decet intrauisse) catenas,
foederis infausti pretium. sic uictima prorsus
digna cadit Decius. nec enim te sanguine laetum 250
humano sit fas caesis placasse iuuencis.
en dextra! en foedus! nondum tibi curia necdum
templorum intrati postes: iam panditur acri
imperio carcer. perge ac primordia tanta

232 inuadunt Ch 233 sistunt *Heinsius* 235 ac (*pro* et) *edd. a* v parans O 237 seruabar $\Gamma^2$ς : -at ω 238 cui $\Gamma^2$ς : ceu ω (seu O) 240 huic r1 : huc ω 241 magnanimo α$\Gamma^2$r2 *edd. a* v : -e β : -e o ς : -i *nom. plur. Summers* *post 242 aliquid excidisse suspicor. 243–246 post 231 Lefebvre, post 224 Bothe* 244 immanis ab *Heinsius, Ker* 247 ac αV 249 prorsus αr2 *edd. a* v : pressus β (p̄sus V p̄ssus O) 250 cadat *edd. vett.* 252 en f. β : heu f. α 253 intrati ωCm *Ep. 101* : -anti *edd. a* v poscis L

accumula paribus factis. mihi fama sub umbras 255
te feret oppressum Capuae cecidisse ruinis.'
nec plura effari concessum. obnubitur atra
ueste caput, trahiturque ferox ante ora suorum.
Exin uictor ouans sedato pectore tandem
spectandis urbis tectis templisque serenos 260
laetus circumfert oculos et singula discit:
quis muris sator, et pubes sit quanta sub armis,
quot bello pateant argenti aerisque talenta,
nunc qualis frenata acies, nunc deinde pedestris
copia quanta uiris. monstrant Capitolia celsa 265
Stellatesque docent campos Cereremque benignam.
Iamque diem ad metas defessis Phoebus Olympo
impellebat equis, fuscabat et Hesperus umbra
paulatim infusa properantem ad litora currum:
instituunt de more epulas festamque per urbem 270
regifice exstructis celebrant conuiuia mensis.
ipse deum cultu et sacro dignatus honore
praecipuis multoque procul splendentibus ostro
accipitur sublime toris. non una ministri
turba gregis: posuisse dapes his addita cura, 275
his adolere focos, his ordine pocula ferre;
necnon et certis struitur penus. aspera mensa
pondera caelati fulgent antiquitus auri.
eripiunt flammae noctem, strepituque mouentum

255 umbras Cm : -is ω 257 effari αGΓ² : aff- γ 263 lateant *Burmann* : iaceant *Schrader coll. Verg. Aen. 10, 526, sed cf. infra 539* argentis δ (*corr. in* Γ) (a)erisque αG *marg.* δCh : aurique GV *totum versum rescripsit* b1 quotque auri pateant bello argentique t. 266 stellatesque v : -antisque ω 268 impellebat F²δ : -abat αGV aquis δ (*corr. in* Γ) 270 instituit δ (*corr. in* Γ) 273 praecipuus B r2 *fort. recte, cf. Verg. Aen. 8, 177* 276 dolore (*pro* adolere) F 279 mouentum *suspectum* : uocantum *Ruperti* : ministrum *Postgate* : *fort. scribendum* madentum, *nihil mirum in Campanis iam ab initio cenae potantibus; cf. 407; recto ordine fit strepitus convivarum Verg. Aen. 1, 725*

murmurat alta domus. stupet inconsuetus opimae 280
Sidonius mensae miles faciemque superbi
ignotam luxus oculis mirantibus haurit.
uescitur ipse silens et tantos damnat honores
esse epulis facilesque coli tanto agmine mensas,
donec pulsa fames et Bacchi munera duram 285
laxarunt mentem. tum frontis reddita demum
laetitia et positae grauiores pectore curae.
Personat Euboica Teuthras testudine, Cymes
incola, et obtusas immiti murmure saeuae
inter bella tubae permulcet cantibus aures. 290
namque Iouem et laetos per furta canebat amores
Electraeque toros Atlantidos, unde creatus
proles digna deum tum Dardanus, isque Tonanti
ut det Ericthonium magna de stirpe nepotem.
hinc Tros, hinc Ilus, generis tunc ordine longo 295
Assaracus, nulloque minor famaue manuue
tum Capys ut primis dederit sua nomina muris.
concelebrant plausu pariter Sidonia pubes
Campanaeque manus. ante omnes ductor honori
nominis augusto libat carchesia ritu; 300
cetera quem sequitur Bacchique e more liquorem
irrorat mensis turba ardescitque Lyaeo.
Interea, Tyrio resoluta in gaudia coetu
conuerso (neque enim, iuuenis non digne sileri,
tramittam tua coepta libens famamque negabo 305

**283** cantos F (*corr.*) : cautos V **286** frontis ωCh : -i *edd. a* v **288** euboica $\alpha\Gamma^2$ : eb- β teuthras $F^2$ *in lac.* GV : ten- L : theucras O : teuchras Γ cymes r2 : cumes $\Gamma^2$ : crines ω *ante 291 versus 453–458 ins. Summers* **291** iamque ς *edd. vett.* **293** sit (*pro* tum) *Watt 1985* **294** ericthonium r2 *v. Schulze, Orthographica et Graeca Latina, Roma 1958, 78* : ericthomum F : erithomum L : erithonium β (erichonum O) : erichthonium *edd.* **297** capys $\Gamma^2$r1 : -is ω primus Lr2 *edd. a* v **298** plausu $\Gamma^2$ς : -a ω **300** augusti ΞΑΧΤΔΨ *Ruperti* (*et* rite *pro* -u)

quamquam imperfectis, magnae tamen indolis, ausis)
mens una, inuiolata mero nullisque uenenis
potando exarmata decus, pugnaeque necisque
Sidoniae tacito uoluebat pectore molem.
quoque esset miranda magis tam sacra libido, 310
Pacuuio genitus patrias damnauerat artes.
is uariis oneratum epulis atque atria tardo
linquentem gressu comitatus pone parentem,
postquam posse datum meditata aperire nouosque
pandere conatus et liber parte relicta 315
tectorum a tergo patuit locus, 'accipe digna
et Capua et nobis' inquit 'consulta' togaque
armatum amota nudat latus: 'hoc ego bellum
conficere ense paro atque auulsum ferre Tonanti
rectoris Libyci uictor caput. hic erit ille, 320
qui polluta dolis iam foedera sanciet, ensis.
si perferre nequit spectacula tanta senectus
et tremit inceptis lasso maioribus aeuo,
at tu securis concede penatibus et me
linque meae menti. summum quod credis et aequas 325
Hannibalem superis, o quantum nomine maior
iam Poeno tibi natus erit!' uibrabat ab ore
ignis atrox, animusque uiri iam bella gerebat,
cum senior tanti pondus conaminis aegra
iam dudum uix aure ferens tremebundus ibidem 330
sternitur et pedibus crebro pauida oscula figens:
'per si quid superest uitae, per iura parentis
perque tuam nostra potiorem, nate, salutem,

308 potandi *Heinsius, fort. recte* decus *ad sequentia trahunt edd. plerique* poenaeque *Heinsius* (*'fort. recte, cf. 6, 500' Summers, sed cf. 318; 328; 336*) **310** tam r1 : tum ω (cum O) **311** pacuuio PΓ²p : paccullo αV : pacculo GO : pactulo Γς : Pacullo Ch damnauerat γ : -erit αG **313** pone Γ²ς : pene ω (poenae F) **324** at Ch : et ω securus *D. Heinsius* : secretis *N. Heinsius* **333–338** *m. 2 in lac.* F

absiste inceptis, oro, ne sanguine cernam
polluta hospitia ac tabo repleta cruento 335
pocula et euersas pugnae certamine mensas.
tune illum, quem non acies nec moenia et urbes
ferre ualent, cum frons propior lumenque corusco
igne micat, tune illa uiri, quae uertice fundit,
fulmina pertuleris, si uiso intorserit ense 340
diram, qua uertit per campos agmina, uocem?
fallit te, mensas inter quod credis inermem.
tot bellis quaesita uiro, tot caedibus armat
maiestas aeterna ducem. si admoueris ora,
Cannas et Trebiam ante oculos Thrasymennaque busta 345
et Pauli stare ingentem miraberis umbram.
quid? tanto in casu comitum iuxtaque iacentum
torpebunt dextrae? parce, oro, et desine uelle,
cui nequeas uictor superesse. an tristia uincla
et Decius non erudiunt componere mentem?' 350
Talia commemorans famae maioris amore
flagrantem ut uidit iuuenem surdumque timori,
'nil ultra posco, refer in conuiuia gressum;
approperemus;' ait 'non iam tibi pectora pubis
Sidoniae fodienda manu tutantia regem. 355
hoc iugulo dextram explora. namque haec tibi ferrum,
si Poenum inuasisse paras, per uiscera ferrum
nostra est ducendum. tardam ne sperne senectam.
opponam membra atque ensem extorquere negatum
morte mea eripiam.' lacrimae tunc ore profusae 360
et magni superum cura seruatus in arma
Scipiadae Poenus, nec tantum fata dederunt
externa peragi dextra. pulcherrimus irae

337 nec ω : non r1p : neque *edd. a* j 338 propior F *marg.* ς : proprior Lβ 340 interserit L ense $\alpha\Gamma^2$ς : -em β 341 qua $\alpha\Gamma^2$ς : quam β 355 fugienda V 356 haec ωCm *Ep. 101* : hoc $\Gamma^2$ς : huc *Heinsius, Ker* 357 ferrum ωCm : lenta *edd. a* j 358 docendum δ (*corr. in* Γ) 361 magni *Damsté* : -a ω

et dignus fieri compos memorabilis ausi,
amisit quantam posito conamine laudem, 365
cui tantum est uoluisse decus! tum reddere sese
festinant epulis et tristia fronte serenant,
donec laeta uirum soluit conuiuia somnus.
Postera lux Phaethontis equos proferre parabat
iam rapido summis curru splendente sub undis. 370
at iuuenis magno generatus Hamilcare duras
iam dudum exercet curas: Carthaginis arces
ire ferox Mago et patribus portare iubetur
nuntius acta ducis. praeda et captiua leguntur
corpora dereptaeque uiris sub Marte cruento 375
exuuiae, fausti superis libamina belli.
altera curarum Libycis dimittitur oris
heu Decius, reduci lentas seruatus ad iras,
ni poena iuuenem indignum miseratus ab alto
Iuppiter antiquam Batti uertisset ad urbem. 380
hic Pellaea uirum Ptolomaei sceptra uehentum
eripuere minis, resolutaque uincula collo.
atque eadem uitae custos mox deinde quieto
accepit tellus ossa inuiolata sepulcro.
Nec Venerem interea fugit exoptabile tempus 385
Poenorum mentes caeco per laeta premendi
exitio et luxu corda importuna domandi.
spargere tela manu passim fallentia natis
imperat et tacitas in pectora mittere flammas.

364 compos αΓ² : ca- β 366 reddere FΓ²ς : cedere F²Lβ 370 rapido summis Cm *Ep. 101* : -os omnis ω 371 at *Heinsius, cf. e.g. 1, 557; 7, 285; Verg. Aen. 4, 529* : et ω 374 nuntius acta *Blass 1867, 37, cf. Stat. Theb. 2, 651; Liv. 23, 11, 7* : nuntia facta ω 375 dereptaque ω (-rect- F) *Livineius* : di- Γ²ς 378 reduci αΓ² : -e β 379 poena i. indignum *scripsi* (indignum *iam Heinsius*) : -ae i. -ae ω ab alto *sc. mari, cf. Verg. Aen. 1, 110; Val. Fl. 4, 483* 380 batti Γ²ς : bacci F : bacchi L : batri β 381 pellaea Γ² : pellea δ : poelea F : pelea LGV 384 accipit δ (*corr. in* Γ) 389 tacitas αVΓ² : tantas Gδ

tum pueris dulce arridens: 'eat improba Iuno 390
et nos (nec mirum, quid enim sumus?) acta secundis
despiciat. ualet illa manu, ualet illa lacertis;
paruula nos arcu puerili spicula sensim
fundimus, et nullus nostro de uulnere sanguis.
uerum agite, o mea turba, precor (nunc tempus) adeste 395
et Tyriam pubem tacitis exurite telis.
amplexu multoque mero somnoque uirorum
profliganda acies, quam non perfregerit ensis,
non ignes, non immissis Gradiuus habenis.
combibat illapsos ductor per uiscera luxus, 400
nec pudeat picto fultum iacuisse cubili,
nec crinem Assyrio perfundere pugnet amomo.
ille sub hiberno somnos educere caelo
iactator tectis malit consumere noctes,
ac ponat ritus uescendi saepe citato 405
dum residet sub casside equo, discatque Lyaeo
imbellem donare diem. tum deinde madenti
post epulas sit grata chelys, segnisque soporas
aut nostro uigiles ducat sub numine noctes.'
Haec postquam Venus, applaudit lasciuus et alto 410
mittit se caelo niueis exercitus alis.
sentit flammiferas pubes Maurusia pennas,
et pariter fusis tepuerunt pectora telis.
Bacchi dona uolunt epulasque et carmina rursus
Pieria liquefacta lyra. non acer aperto 415
desudat campo sonipes, non ulla per auras
lancea nudatos exercet torta lacertos.

**391** aucta rlmp **392** despiciat $\Gamma^2\varsigma$ : di- $\omega$ **394** fundamus $\delta$ (*corr. in* $\Gamma$) it *Heinsius, alii* **402** pugnet $\alpha$GV : piget $\delta\varsigma$ **403** se ducere *Barth* **404** iactatus $\varsigma$ tectis $\alpha$GV$\Gamma^2$ : telis $\delta$ : de .. Ch **406** cum (*pro* sub) $\varsigma$ **408** chelys v : -is $\omega$ (telis L) segnisque $\alpha$V$^2\Gamma^2$ : si- $\beta$ **412** maurusia L$\Gamma^2\varsigma$ : in aurusia F : maurisia $\beta$ **414** uolant $\delta$ (*corr. in* $\Gamma$) cursus L : curant *Summers, male*

mollitae flammis lymphae languentia somno
membra fouent, miserisque bonis perit horrida uirtus.
ipse etiam afflatus fallente Cupidine ductor 420
instaurat mensas dapibus repetitque uolentum
hospitia et patrias paulatim decolor artes
exuit occulta mentem uitiante sagitta.
altera iam patria atque aequo sub honore uocatur
altera Carthago Capua, intactumque secundae 425
fortunae ingenium uitia allicientia quassant.
nec luxus ullus mersaeque libidine uitae
Campanis modus. accumulant uariasque per artes
scenarum certant epulas distinguere ludo,
ut strepit assidue Phrygiam ad Nilotica loton 430
Memphis Amyclaeo †passim† lasciua Canopo.
imprimis dulcem Poeno laetante per aures
nunc uoce infundit Teuthras, nunc pectine cantum.
isque ubi mirantem resonantia pollice fila
ductorem uidit Libyae, canere inde superbas 435
Aoniae laudes sensim testudinis orsus
concordem citharae mouit per carmina linguam,
uincere linquentes uitam quae possit olores.
atque haec e multis carpsit mollissima mensae:
'Argolicis quondam populis, mirabile dictu, 440
exaudita chelys lapidem testudine felix
ducere et in muris posuisse uolentia saxa.
haec Amphionio uallauit pectine Thebas
ac silice aggeribus per se scandente locatis

**426** uitia $\alpha V \Gamma^2$ : ricia G$\delta$ allicientia *scripsi* (allectantia *Bothe*) : adlatrantia $\omega$ *frustra def. Blomgren* **427** uit(a)e $\alpha V \Gamma^2$ : rite G$\delta$ **430** assidue ad Phrygiam Nilotica *Heinsius* **431** amycleo (ami-) $F^2$G$\varsigma$ : amydeo $\alpha$ : amideo $\gamma$ passim $\omega$ : pariter *Thilo 1864* : *versum e duobus esse conflatum Hilbergio* (*p.l.*) *adsensi sunt Bauer et Summers* **435** canere $\alpha\Gamma^2$ : cau- $\beta$ **441** chelys v : -is $\omega$ (telis F) dulcedine *Thilo 1864, 406* **442** muros r2 *edd. a* v uolentia $\alpha$Ch *cf. Stat. Theb. 7, 665* : -antia $\beta$ **444** locatis *Heinsius, cf. 13, 61* : u- $\omega$

iussit in immensum cantatas surgere turres. 445
altera turbatum plectro moderata profundum
et tenuit phocas et in omni Protea forma
traxit et aequoreo portauit Ariona dorso.
nam quae Peliaca formabat rupe canendo
heroum mentes et magni pectora Achillis, 450
Centauro dilecta chelys compesceret iras
percussa fide uel pelagi uel tristis Auerni.
namque chaos, caecam quondam sine sidere molem
non surgente die, ac mundum sine luce canebat.
tum deus ut liquidi discisset stagna profundi 455
tellurisque globum media compage locasset,
ut celsum superis habitare dedisset Olympum,
castaque Saturni monstrabat saecula patris.
sed quos pulsabat Riphaeum ad Strymona neruos
auditus superis, auditus manibus Orpheus, 460
emerito fulgent clara inter sidera caelo.
hunc etiam mater, tota comitante sororum
Aonidum turba, mater mirata canentem.
non illo Pangaea iuga aut Mauortius Haemus,
non illo modulante sonos stetit ultima Thrace. 465
cum siluis uenere ferae, cum montibus amnes,
immemor et dulcis nidi positoque uolatu
non mota uolucris captiua pependit in aethra.

445 et (*pro* in) δς 447 detinuit *Heinsius* 449 iam *Dausqueius, edd. recc.* formabat ωCh : fren- ς 453–458 *post 433 ins. Bothe, post 290 Summers; ego Orpheo potius attribuendos post 461 inserere malim, id quod iam Rupertio in mentem venerat* 453 iamque *Dausqueius, edd. recc.* 455 discisset FCh (*forma dubitabilis pro 'discidisset'; cf. Sommer, Laut- und Formenlehre² 589*) : -cusset F²r l m p *Livineius* : -cusse β : -cussit LΓ²ς : diuisset *Blass* 456 ligasset ς 459 neruos *Cellarius et Schrader* : -is ω (uernis GV) Ch : -i Γ²ς *edd.* 460 auditos s. auditos *Schrader, fort. recte* 462 hunc αΓ : n- β 466 fontibus *Schrader* 468 mota Γ²ς : mora ω

quin etiam, Pagasaea ratis cum caerula nondum
cognita terrenae pontumque intrare negaret, 470
ad puppim sacrae cithara eliciente carinae
adductum cantu uenit mare. pallida regna
Bistonius uates flammisque Acheronta sonantem
placauit plectro et fixit reuolubile saxum.
o dirae Ciconum matres Geticique furores 475
et damnata deis Rhodope! tulit ora reuulsa
in pontum ripis utraque sequentibus Hebrus.
tum quoque, cum rapidi caput a ceruice recisum
portarent fluctus, subito emicuere per undas
ad murmur cete toto exsultantia ponto.' 480
sic tunc Pierius bellis durata uirorum
pectora Castalio frangebat carmine Teuthras.

Interea placida attulerant iam flamina terris
Magonem Libycis. lauro redimita subibat
optatos puppis portus, pelagoque micabant 485
captiua arma procul celsa fulgentia prora.
at patulo surgens iam dudum ex aequore late
nauticus implebat resonantia litora clamor,
et simul adductis percussa ad pectora tonsis
centeno fractus spumabat uerbere pontus. 490
nec lentum in medios rapienda ad gaudia uulgus
procurrit fluctus, elataque turba fauore
certatim ingenti celebrat noua gaudia plausu.
aequatur rector diuis. illum undique matres,

469 pagasea Γ²v : pe- ω (pre- Γ) cui ς 470 terren(a)e ω *cf. Lucan. 6, 401* : tyrrhenae r1 : terrigenis *edd. a* v : terrerent *Summers, qui tuetur* pontoque ... negarent, *post 470 versum excidisse ratus, sed intellege 'cum P. r. caerula sibi terrenae adhuc ignota pontumque intrare negaret' (Koch 27 sqq.)* pontumque *Livineius* : -oquo ω negaret v : -ent ω 477 utrimque Γ²ς 478 tum αΓ² : tu β 481 tunc α : tum β 483 placita appulerant *Heinsius* 493 celebrat ωCh : -ant *edd. vett.* gaudia *suspectum* : praemia *Bothe* : *an* nuntia? *cf. Catull. 63, 75* noua nuntia 494 matres Γ²ς : -is ω

illum turba minor, moniti gaudere nepotes, 495
et senior manus et iuxta populusque patresque
mactatis superum dignantur honore iuuencis.
sic patriam Mago et portas ingressus ouantes
fraternae laudis fama. ruit inde senatus,
et multo patrum stipatur curia coetu. 500
tum diuos ueneratus auum de more uetusto
'Martem' ait 'egregium et fractas, quis Itala tellus
nitebatur, opes, pars ipse haud parua laborum,
nuntio. pugnatum superis in uota secundis.
est locus, Aetoli signat quem gloria regis, 505
possessus quondam prisca inter saecula Dauno.
umentes rapido circumdat gurgite campos
Aufidus et stagnis intercipit arua refusis,
mox fluctus ferit Hadriacos magnoque fragore
cedentem impellit retrorsus in aequora pontum. 510
hic Varro et magnum Latia inter nomina Paulus
nomen, quis rerum ducibus permissa potestas,
uixdum depulsa nigrae caligine noctis
inuadunt campum et late fulgentibus armis
accendunt ultro lucem surgentis Eoi. 515
nos contra (nam germanum furor acer agebat
optatae pugnae) castris cita signa mouemus.
intremit et tellus et pulsus mugit Olympus.
hic fluuium et campos abscondit caede uirorum
ductor, quo numquam maiorem ad bella tulerunt 520
rectorem terrae. uidi cum turbine saeuo
Ausonia et sonitu bellantis fusa per agros
uni terga daret. uidi cum Varro citato
auferretur equo proiectis degener armis.
quin et magnanimum perfosso corpore telis 525

497 dignantur ς : -atur ω  511 hunc *Bothe*  518 *prius* et *om.* δ : intremuit t. Γ[2] *edd. vett.*  522 ausoniam δ (*corr. in* Γ)  525 magnanimum F[2] L Γ[2] : magna nimium F β

strage super socium uidi te, Paule, cadentem.
Aegates ille et seruilia foedera larga
ultus caede dies. non plus optasse liberet,
quam tum concessit dexter deus. altera iam lux
si talis redeat, populis sis omnibus una 530
tum, Carthago, caput terrasque colare per omnes.
testes hi stragis, quos signum illustre superbis
mos laeua gestare uiris.' tum funditur ante
ora admirantum praefulgens anulus auro
datque fidem uerbis haud paruo insignis aceruo. 535
hinc iterum repetens 'restat nunc sedibus imis
uertenda atque aequanda solo iam subruta Roma.
annitamur,' ait 'uires refouete tot haustas
casibus, et pateant non parca aeraria dextris,
quas emimus bello. defit iam belua, tristis 540
Ausoniis terror, necnon alimenta fatigant.'
Atque ea dum memorat, toruo conuersus in ora
Hannonis uultu, quem gliscens gloria prauum
ductoris studio iam dudum agitabat acerbo:
'iamne tibi dextras inceptaque nostra probamus? 545
iam fas Dardanio me non seruire colono?
anne iterum Hannibalem dedi placet? atra ueneno
inuidiae nigroque undantia pectora felle
tandem tot titulis totque exorata tropaeis

**526** strage $\Sigma^2$ *Vat. Inc. II 427 marg., Livineius* : stare ω **529** quam tum Cm *Ep. 64* : quantum ω **530** si talis r. p. αCm : si r. p. β : si r. p. certe $\Gamma^2$ς eris *Withof* **531** colare g : -ere ω **536** restat αrl : -et β **537** iam *om.* δ (*corr. in* Γ) **538** refouere *Heinsius* **539** ut Ch **540** bello ωCh : -is ς defit αV$\Gamma^2$ : desit Gδ castris *Heinsius* **541** alimenta α$\Gamma^2$ς : ele- β fatiscunt *Burmann, quod exemplo caret* **543** paruum γ (*corr. in* VΓ) **544** ductoris $\Gamma^2$ς : -i ωCh acerbo $F^2$L$\Gamma^2$ : -uo Fβ **545** iamne ωCm *Ep. 64* : -que ς **549** exorata Cm : -orn- ω : -arm- *Schrader*

infelix muta. dextra en, en dextera, quam tu 550
Aeneadis lacerare dabas, et litora et amnes
et stagna et latos impleuit sanguine campos.'
haec Mago, atque animos fauor haud obscurus alebat.
Cui simul inuidia atque ira stimulantibus Hannon:
'talia uesani iuuenis conuicia miror 555
haud equidem. tumet ingenio, fraternaque corda
non tarde agnoscas et uirus futile linguae.
qui ne mutatum uanis absistere credat,
nunc pacem orandum, nunc improba foedere rupto
arma reponenda et bellum exitiale cauendum 560
auctor ego. atque adeo uosmet perpendite, quaeso,
quid ferat. haud aliud nobis censere relictum est.
tela, uiros, aurum, classes, alimenta precatur
belligeramque feram. uictus non plura dedissem.
sanguine Dardanio Rutulos saturauimus agros, 565
et iacet in campis Latium. deponere curas
tandem ergo bone da uictor, liceatque sedere
in patria, liceat non exhaurire rapacis
impensis belli uacuatos saepe penates.
nunc en, nunc, inquam (falsa ut praesagia nostra 570
sint, oro, mensque augurio ludatur inani)
haud procul est funesta dies. atrocia noui
corda ac prospicio natas e cladibus iras.
uos ego, uos metuo, Cannae. summittite signa

550 dextra en en dextera αCm (*ubi alterum* en *errore typothetae omissum*) : dextra en en dextra β (*alterum* en *om.* V) : dextra haec en dextera ς 552 Latios *Heinsius* Latio compleuit *Schrader* 553 habebat *edd. vett.* 555 uesani $F^2L\Gamma^2$ : uexani F : uexane GV : uesane Γ : uesana O iunonis δ (*corr. in* Γ) 558 quin *Livineius* credat Cm *Ep. 64* : -s ω *fort. recte et* quin *adoptandum* 559 orandum Cm (*cf. Verg. Aen. 11, 230* pacem ... petendum) : -am ω 560 reponendum r1mp *edd. recc., v. Håkanson* 564 uictis *Livineius* num plura petisset *Heinsius* 565 saturauimus $\alpha\Gamma^2$ : satur animus β (-os O) 571 laudatur V : led- ς

atque adeo temptate, agedum, ac deposcite pacem: 575
non dabitur. parat ille dolor, mihi credite, maius
exitium accepto, citiusque haec foedera uictor
quam uictus dabit. atque adeo, qui tanta superbo
facta sonas ore et spumanti turbine perflas
ignorantum aures, dic, en, germanus in armis 580
ille tuus par Gradiuo, per saecula tellus
cui similem numquam ductorem in bella creauit,
moenia Romuleae cur nondum uiderit urbis.
scilicet e gremio matrum rapiamus in hostem
nondum portandis habiles grauioribus armis, 585
aeratas iussi texamus mille carinas,
atque omnis Libyae quaeratur belua terris,
ut longa imperia atque armatos proroget annos
Hannibal et regnum trahat usque in tempora fati.
uos uero (neque enim occulto circumdamur astu) 590
ne dulces spoliate domos, castrisque potentum
atque opibus sancite modum. pax optima rerum,
quas homini nouisse datum est, pax una triumphis
innumeris potior, pax custodire salutem
et ciues aequare potens reuocetur in arces 595
tandem Sidonias, et fama fugetur ab urbe
perfidiae, Phoenissa, tua. si tanta libido
armorum tenet atque enses non reddere perstat
poscenti patriae, nil suppeditare furori
hortor et haec fratri Magonem dicta referre.' 600
Plura annectentem (neque enim satiauerat iras
dicendo) clamor turbat diuersa uolentum:
'si Libyae decus, haud ulli superabilis armis,
Hannibal est irae tibi, destituemus ad ipsas

**575** agendum Gδ (*corr. in* Γ) et δ *edd. vett.* **584** e ωCh : a ς **586** iussi ω *Livineius* : -u *edd. a* v **588** armatus ς **591** spoliate $\Gamma^2$ς : -a ω **597** tua AQΔj : tuae ωCh **601** sauciauerat α

uictorem metas nec opum adiumenta feremus, 605
inuidia unius sceptra ut iam parta retardet?'
inde alacres tribuunt, quae belli posceret usus,
absentique suum iactant sub teste fauorem.
mox eadem terris placitum traducere Hiberis,
dum malus obtrectat facta immortalia liuor 610
nec sinit adiutas ductoris crescere laudes.

**607** poscere δ (*corr. in* Γ) **610** obtrectat α$Γ^2$ : -rac- β **611** sinit $F^2Γ^2$ς : sunt ω ad uitas $F^2$V

SILI ITALICI

PVNICORVM

LIBER DVODECIMVS

Iam terra glaciale caput fecundaque nimbis
tempora et austrifero nebulosam uertice frontem
immitis condebat hiems, blandisque salubre
uer Zephyris tepido mulcebat rura sereno.
prorumpit Capua Poenus uicinaque late 5
praemisso terrore quatit, ceu condita bruma,
dum Riphaea rigent Aquilonis flamina, tandem
euoluit serpens arcano membra cubili
et spondente die nouus emicat atque coruscum
fert caput et saniem sublatis faucibus efflat. 10
at Libyci ducis ut fulserunt signa per agros,
desolata metu cuncta, et suadente pauore
uallo se clausere simul trepidique salutis
exspectant ipsis metuentes moenibus hostem.
Sed non ille uigor, qui ruptis Alpibus arma 15
intulerat dederatque uias Trebiaque potitus
Maeonios Italo scelerauit sanguine fluctus,
tunc inerat. molli luxu madefacta meroque,
illecebris somni, torpentia membra fluebant.

**7** flamina $\Gamma^2$ς : flu- ω : flamine *Ruperti, Bauer, sed cf. Verg. georg. 3, 382* Riphaeo … Euro *et Petron. 123 v. 196* rigido … flamine **9** spondente ωCh *i. adhortante, cf. Val. Fl. 6, 117* : splen- G$\Gamma^2$ *edd. vett.* **10** efflat αG$\Gamma^2$ *edd. a* r1 : a- γ **11** libyci (-bi-) ducis Gδς : d. (dulcis V) l. αV **12** desoluta δ (*corr. in* Γ) **16** impulerat *Heinsius* **19** *post* somni *distinxi* : et somni illecebris *Heinsius* : illecebraque omni *Summers*

quis gelidas suetum noctes thorace grauatis 20
sub Ioue non aequo trahere et tentoria saepe
spernere, ubi hiberna ruerent cum grandine nimbi,
ac ne nocte quidem clipeiue ensesue reposti,
non pharetrae aut iacula, et pro membris arma fuere,
tum graue cassis onus maioraque pondera uisa 25
parmarum ac nullis fusae stridoribus hastae.
Prima instaurantem sensit certamina mitis
Parthenope, non diues opum, non spreta uigoris;
sed portus traxere ducem secura uolentem
aequora, quae peteret ueniens Carthagine puppis. 30
nunc molles urbi ritus atque hospita Musis
otia et exemptum curis grauioribus aeuum.
Sirenum dedit una suum, memorabile, nomen
Parthenope muris Acheloias, aequore cuius
regnauere diu cantus, cum dulce per undas 35
exitium miseris caneret non prospera nautis.
haec pone aggressus (nam frontem clauserat aequor)
moenia non ullas ualuit perfringere Poenus
tota mole uias frustraque inglorius ausi
pulsauit quatiens obstructas ariete portas. 40
stabat Cannarum Graia ad munimina uictor
nequiquam et cautae mentis consulta probabat
euentu, qui post Dauni stagnantia regna
sanguine Tarpeias ire abstinuisset ad arces.
'en, qui nos segnes et nescire addere cursum 45
factis iactastis, quod uobis scandere nuper
non acie ex ipsa concessum moenia Romae,
intrate atque epulas promissas sede Tonantis
his, quae Graia manus defendit, reddite tectis.'

25 tum ω : tunc ς  31.32 *post* 36 *Summers*  31 nunc ωCh : huic $\Gamma^2$ς : nam *edd. a* j  33 *dist. Bauer, contra vix recte Håkanson* : suum et *edd. a* j : suis *Heinsius*  37 pone $\Gamma^2$ς : p(o)eno ω aggressus $\Gamma^2$ς : egr- ω (aegr- F)  46 factis ω : fatis $\Gamma^2$ *edd. vett.* uobis V *edd. a* v : n- ω

talia iactabat famaeque pudore futurae, 50
irritus incepti prima si absisteret urbe,
audebat cuncta atque acuebat fraudibus enses.
sed subitae muris flammae totoque fluebant
aggeris anfractu tela improuisa per auras.
haud secus, occuluit saxi quos uertice fetus 55
ales fulua Iouis, tacito si ad culmina nisu
euasit serpens terretque propinquus hiatu,
illa hostem rostro atque adsuetis fulmina ferre
unguibus incessens nidi circumuolat orbem.
Tandem ad uicinos Cumarum uertere portus 60
defessus statuit uarioque lacessere motu
fortunam et famae turbando obstare sinistrae.
sed custos urbi Gracchus, tutela uel ipsis
certior arcebat muris, iterumque sedere
portis atque aditus iterum sperare uetabat. 65
lustrat inops animi rimaturque omnia circum
alite uectus equo rursusque hortatibus infit
laudum agitare suos: 'pro di, quis terminus' inquit
'ante urbes standi Graias, oblite tuorum
factorum miles, quis erit modus? Alpibus adstat 70
nimirum maior moles, et scandere caelum
pulsantes iubeo scopulos. quamquam altera detur
si similis tellus aliaeque repente sub astra
exsurgant rupes, non ibis et arduus arma

51 incepti *Dausqueius et Heinsius coll. 7, 131* : -a ω prima *Barth et Heinsius* : -us Fr2ς : -i L : -is βCh 53 e muris *et* pluebant *Heinsius* 55 quos ω *v. Housman ad Manil. 4, 534 et Blomgren* : quo *Blass 1867, 29 edd. recc.* : cum *Livineius* 56 nisu FΓ²ς : u- Lβ 58 fulmina Γ²ς : -e ω 59 incessus δ (*corr. in* Γ) 61 statuit *Delz 1986, 128 coll. Liv. 26, 7, 2* : subigit ω : subiit Ch 64 muris *abl. compar. et separ.* 65 portis ω : -us Ch uocabat *Bailey, vix recte, sed neque Håkanson locum expedivit; quod Gracchus urbi custos erat, Hannibali spem expugnationis ademit* 68 qui O *edd. vett.*

me ducente feres? tene heu Cumanus hiantem 75
agger adhuc murusque tenet? Gracchumque moueri
non ausum portis paruo in discrimine cerno?
an uobis gentes, quaecumque labore parastis,
casu gesta putent? per uos Tyrrhena fauentum
stagna deum, per ego et Trebiam cineresque Sagunti 80
obtestor, dignos iam uosmet reddite uestra
quam trahitis fama et reuocate in pectora Cannas.'
Sic ductor fessas luxu attritasque secundis
erigere et uerbis temptabat sistere mentes.
atque hic perlustrans aditus fulgentia cernit 85
arcis templa iugo, quorum tum Virrius, altae
immitis ductor Capuae, primordia pandit:
'non est hoc' inquit 'nostri, quod suspicis, aeui;
maiores fecere manus. cum bella timeret
Dictaei regis, sic fama est, linquere terras 90
Daedalus inuenit nec toto signa sequenti
orbe dare, aetherias aliena tollere in auras
ausus se penna atque homini monstrare uolatus.
suspensum hic librans media inter nubila corpus
enauit superosque nouus conterruit ales. 95
natum etiam docuit falsae sub imagine plumae
attemptare uias uolucrum, lapsumque solutis
pennarum remis et non felicibus alis
turbida plaudentem uidit freta, dumque dolori

75 tene Cm *Ep. 64* : te ne α : tenet β 76 gracchumque Γ² ς p *edd. a* l : -usque F G V Γ : -usue L O 77 ausus *Bauer* (*et coniecerat Livineius*) *perperam pro lectione tradita venditans; sensus est 'et Gracchum portis exire non ausum vix in periculo esse cerno?'* 78 an ω Cm : a b1 b2 79 per uos ω Cm : uos per *edd. a* l 81 uestrae Ch *unde* -ae ... famae *Heinsius* 82 pectora ω Ch : -e P H *edd. a* v 85 hinc *Drakenborch* 87 immitis *suspectum* 89 bella Ch (*expressis verbis 'quod Modium fugit'*) *i. odium, inimicitias*: regna ω *edd. recc. inepte, e Verg. Aen. 6, 14 fort. illatum, v. Delz 1986, 127* timeret ω Cm Ch : ten- *edd. a* r1 93 hominum O

indulget subito motis ad pectora palmis, 100
nescius heu planctu duxit moderante uolatus.
hic pro nubiuago gratus pia templa meatu
instituit Phoebi atque audaces exuit alas.'
Virrius haec. sed enim ductor numerabat inertes
atque actos sine Marte dies ac stare pudebat. 105
ingemit aduersis respectansque irrita tecta
urbe Dicarchea parat exsatiare dolorem.
hic quoque nunc pelagus, nunc muri saxea moles
officit audenti defensantumque labores.
dumque tenet socios dura atque obsaepta uiarum 110
rumpere nitentes lentus labor, ipse propinqua
stagnorum terraeque simul miracula lustrat.
Primores adsunt Capuae: docet ille, tepentes
unde ferant nomen Baiae, comitemque dedisse
Dulichiae puppis stagno sua nomina monstrat. 115
ast hic Lucrino mansisse uocabula quondam
Cocyti memorat medioque in gurgite ponti
Herculeum commendat iter, qua discidit aequor
Amphitryoniades, armenti uector Hiberi.
ille, olim populis dictum Styga, nomine uerso 120
stagna inter celebrem nunc mitia monstrat Auernum;
tum tristi nemore atque umbris nigrantibus horrens
et formidatus uolucri letale uomebat
suffuso uirus caelo Stygiaque per urbes
religione sacer saeuum retinebat honorem. 125
huic uicina palus (fama est Acherontis ad undas

101 huc *malim* 103 Phoebo *edd. vett., fort. recte* 106 inuia tecta *vel* irrita coepta *Heinsius* : irrita tela *Summers, sed cf. Thes. 7, 2, 434, 51 sqq.* 116 mansisse *frustra varie temptatum, v. Thes. 8, 290, 40* 118 discidit ωCm *Ep. 64* : -pulit *edd. a* j 119 uictor FCm *edd. recc., sed Hercules Geryonem vicit, non armentum; cf. Sen. apoc. 7, 2 v. 7 sq.* ab Hesperio mari / Inachiam ad urbem nobile aduexi pecus 123 uomebat $\Gamma^2$ς : mou- ω 126 huic GQJ *Livineius* : hinc ω

pandere iter) caecas stagnante uoragine fauces
laxat et horrendos aperit telluris hiatus
interdumque nouo perturbat lumine manes.
at iuxta caligantes longumque per aeuum 130
infernis pressas nebulis pallente sub umbra
Cimmerias iacuisse domos noctemque profundam
Tartareae narrant urbis. tum sulphure et igni
semper anhelantes coctoque bitumine campos
ostentant. tellus atro exundante uapore 135
suspirans ustisque diu calefacta medullis
aestuat et Stygios exhalat in aera flatus.
parturit et tremulis metuendum exsibilat antris
interdumque cauas luctatus rumpere sedes
aut exire fretis sonitu lugubre minaci 140
Mulciber immugit lacerataque uiscera terrae
mandit et exesos labefactat murmure montes.
tradunt Herculea prostratos mole Gigantas
tellurem iniectam quatere et spiramine anhelo
torreri late campos quotiensque minantur 145
rumpere compagem impositam, expallescere caelum.
apparet Prochyte saeuum sortita Mimanta,
apparet procul Inarime, quae turbine nigro
fumantem premit Iapetum flammasque rebelli
ore eiectantem et, si quando euadere detur, 150
bella Ioui rursus superisque iterare uolentem.
monstrantur Vesuuina iuga atque in uertice summo

127 uoramine Ch  130 *sic* ωCh : ac iuxta caligante situ *edd. a* r1 : caligante situ iuxta b1  131 squalente *Cortius ad Lucan. 6, 646, cf. 1, 83*  135 ostentant l : -at ω  138 pars ruit *Barth* : aut furit *Summers, sed cf. 9, 284*  140 atque *Livineius*  fretis ωCh : foras *edd. a* r1  143 gigantas L : -es Fβ  146 impositam *edd. a* r1 : -um ω  147 apparat F  prohibete δ (*corr. in* Γ)  mimanta F²b1 : numanto *vel* munanto ω : numanta ς  148 inarime F²L² Γ² : inarme ω  152 uesuuina LV : uessuuina F : uesunina G : uesumna δ : ueseua Γ²ς : besuina Ch

depasti flammis scopuli fractusque ruina
mons circum atque Aetnae fatis certantia saxa.
necnon Misenum seruantem Idaea sepulcro 155
nomina et Herculeos uidet ipso in litore Baulos.
miratur pelagique minas terraeque labores.
Quae postquam perspecta uiro, regressus ad altos
inde †pherochiadum† muros frondentia laeto
palmite deuastat Nysaea cacumina Gauri. 160
hinc ad Chalcidicam transfert citus agmina Nolam.
campo Nola sedet crebris circumdata in orbem
turribus et celso facilem tutatur adiri
planitiem uallo; sed qui non turribus arma
defendenda daret, uerum ultro moenia dextra 165
protegeret, Marcellus opem auxiliumque ferebat.
isque ubi Agenoream procul aduentare per aequor
et ferri ad muros nubem uidet, 'arma, cruentus
hostis adest, capite arma, uiri' clamatque capitque.
circumstant rapidi iuuenes aptantque frementi 170
sanguineas de more iubas. sonat inde citato
agmina disponens passu: 'tu limina dextrae
seruabis portae, Nero; tu conuerte cohortes
ad laeuam patrias et Lirenatia signa,
clarum Volscorum Tulli decus. ast ubi iusso, 175
per tacitum ruptis subita ui fundite portis

153 stratusque *Heinsius, edd. recc.* 154 saxis (*pro* fatis) *Dausqueius, cf. Verg. georg. 1, 473; Stat. Theb. 12, 270* : factis *Bothe* : *an* furiis? (fatis *trad. pro* furiis *1, 146)* 155 seruante α (*'fort. recte, si* seruante – nomina *in parenthesi incluseris' Summers*) 156 ipse O ς 159 pherochiadum α (f- F) : pherech- β : pherec- ς *edd. vett.* Ch : Pheretiadum *Gronovius, quod mira credulitate arripuerunt edd.* (*similis corruptela in nomine Puteolorum Cic. Att. 14, 14, 1*) 161 chalcidicam r1 : chalchi- FΓ : calchi- LGVO 170 trepidi *Damsté* : raptim *malim* 171 tonat *Livineius, sed cf. 15, 742* 174 Lirenatia *scripsi, v. 8, 402* : larina(n)tia ω

telorum in campos nimbum. ferar ipse reuulsa
in medios equitumque traham certamina porta.'
dumque ea Marcellus, iam claustra reuellere Poeni
et scalis spretos temptabant rumpere muros. 180
insonuere tubae passim clamorque uirorum
hinnitusque, simul litui raucoque tumultu
cornua et in membris concussa furentibus arma.
fertur acerba lues disiectis incita portis
effusaeque ruunt inopino flumine turmae, 185
improbus ut fractis exundat molibus amnis,
propulsum ut Borea scopulis impingitur aequor,
ut rupto terras inuadunt carcere uenti.
nec torrente Libys uiso armorumque uirumque
deiectus spe stare ualet. dux Dardanus instat 190
attonitis, praegressus equo, tergisque ruentum
incumbens hasta, socios nunc uoce fatigat:
'perge, age, fer gressus! dexter deus horaque nostra est.
hac iter ad muros Capuae', nunc rursus in hostem
conuersus: 'sta! quo raperis? non terga tuorum, 195
te, ductor Libyae, increpito. sta! campus et arma
et Mars in manibus. dimitto e caede cohortes;
spectemur soli. Marcellus proelia posco.'
sic rector Latius, iuuenique inuadere pugnam
Barcaeo suadebat honor pretiumque pericli. 200

177 ferar $\Gamma^2\varsigma$ : -t ω 179 reuellere αr2Ch : e- β 180 spretis *Nodell, edd. recc.* temptare irrumpere *Lefebvre* : temptant irrumpere *malim* 182 hinnitusque αGCm *Ep. 64* : inn- VG : inu- O : tinn- *edd. vett.* 184 acerba $G^2\Gamma^2\varsigma$ : -um ω *ultima duo versus vocabula in exemplari aut deerant aut legi nequibant* : incita $F^2$ *in lac.* LGδ : in V : incita portis $\Gamma^2$r2 (*cf. 7, 568*) : undique portis P : incita telis $G^2\varsigma$ : (incita) turmis Ch 185 turbine $\Gamma^2\varsigma$ 189 terrente ς uiso VP : nisu αCh : uisu Gδ uirumque $FV\Gamma^2$ : uirum L : utrumque Gδ 190 spe stare *Ruperti, cf. 10, 380 et Ov. met. 7, 577* : sperare ω 191 attonitis *Drakenborch* : -to ω praegressus α *Livineius* : pro- β 196 Libys *malim coll. 9, 181* 197 a caede δς : caede Ch

Sed non haec placido cernebat pectore Iuno
coeptoque auertit suprema in fata ruentem.
sistere perculsos ille et reuocare laborat:
'talesne e gremio Capuae tectisque sinistris
egredimur? state, o miseri, quis gloria summa 205
dedecori est. nil uos hodie, mihi credite, terga
uertentes fidum exspectat. meruistis, ut omnis
ingruat Ausonia, et saeuo Mauorte parastis,
ne qua spes fusos pacis uitaeque maneret.'
uincebat clamore tubas uocisque uigore 210
quamuis obstructas saeuus penetrabat in aures.
Polydamanteis iuuenis Pedianus in armis
bella agitabat atrox Troianaque semina et ortus
atque Antenorea sese de stirpe ferebat,
haud leuior generis fama sacroque Timauo 215
gloria et Euganeis dilectum nomen in oris.
huic pater Eridanus Venetaeque ex ordine gentes
atque Apono gaudens populus, seu bella cieret
seu Musas placidus doctaeque silentia uitae
mallet et Aonio plectro mulcere labores, 220
non ullum dixere parem, nec notior alter
Gradiuo iuuenis, nec Phoebo notior alter.
qui postquam effusis urgens uestigia frenis
Poenorum iuxta galeam atque insigne perempti
agnouit spolium Pauli (puer illa gerebat 225
non paruo laetus ductoris munere Cinyps,
dilectus Poeno Cinyps, quo gratior ora
non fuit ac nulla nituit plus fronte decoris:

205 summo *Heinsius* 206 dedecori $V^2\Gamma^2$ : decori ω 211 socium (*pro* saeuus) *Damsté* 212 pul- F, *sed* o *suprascr.* 215 sacroue L timauo $\alpha G^2\Gamma^2$ : -no β 218 apono $\Gamma^2$r2 : opano ω (-uo V) 220 aonio *Heinsius* : -os ω 222 *exstat* αr2, *deest* β : *ins.* Cm *Ep. 53* natior Ch (*'in excerptis nostris', sc. errore scribentis*) 227 ora ωCh : ore P *edd. a* j

quale micat semperque nouum est, quod Tiburis aura
pascit ebur uel qui miro candoris honore 230
lucet in aure lapis, rubris aduectus ab undis) –
quem postquam egregium cristis et casside nota
fulgentem extremo Pedianus in agmine uidit,
ceu subita ante oculos Pauli emersisset imago
sedibus infernis amissaque posceret arma, 235
inuadit frendens: 'tune, ignauissime, sacri
portabis capitis, quae non sine crimine uester
inuidiaque deum gestaret tegmina ductor?
en Paulus.' uocat inde uiri ad spectacula manes
et fugientis agit costis penetrabile telum. 240
tum delapsus equo galeam atque insignia magni
consulis abrumpit dextra spoliatque uidentem.
ambrosiae cecidere comae uiolataque ceruix 245
marmoreum in iugulum collo labente recumbit.
soluitur omne decus leto niueosque per artus 243
it Stygius color et formae populatur honores. 244
haud secus Oceano rediens Cythereius ignis, 247
cum sese Veneri iactat splendore refecto,
si subita inuadat nubes, hebetatur et atris
decrescens tenebris languentia lumina condit. 250
ipse etiam rapta Pedianus casside nudos
attonitus stupet ad uultus irasque coercet.
tum galeam magno socium clamore reportans
immitem quatiebat equum spumantia saeuo
frena cruentantem morsu, cum turbidus armis 255

**229** semperque $\alpha\Gamma^2\varsigma$ : semper quod β **231** aduectus ας : au- β (-is O) indis *edd. vett.* **232** cristis $F^2\beta$ (castis G) : t- α **234** ceu ωCm *Ep. 53* : cum *edd. vett.* quali (*pro* pauli) F **236** tunc GV **242** abripuit *Watt 1984* nitentem *Blass 1867, 30, sed cf. 276; Verg. Aen. 10, 462; Stat. Theb. 11, 560* **243.244** *post 246 transposuit Ker* **248** sacrat *vel* saccat Ch **251** rapta α *ut coni. Livineius et Heinsius* : c- β **253** socium ωCm *Ep. 53* : ad socios *edd. a* j **254** immitis *Schrader, recte ut opinor, cf. 2, 72* **255** cum G *ut suspicatur Bauer* : cui αγ

obuia Marcellus rapido tulit ora tumultu
agnoscensque decus 'macte, o uirtutis auitae,
macte Antenoride! nunc' inquit 'rapta petamus,
quod superest, Libyci ductoris tegmina' – et ardens
terrificis saeuam fundit stridoribus hastam. 260
nec forsan uoti uanus foret, obuia ni uis
Gestaris opposito tenuisset corpore telum.
qui dum uicinis ductorem protegit armis,
transabiit non hunc sitiens grauis hasta cruorem
ingentesque minas mutata morte peregit. 265
auehitur raptim ductor discrimine leti
turbatus cursumque furens ad castra capessit.
Iamque fugae immodicus tendit certamine gressum
praecipitem uersis Poenorum exercitus armis.
adsequitur telis hostis, longasque uiritim 270
exsatiant iras cladum caeloque cruentos
certatim ostentant et dis ultoribus enses.
ille dies primus docuit, quod credere nemo
auderet superis, Martis certamine sisti
posse ducem Libyae. raptant currusque uirosque 275
Massylamque feram et uiuis auulsa reportant
tegmina bellantum atque abeunt, sub cuspide terga
contenti uidisse ducis. tum Martis adaequant
Marcellum decori. graditur comitante triumpho
maior, quam ferret cum uictor opima Tonanti. 280
Inde furens, postquam uallo uix depulit hostem,
ductor Agenoreus 'quando hanc quantoque cruore
hostili labem eluerim? mea terga uidere
contigit Ausoniae? mene,' inquit 'summe deorum,
post Trebiam statuis tam turpi funere dignum? 285
uosque inuicta diu, nunc heu sine Marte iuuentus
debellata bonis Capuae, non degener ipse

257 o Γ[2] ς : *om.* ω 263 quem *Bentley* 267 ferens δ ς 273 primus ω Ch : -o *edd. vett.* 285 statui (*inf.*) *Heinsius* tristi *edd. vett.*

gestorum Ausoniis uerti uictricia signa:
uobis terga dedi. uidi, cum ad bella uocarem,
non secus atque Italo fugere a ductore pauentes. 290
quid reliquum prisci Martis tibi, qui dare terga
me reuocante potes?' fundebat talia Poenus,
sed Latiae sese Nolana ad moenia turmae
portantes spolia insigni clamore ferebant.
At consueta graues per longum audire suorum 295
euentus Roma et numquam recreata secundis
allato tandem faustae certamine pugnae
erigitur primoque deum se munere tollit.
ante omnes pigra in Martem fugiensque laborum,
dum bellum tonat, et sese furata iuuentus 300
dat poenas latebrae; tum, qui dulcedine uitae
inuenere dolos iurataque foedera Poeno
corrupere, notant et purgant crimine gentem.
punitur patriam meditati linquere terram
consilium infelix scelerataque culpa Metelli. 305
talia corda uirum. sed enim nec femina cessat
mente aequare uiros et laudis poscere partem.
omnis prae sese portans capitisque manusque
antiquum decus ac derepta monilia collo
certatim matrona ruit belloque ministrant. 310
haud tanta cessisse uiros in tempore tali
laudis sorte piget, factoque in saecula ituro
laetantur tribuisse locum. tum celsa senatus

**293** sed *scripsi* : et ω : at *Bauer, quod displicet propter* at *295* **294** spolium Ch **296** recreata αr2Cm *Ep. 53* : -are β **300** fucata α **302** dolos α$\Gamma^2$r2 *edd. a* v : deos β **304** meditati Cm *Ep. 53* : -ri αGV : -ta δ : -tum $\Gamma^2$ς : -antum *edd. a* v **306** nec Cm : non ω cessat ω Cm : -it *edd. vett.* **307** mente JP *edd. vett., v. C.F.W. Müller, Syntax des Nom. u. Akk. im Lat., Leipzig u. Berlin 1908, 116*[1] : -em ω **309** derepta ω (-cta L) Cm : di- *edd. vett.* **311** tantae *Heinsius* cessisse $F^2\Gamma^2$O : sess- αGΓ : sens- V **312** forte Cd (*ad 4, 803*) **313** focum F : i- L

subsequitur turba. in medium certamine magno
priuatae cumulantur opes. nudare penates 315
ac nihil arcanos uitae melioris ad usus
seposuisse iuuat. coit et sine nomine uulgus.
corpore sic toto ac membris Roma omnibus usa
exsangues rursus tollebat ad aethera uultus.
Addunt spem miseris dulcem Parnasia Cirrha 320
portantes responsa uiri. nam laeta ferebant
exaudisse adytis, sacra cum uoce tonaret
antrum et mugiret Phoebo iam intrata sacerdos:
'soluite, gens Veneris, grauiores corde timores;
aduersa et quicquid duri sub Marte manebat, 325
exhaustum est uobis. restant leuiora laborum
et sine pernicie terror. dis uota precesque
ferte modo et tepidos aris libate cruores,
neu date terga malis. aderit Gradiuus, et ipse
Delius auertet propiora pericula uates 330
Troianos notus semper minuisse labores.
sed uero sed enim ante omnes altaria fument
centum festa Ioui; centum cadat hostia cultris.
ille trucem belli nubem saeuasque procellas
in Libyam uiolentus aget. spectabitis ipsi 335
aegida turbato quatientem in proelia mundo.'
atque ea Parnasi postquam clamata sub antris
allatum uulgique deus peruenit ad aures,
in Capitolinas certatim scanditur arces,
sternunturque Ioui et delubrum sanguine honorant. 340
tum paeana canunt responsaque fida precantur.
Interea adsuetis senior Torquatus in armis
Sardoas patrio quatiebat milite terras.
namque ortum Iliaca iactans ab origine nomen

316 ac $\alpha\Gamma^2$ : at β 320 Parnaside *Heinsius* cirr(h)a $F\Gamma^2\varsigma$ : circa Lβ : *om.* C *teste Heinsio* 329 neu $\alpha\Gamma^2$ : heu β 330 propriora Gδ 332 fumant LO 333 cadat $\Gamma^2\varsigma$ : -it ω 335 ipsum *Damsté* 337 atque αGVCh : at δ : ast $\Gamma^2\varsigma$

in bella Hampsagoras Tyrios renouata uocarat. 345
proles pulchra uiro nec tali digna parente
Hostus erat. cuius fretus fulgente iuuenta
ipse asper paci crudos sine uiribus annos
barbarici studio ritus refouebat in armis.
isque ubi Torquatum raptim properata ferentem 350
signa uidet pugnaeque auidas accedere dextras,
fraude loci nota latebrosa per auia saltus
euolat et prouisa fugae compendia carpens
uirgulta tegitur ualle ac frondentibus umbris.
Insula fluctisono circumuallata profundo 355
fastigatur aquis compressaque gurgite terras
enormes cohibet nudae sub imagine plantae;
inde Ichnusa prius Grais memorata colonis.
mox Libyci Sardus generoso sanguine fidens
Herculis ex sese mutauit nomina terrae. 360
affluxere etiam et sedes posuere coactas
dispersi pelago post eruta Pergama Teucri.
nec paruum decus aduecto cum classe paterna
agmine Thespiadum terris, Iolae, dedisti.
fama est, cum laceris Actaeon flebile membris 365
supplicium lueret spectatae in fonte Dianae,
attonitum nouitate mali fugisse parentem
per freta Aristaeum et Sardoos isse recessus;

347 hostus Ch : hortus F : ortus Lβ : oscus Γ² *edd. a* v cuius FΓ² *edd. a* v : cumis Lγ : cunctis G **348** ipse asper crudos nec adhuc sine *e.g. Bailey, sed cf. 5, 568–72* **350** ferentem αΓ² : fu- β **351** accendere Γ²Pr1 **352** tenebrosa Ch (*errore ut videtur*) **353** prouisa ωCm *Ep. 53* : -fusa *edd. a* v carpens ω : captans Cm *edd. recc.* **354** uirgulta ω *cf. Sall. hist. 1, 120* : occulta Γ²ς *edd. vett.* **356** fastigatur αCh : c- β **358** ichnusa *Calderinus in* Γ *edd. a* r1 : idunisa L : idnuisa F² *in lac.* : id musa β (*om.* O) **364** iolae JQYp : iole ω (y- V) **365** actaeon Γ²ς : (a)et(h)(a)eon ω (astacon G) **366** in *edd. a* r1 : *om.* ω *abl. nudum def. Blomgren, vix recte* **368** isse Gδ : ipse F : esse L : e isse V

Cyrenen monstrasse ferunt noua litora matrem.
serpentum tellus pura ac uiduata uenenis, 370
sed tristis caelo et multa uitiata palude.
qua uidet Italiam, saxoso torrida dorso
exercet scopulis late freta pallidaque intus
arua coquit nimium Cancro fumantibus Austris.
cetera propensae Cereris nutrita fauore. 375
Hoc habitu terrae nemorosa per inuia crebro
Torquatum eludens Hostus Sidonia pugnae
tela exspectabat sociosque laboris Hiberos.
qui postquam appulsis animos auxere carinis,
haud mora prorumpit latebris, aduersaque late 380
agmina inhorrescunt, longumque coire uidetur
et conferre gradum. media interualla patentis
corripiunt campi properatis eminus hastis,
donec ad expertos enses, fidissima tela,
peruentum. dira inde lues, caeduntque caduntque 385
alternique animas saeuo in mucrone relinquunt.
Non equidem innumeras caedes totque horrida facta
sperarim tanto digne pro nomine rerum
pandere nec dictis bellantum aequare calorem.
sed uos, Calliope, nostro donate labori, 390
nota parum magni longo tradantur ut aeuo
facta uiri, et meritum uati sacremus honorem.
Ennius, antiqua Messapi ab origine regis,
miscebat primas acies, Latiaeque superbum
uitis adornabat dextram decus. hispida tellus 395

369 cyrenen r1 : -em ω 370 uiduata $\Gamma^2$ς : inuiduata ω 371 tristi *Heinsius* 374 nimio *Heinsius* feruentibus *Blass 1867, 31* astris *Bothe* 377 Hostus *Heinsius* : hostis ω 379 cui *Heinsius* 384 exertos *Livineius, Heinsius, recte ut opinor* 385 dira αr2Ch : dura β caeduntque ωCh : ced- *edd. vett.* 391 nota α$\Gamma^2$ : nostro β in (*pro* ut) Gς *edd. vett.* 393 messapi β (ma- O) : mesapi α 395 dextram *Fontius in cod. Flor. Riccard. 837 (v. CTC 396), Gronovius ad Stat. silv. 5,1 (Diatribe 1637 p. 414)* : -a ω

miserunt Calabri, Rudiae genuere uetustae,
nunc Rudiae solo memorabile nomen alumno.
is prima in pugna, uates ut Thracius olim,
infestam bello quateret cum Cyzicus Argo,
spicula deposito Rhodopeia pectine torsit, 400
spectandum sese non parua strage uirorum
fecerat, et dextrae gliscebat caedibus ardor.
aduolat aeternum sperans fore pelleret Hostus
si tantam labem, ac perlibrat uiribus hastam.
risit nube sedens uani conamina coepti 405
et telum procul in uentos dimisit Apollo
ac super his: 'nimium, iuuenis, nimiumque †superbi
sperata hausisti†. sacer hic ac magna sororum
Aonidum cura est et dignus Apolline uates.
hic canet illustri primus bella Itala uersu 410
attolletque duces caelo, resonare docebit
hic Latiis Helicona modis nec cedet honore
Ascraeo famaue seni.' sic Phoebus, et Hosto
ultrix per geminum transcurrit tempus harundo.
uertuntur iuuenis casu perculsa per agros 415
agmina, et effusae pariter dant terga cateruae,
dum pater audita nati nece turbidus irae
barbaricum atque immane gemens transfigit anhelum
pectus et ad manes urget uestigia nati.'
At Libyae ductor Marcello fractus et acri 420
contusus pugna campos damnarat et arma
uerterat ad miseras non aequi Martis Acerras.

**399** cyzicus $\Gamma^2$ς : cyr- ω (cyrigcus F) : cit- O **400** torsit $G^2\Gamma^2$ O : torsti ω **403** sperans $F^2\Gamma^2$ς : spernens ωCh hostus $\Sigma^2$ : -is ωCh : oscus *Calderinus in* Γ *edd. vett.* **407.408** *locus varie temptatus, nondum sanatus* : nimiumque, superbe, sperasti his ausis *Bailey* : *praetulerim* n. superbus (*Thilo*) spem tantam (*Summers*) hausisti (*cf. Verg. Aen. 10, 648*) *vel* spe tanta (*Owen 1909*) h. **412** latiis $\Gamma^2$ς : latis ω **413** hosto Or2Ch : (h)osco ω **417** dum ω : tum P *Heinsius* (*'ex scriptis'*), *edd. recc.*

inde, ubi permisit flammis atque ensibus urbem,
Nuceriae nihilo leuior nec parcior irae,
incussit sese atque aequauit moenia terrae. 425
post Casilina sibi multum obluctatus iniquis
defendentum armis aegre reserauerat astu
limina et obsessis uitam pensauerat auro.
iamque in Dauniacos transfundens agmina campos
flectebat rabiem, quo praeda uel ira uocasset. 430
fumabat uersis incensa Petilia tectis
infelix fidei miseraeque secunda Sagunto,
at quondam Herculeam seruare superba pharetram.
  Verterat et mentem Tyria ad conata Tarentus,
portisque intrarant Poeni. sed enim arce corusca 435
fisa loco manus Ausoniae stipata sedebat.
hic miranda mouens classem, quae condita portu
adstabat (namque angustis e faucibus aequor
erumpit scopulos inter patuloque recessu
diffundit campis secretum gurgite pontum) – 440
inclusas igitur, quibus haud enare dabatur
arce superposita, claustris maris extulit astu
perque auersa tulit portatas arua carinas.
lubrica roboreis aderant substramina plaustris,
atque recens caesi tergo prolapsa iuuenci 445
aequoream rota ducebat per gramina puppim.
et iam per colles dumosque ad litus adacta
innabat pelago ueniens sine remige classis.

424 irae *Gronovius et Heinsius, cf. 10, 32* : ira ω  426 iniqui Ch (?)  428 obsessis α$\Gamma^2$ς : -os β  429 Dauniacos *Scaliger et Heinsius coll. 13, 510, cf. e.g. Ov. met. 15, 507* Corinthiaci : dauniuagos ω  433 at Lβ *Livineius* : ac Fp *edd. a* l  435 arce L$\Gamma^2$ς : arte Fβ (ante G)  440 diffundit αr2 : eff- β : inf. Cm *Ep. 53, v. Håkanson*  442 extrahit *Withof*  443 aduersa Fr2 portatas r2Ch : -us α : -us in β  444 aderant ω : sederant Ch *i.* sed erant *et sic Lachmann ad Lucr. 6, 613* : suberant *Schrader* substramina $\Gamma^2$ ς : -stam- ω  445 inque *Lachmann*  448 innabat $\Gamma^2$r1 : iuu- L : lun- Fβ

Nuntius interea uectis non more carinis
terrentem freta curarum feruoribus implet, 450
dum procul Oebalios amet expugnare nepotes
et primus rostris sulcet naualibus arua,
adsessos Capuae muros, claustra ipsa reuelli
portarum ac totum miseris incurrere bellum.
linquit coepta ferox pennasque addente pudore 455
atque ira simul immani per proxima motu
euolat et minitans auida ad certamina fertur.
haud secus amisso tigris si concita fetu
emicet, attonitae paucis lustratur in horis
Caucasus et saltu tramittitur alite Ganges, 460
donec fulmineo partus uestigia cursu
colligat et rabiem prenso consumat in hoste.
Obuius huic sparso Centenius agmine raptim
funditur audendi prauus facilisque periclis,
sed paruum decus Hannibali. nam uitis honore 465
perfunctus Latiae subitos stimularat agrestes
semermemque manum sternendam obiecerat hosti.
bis septem demissa neci (nec substitit agmen)
milia; bis septem, quae non sollertior ense,
sed genus insignis, iustis ducebat in armis 470
Fuluius; ast aeque per corpora fusa iacentum
raptum iter est, uictorque moram non passus eundi.

**451** auet p *edd. a* l *Ker* expugnare $\Gamma^2$ς : et p. ω **452** et r2 *edd. a* v : ut ω sulcat *Ker* **453** adsessos ω (ad fessos GV) Cm *Ep. 1* : ob- QYr2 *edd. a* v illa F **457** auide *Drakenborch* : alia *Damsté* **462** colligat *Heinsius* (*'ex scriptis'*) : -it ω consumat ω : -it QY *edd. vett.* **463** hinc VO centenius $\Gamma^2$p : -ennis ω (cert- F) **466** subitos *Gronovius et Heinsius, v. Håkanson* : -o ω **468.469** *cave credas quae contendit Summers 1900, 307* bis septem *non de utriusque exercitu, sed de Fulvii tantum dici, id quod Livii narratione* (*25, 19*) *redarguitur* **469** quoque (*pro* quae) *Ruperti* : *an* tum? **471** fuluius α$\Gamma^2$ς : b- β **472** eundi b1 : euntis ω

exsequiae tantum famam nomenque uolentem
mitificae mentis tenuerunt funere laeto.
namque per insidias (infandum!) et ab hospite caesus, 475
colloquium et promissa petit dum perfida gentis
Lucanae, Gracchus caeco circumdatus astu
occiderat, laudemque Libys rapiebat humandi.
Sed non, ut scitum celerare ad moenia Poenum,
restabat res ulla loco. iam consul uterque 480
praecipites aderant, Nola uis omnis, et Arpis
aeui floridior Fabius rapida arma ferebat.
hinc Nero et hinc uolucres Silanus nocte dieque
impellebat agens properata ad bella cohortes.
undique conueniunt, pariterque opponere cunctos 485
uni ductores iuueni placet. arduus ipse
Tifata insidit, propior qua moenibus instat
collis, et e tumulis subiectam despicit urbem.
uerum ubi tot sese circumfundentibus armis
uallatas socium portas unaque negari 490
intrauisse sibi Capuaeque erumpere cernit,
anxius euentus nunc ferro frangere coetum
obstantum meditatur, init nunc auia coepto
consilia atque astu quaerit tot milia portis
abstrahere artatis cinctosque resoluere muros. 495
sic igitur secum curasque ita corde fatigat:

474 mitificae αGVCm *ad Liv. p. 520* : arti- δ : horri- $\Gamma^2$ ς 475 caesus v : -o ω : falso *Ruperti* 480 restabat *scripsi coll. Stat. Theb. 5, 596* (r. spes *Heinsius*) : ast- ω *quod frustra def. Blomgren* : iam stabat *Owen 1905* : (sed nunc ...) haud stabat *Summers* 482 rabida Ch ferebat $\Gamma^2$ r2 : -ant ω *fort. recte* 483 uolucres ω : -is Ch *edd. recc. pro nom. sg. masc. accipientes, sed cf. e.g. infra 524 et 530* sillanus Oς 487 tifata $F^2$ *Calderinus in* Γp : te fata ω : tum fata ς insidit *Calderinus* Ch : inc- αδ : incidat GV : incedit $F^2$r1 : insedit p : inuadit *edd. a* v 492 euentus *Gronovius* : adu- ω 493 init ACm *Ep. 53* : huc ω : et huic *edd. vett.* 495 cinctosque b1 : cu- ω

'quo, mens aegra, uocas? rursusne pericula sumam
non aequus regione loci? Capuaque uidente
terga dabo? an, residens uicini uertice montis,
exscindi ante oculos patiar socialia tecta? 500
non ita me experti Fabius Fabiique magister
turbatum, Hesperio cum clausos milite colles
euasi uictor sparsosque per arua iuuencos
iactare accensis stimulaui cornibus ignes.
hauddum omnes abiere doli. defendere nobis 505
si Capuam ereptum est, dabitur circumdare Romam.'
Haec postquam placita et tenuit sententia mentem,
non exspectato, Titan dum gurgite lucem
spirantes proferret equos, impellit in agmen
uoce manuque uiros et coepta immania pandit: 510
'perge, age, uince omnem, miles, uirtute laborem
et quantum humani possunt se tendere passus,
arduus accelera. Romam petis. hoc iter Alpes,
hoc Cannae strauere tibi. eia, incute muris
umbonem Iliacis Capuaeque repende ruinas. 515
quam tanti fuerit cadere, ut Palatia cernas
et demigrantem Tarpeia sede Tonantem.
Instincti glomerant gressus. Roma auribus haeret,
Roma oculis, creduntque ducis sollertibus actis
aptius id coeptum, quam si duxisset ab ipso 520
fatali Aeneadis campo. Vulturna citata
tramittunt alno uada postremique relinquunt
tardandis Italis corruptas igne carinas.

497 rursusne F[2]r1 : -que ue F : -ue LGVO : -que Γ summam FV : summa Γς 501 Fabiique plCh : -oque ω 502 turbatum *Heinsius* : -arum ω hesperio *Calderinus in* Γpl *cf. Lucan. 8, 826* : (h)esperior β (exp- G) : asperior αCh : expertor ς 514 strauere αGVCm *Ep. 38* : statuere δς 516 *post* fuerit *interpungi iubet Bauer Add. et Corr., haud recte* 517 demigrantem αVΓ[2] r2vCm : den- Gδr1pl 518 instincti ωCm : instructi *edd. vett.* 522 alno lCm : aluo ω

tum Sidicina legunt pernicibus arua maniplis
Threiciamque Calen, uestras a nomine nati, 525
Orithyia, domos. hinc Allifanus Iaccho
haud inamatus ager nymphisque habitata Casini
rura euastantur; mox et uicinus Aquinas
et quae fumantem texere giganta, Fregellae
agmine carpuntur uolucri. fert concitus inde 530
per iuga celsa gradum, duris qua rupibus haeret
bellator Frusino et surgit suspensa tumenti
dorso frugiferis Cerealis Anagnia glebis.
iamque adeo est campos ingressus et arua Labici,
linquens Telegoni pulsatos ariete muros, 535
haud dignam inter tanta moram. nec amoena retentant
Algida nec iuxta Iunonis tecta Gabinae.
praeceps ad ripas immani turbine fertur,
sulphureis gelidus qua serpit lenitur undis
ad genitorem Anio labens sine murmure Thybrim. 540
Hic ut signa ferox dimensaque castra locauit
et ripas tremefecit eques, perterrita pulsis
Ilia prima uadis sacro se coniugis antro
condidit, et cunctae fugerunt gurgite nymphae.
at matres Latiae, ceu moenia nulla supersint, 545
attonitae passim furibundis gressibus errant.
ante oculos adstant lacerae trepidantibus umbrae,
quaeque grauem ad Trebiam quaeque ad Ticina fluenta
oppetiere necem, Paulus Gracchusque cruenti
Flaminiusque simul miseris ante ora uagantur. 550
clausit turba uias. stat celsus et asper ab ira

526 Orithyia *Dausqueius* : orythia (ori-) ω Aelifanus Cd (*errore ut videtur*) 527 inamatus ωCm : inaratus *edd. a* v Casinis Ch *edd. recc., sed cf. 4, 227* 529 et β : at αCh : ac *Heinsius* fregellae LΓ²ς : fra- Fβ 531 thuris Ch 534 labici αΓ² : -y- Ch : li- β 539 leniter G²Γ²ς : -u- ω 544 nymphae αGVΓ² : limphe δ 546 *'hic versus in Coloniensi proxime sequenti postponitur' Heinsius*

ingentemque metum toruo domat ore senatus.
interdum tamen erumpunt sub casside fusae
per tacitum lacrimae, quidnam Fortuna minetur
quidue parent superi. pubes dispersa per altas 555
stat turres atque huc uentum sub corde uolutat,
ut iam Roma satis credat defendere muros.
Poenus ut ad somnos uix totam cursibus actae
indulsit pubi noctem, uigil ipse nec ullam
ad requiem facilis credensque abscedere uitae 560
quod sopor eripiat tempus, radiantibus armis
induitur Nomadumque iubet prorumpere turmas.
inde leuis frenis circum pauitantia fertur
quadrupedante sono perculsae moenia Romae.
nunc aditus lustrat, clausas nunc cuspide pulsat 565
infesta portas fruiturque timore pauentum,
nunc lentus celsis adstans in collibus intrat
urbem oculis discitque locos causasque locorum,
ac legeret uisu cuncta et penetraret in omnes
spectando partes, ni magno turbine adesset 570
Fuluius haud tota Capuae obsidione relicta.
tum demum castris turmas induxit ouantes
spectata ductor satiatus pectora Roma.
atque ubi nox depulsa polo primaque rubescit
lampade Neptunus reuocatque Aurora labores, 575
effundit rupto persultans agmina uallo
et, quantum clamare ualet: 'per plurima nostra,
o socii, decora et sacratas sanguine dextras,
uobis ite pares et tantum audete sub armis,

559 inclusit δς 562 nomadumque $F^2\Gamma^2$ς : numi- ω 567 laetus ς 570 ni $F^2LG^2\Gamma^2$ : in Fβ 571 tota $\Gamma^2$ς : -o ω 572 induxit *scripsi coll. Stat. Ach. 1, 548* : inflexit αGV : inflixit Γς : influxit O : subduxit *Gronovius* 573 spectant GV : spectanda $V^2$P 577 uestra L *edd. recc.* 578 sacratas *Owen 1909* : sacras in ω : saturatas *Heinsius* : satiatas *Drakenborch* 579 uobis ωCh : uotis p *edd. a* l

quantum Roma timet. reliquam hanc exscindite molem: 580
nil quod uincatis toto restabit in orbe.
neu populi uos Martigenae tardarit origo;
intratam Senonum capietis milibus urbem
adsuetamque capi. fortasse curulibus altis
iam uos exemplo proauorum ad nobile letum 585
exspectant de more senes mortique parantur.'
Talibus hinc Poenus; sed contra Oenotria pubes
non ullas uoces ducis aut praecepta requirit.
sat matres stimulant natique et cara supinas
tendentum palmas lacrimantiaque ora parentum. 590
ostentant paruos uagituque incita pulsant
corda uirum, armatis infigunt oscula dextris.
ire uolunt et pro muris opponere densi
pectora respectantque suos fletumque resorbent.
ut uero impulso patefactae cardine portae 595
et simul erupit iunctis exercitus armis,
funditur immixtus gemitu precibusque per altos
ad caelum muros clangor, sparsaeque solutis
crinibus exululant matres atque ubera nudant.
Fuluius anteuolans agmen 'quis nesciat' inquit 600
'non sponte ad nostros Poenum uenisse penates?
a portis fugit Capuae.' subnectere plura
conantem tristis caeli cum murmure uasto
turbauit fragor et subita de nube procellae.
Iuppiter Aethiopum remeans tellure minantem 605
Romuleo Poenum ut uidit succedere uallo,
caelicolis raptim excitis defendere tecta

582 neu αO : nec G : heu VΓ : ne Ch 585 ad ωCh : ac *edd. vett.* 587 hinc ω *v. Thes. 6, 2806, 18* : hic Γ[2]ς *edd. recc.* 589 sat αΓ[2] : stat β 596 iunctis ς *cf. 7, 539; Lucan. 7, 493* : uictis ω : motis Ch *edd. recc.* 598 plangor *Heinsius, sed* clangor *armorum esse potest, cf. Val. Fl. 7, 610sq.* 603 his dictis *Heinsius* cum *edd. a* r1 : tum ω (dum O) 607 caelicolas r. excitos *Gronovius*

Dardana et in septem discurrere iusserat arces.
ipse e Tarpeio sublimis uertice cuncta,
et uentos simul et nubes et grandinis iras 610
fulminaque et tonitrus et nimbos conciet atros.
concussi tremuere poli, caelumque tenebris
clauditur, et terras caeco nox condit amictu.
instat tempestas oculis, hostique propinquo
Roma latet. iactae in turmas per nubila flammae 615
stridorem seruant, membrisque insibilat ignis.
hinc Notus, hinc Boreas, hinc fuscis Africus alis
bella mouent, quantis animos et pectora possint
irati satiare Iouis. fluit agmen aquarum
turbine confusum piceo et nigrante procella 620
atque omnes circa campos spumantibus undis
inuoluit. celsus summo de culmine montis
regnator superum sublata fulmina dextra
librauit clipeoque ducis non cedere certi
incussit. summa liquefacta est cuspis in hasta, 625
et fluxit ceu correptus fornacibus ensis.

Ambustis sed enim ductor Sidonius armis
sistebat socios et caecum e nubibus ignem
murmuraque a uentis misceri uana docebat.
tandem post clades socium caelique ruinam 630
non hoste in nimbis uiso, non †hoste† referri
signa iubet castris maestasque resuscitat iras:
'uentis debebis nimirum hiemisque procellis
unum, Roma, diem. sed non te crastina nobis
lux umquam eripiet, descendat Iuppiter ipse 635
in terras licet.' infrendens dum talia fatur,

**608** descendere GV (discurrere *marg. utriusque*) **611** concitet $V^2$ : -tat P **616** membrisque ωCh : que *om. edd. vett.* **619** ruit *Heinsius, sed cf. Thes. 6, 970, 1* **631** hoste ω : ense b1 : urbe *Blass, satis probabiliter* **636** infrendens αVv : inscendens G : miscendus δ : accensus $\Gamma^2$r1mp

ecce serenato clarum iubar emicat axe,
purgatusque nitet discussis nubibus aether.
Aeneadae sensere deum telisque repostis
summissas tendunt alta ad Capitolia dextras 640
et festa cingunt montis penetralia lauro.
tum uultus modo non paruo sudore madentes,
nunc laetos Iouis adspectant: 'da, summe deorum,
da, pater, ut sacro Libys inter proelia telo
concidat; haud alia potis est occumbere dextra.' 645
Sic adeo orantes pressere silentia, postquam
abstulerat terras nigrantibus Hesperus umbris.
quem simul attollens rutilantem lampada Titan
obruit et uitae rediit mortalibus usus,
Poenus adest, nec se castris Oenotria pubes 650
continet. hauddum enses stricti, mediumque iacebat
tantum ad bella loci, quantum tramittere iactae
sufficerent hastae, cum fulgor hebescere caeli
per subitum coepit densaeque subire tenebrae
atque dies fugere atque armari ad proelia rursus 655
Iuppiter. incumbunt uenti, crassusque rotante
Austro nimborum feruet globus. intonat ipse,
quod tremat et Rhodope Taurusque et Pindus et Atlas.
audiuere lacus Erebi, mersusque profundis
agnouit tenebris caelestia bella Typhoeus. 660
inuadit Notus ac, piceam cum grandine multa
intorquens nubem, cunctantem et uana minantem
circumagit castrisque ducem succedere cogit.
uerum ubi depositis saepsit sese aggere telis,
laeta serenati facies aperitur Olympi, 665

648 lampade FGO 650 claustris *Burmann, sed v. Liv. 26, 11, 2sq.* 654 sudum *Schrader, sed cf. 7, 594; 10, 504; 15, 145* 655 iamque *Bailey, sed cf. 1, 93sq.* 658 quod ω *cf. Hor. sat. 1, 6, 44* : quo *edd. vett.* 659 erebi FGVr2 : crebri Lδς

nullaque tam mitem credas habuisse Tonantem
fulmina, nec placido commota tonitrua caelo.
durat et affirmans non ultra spondet in ipsos
uenturam †crebro diem†. modo patria uirtus
in dextras redeat, nec Romam exscindere Poeni 670
credant esse nefas. ubi nam tunc fulmina tandem
inuicti iacuisse Iouis, cum sterneret ensis
Aetolos campos? ubi, cum Tyrrhena natarent
stagna cruore uirum? 'pugnat pro moenibus' inquit
'si rector superum tot iactis fulmine telis, 675
inter tot motus cur me contra arma ferentem
afflixisse piget? uentis hiemique fugaces
terga damus? remeet, quaeso, mens illa uigorque,
qua uobis, cum pacta patrum, cum foedera adessent,
integrare acies placitum.' sic pectora flammat, 680
donec equum Titan spumantia frena resoluit.
nec nox composuit curas somnusue frementem
ausus adire uirum, et redeunt cum luce furores.
rursus in arma uocat trepidos clipeoque tremendum
increpat atque †uenus† imitatur murmura caeli. 685
Vt uero accepit tantum confidere diuis
Ausonios patres summissaque Baetis ad oras
auxilia et noctu progressum moenibus agmen,

666 iam *edd. a* j 668 ductor at *Summers* 669 crebro diem α : crebroque d. βς : crebra d. $F^2$Ch : *ex coniecturarum congerie proxime ad verum accedere videntur* caeli rabiem (*Lefebvre*) *aut* hanc Erebo rabiem (*Bothe*) *aut, quod mihi in mentem venit,* uentorum uerti rabiem uirtus β : uistus F : iustas L : uictas F *marg.* 672 inuiti α *Summers* iacuisse $F^2$Lβ : lac- F : lat- Ch 673 cum $\Gamma^2$r1 : tum ω 676 mortes *Burmann* 679 uobis αGVCh : n- δς obessent *Blass, sed v. Ker* 681 resoluit P *edd. a* v : -at ω *edd. recc., sed cf. 5, 55; 10, 537; 11, 368; 15, 284* 685 uenus ω : armis *edd. a* r1 : minis *Bauer, Berl. philol. Wochenschr. 27, 1907, 9, satis probabiliter* : amens *Summers* : tonans *Watt 1985*

sic agitare fremens obsessos otia iamque
securam Hannibalis Romam uiolentior instat. 690
iamque propinquabat muro, cum Iuppiter aegram
Iunonem alloquitur curis mulcetque monendo:
'nullane Sidonio iuueni, coniunxque sororque
cara mihi, non ulla umquam sine fine feroci
addes frena uiro? fuerit delere Saguntum, 695
exaequare Alpes, imponere uincula sacro
Eridano, foedare lacus. etiamne parabit
nostras ille domos, nostras perrumpere in arces?
siste uirum. namque, ut cernis, iam flagitat ignes
et parat accensis imitari fulmina flammis.' 700
His dictis grates agit ac turbata per auras
deuolat et prensa iuuenis Saturnia dextra
'quo ruis, o uecors, maioraque bella capessis
mortali quam ferre datum?' Iuno inquit et atram
dimouit nubem ueroque apparuit ore. 705
'non tibi cum Phrygio res Laurentiue colono.
en, age (namque oculis amota nube parumper
cernere cuncta dabo) surgit qua celsus ad auras,
adspice, montis apex, uocitata Palatia regi
Parrhasio plena tenet et resonante pharetra 710
intenditque arcum et pugnas meditatur Apollo.
at qua uicinis tollit se collibus altae
molis Auentinus, uiden ut Latonia uirgo
accensas quatiat Phlegethontis gurgite taedas
exsertos auide pugnae nudata lacertos? 715
parte alia cerne, ut saeuis Gradiuus in armis

689 namque Ch : t- *Livineius* 694 inquam *Livineius* 707 que *om.* δ (*corr. in* Γ) ς 710 parrhasio αGΓ² : parnhasio γ : parnasio P 712 qua *Calderinus in* Γ j : qui ω 713 auentinus αΓ² : adu- β uiden FΓ² : -ens β (-et V²) : -etis L 716 saeuus F *edd. vett.*

implerit dictum proprio de nomine campum.
hinc Ianus mouet arma manu, mouet inde Quirinus,
quisque suo de colle deus. sed enim adspice, quantus
aegida commoueat nimbos flammasque uomentem 720
Iuppiter et quantis pascat ferus ignibus iras.
huc uultus flecte atque aude spectare Tonantem:
quas hiemes, quantos concusso uertice cernis
sub nutu tonitrus! oculis qui fulgurat ignis!
cede deis tandem et Titania desine bella.' 725
sic affata uirum indocilem pacisque modique,
mirantem superum uultus et flammea membra,
abstrahit ac pacem terris caeloque reponit.
Respectans abit et castris auulsa moueri
signa iubet ductor remeaturumque minatur. 730
redditur extemplo flagrantior aethere lampas,
et tremula infuso resplendent caerula Phoebo.
at procul e muris uidere ut signa reuelli
Aeneadae uersumque ducem, tacita ora uicissim
ostentant nutuque docent, quod credere magno 735
non audent haerente metu; nec abire uolentis,
sed fraudem insidiasque putant et Punica corda,
ac tacitae natis infigunt oscula matres,
donec procedens oculis sese abstulit agmen
suspectosque dolos dempto terrore resoluit. 740
tum uero passim sacra in Capitolia pergunt
inque uicem amplexi permixta uoce triumphum
Tarpeii clamant Iouis ac delubra coronant.

717 implerit $\Gamma^2\varsigma$ : -et ω 719 quantus ωCh : -m W *edd. vett.* 720 flammasque $\Gamma^2\varsigma$ : -isque ω uomentem α$\Gamma^2$ : mou- β 724 fulguret *edd. vett.* 726 effata *edd. vett.* 727 flaminea F (*corr. m.2*) : flamminea GO 735 nutuque β : uictumque F : metuque L 736 uolentis ω *sc. id esse* : -es O *edd. a* j : -em P 738 ac δ *edd. vett.* : at αGV$\varsigma$ 743 tarpeiae F uocis LG (*corr.*) coronant ωCm *Ep. 38* : decorant *edd. a* r1

iamque omnes pandunt portas. ruit undique laetum
non sperata petens dudum sibi gaudia uulgus. 745
hi spectant, quo fixa loco tentoria regis
adstiterint, hi, qua celsus de sede uocatas
affatus fuerit turmas, ubi belliger Astur
atque ubi atrox Garamas saeuusque tetenderit Hammon.
corpora nunc uiua sparguntur gurgitis unda, 750
nunc Anienicolis statuunt altaria nymphis.
tum festam repetunt lustratis moenibus urbem.

**749** hammon *Marsus* (*'id est ipsi nasamones milites'*) *cf.* 6, 675 : amon VP : hannon αGδ **751** anienicolis Γ[2] ς : ame- ω

# SILI ITALICI
# PVNICORVM
## LIBER TERTIVS DECIMVS

Segne iter emenso uixdum Tarpeia uideri
culmina desierant, toruos cum uersus ad urbem
ductor Agenoreus uultus remeare parabat.
castra locat, nulla laedens ubi gramina ripa
Tutia deducit tenuem sine nomine riuum 5
et tacite Tuscis inglorius affluit undis.
hic modo primores socium, modo iussa deorum,
nunc sese increpitat: 'dic o, cui Lydia caede
creuerunt stagna et concussa est Daunia tellus
armorum tonitru, quas exanimatus in oras 10
signa refers? qui mucro tuum, quae lancea tandem
intrauit pectus? si nunc exsisteret alma
Carthago ante oculos turrita celsa figura,
quas abitus, miles, causas illaese dedisses?
"imbres, o patria, et mixtos cum grandine nimbos 15
et tonitrus fugio." procul hanc expellite gentis
femineam Tyriae labem, nisi luce serena
nescire ac liquida Mauortem agitare sub aethra.'
Terror adhuc inerat superum ac redolentia in armis
fulmina et ante oculos irati pugna Tonantis. 20
parendi tamen et cuicumque incumbere iusso

4 lambens *Blass, fort. recte, cf. Claud. rapt. Pros. 2, 103 sq.* 6 tacite β : tante α affuit FO 14 abitus Fδ : ha- F[2]LGV 15 grandine ωCm *Ep. 38* : sanguine *edd. a* r1 16 hinc G gentis ω *recte, v. Thes. 7, 2, 772, 21* : -es *Heinsius, edd. recc.* : -i *Drakenborch, Summers* 18 liquida Γ[2]ς : -o ω

durabat uigor, ac sensim diffusus ad omnes
signa reportandi crescebat in agmine feruor.
sic ubi perrupit stagnantem calculus undam,
exiguos format per prima uolumina gyros, 25
mox tremulum uibrans motu gliscente liquorem
multiplicat crebros sinuati gurgitis orbes,
donec postremo laxatis circulus oris
contingat geminas patulo curuamine ripas.
At contra Argyripae prauum decus (inclita namque 30
semina ab Oenea ductoris stirpe trahebat
Aetoli – Dasio fuit haud ignobile nomen –
laetus opum, sed clauda fides seseque calenti
addiderat Poeno Latiae diffisus habenae) –
is uoluens ueterum memorata antiqua parentum 35
'longo miles' ait 'quateret cum Teucria bello
Pergama et ad muros staret sine sanguine Mauors,
sollicitis Calchas (nam sic fortissimus heros
poscenti socero saepe inter pocula Dauno
narrabat memori Diomedes condita mente) – 40
sed Calchas Danais, nisi clausum ex sedibus arcis
armisonae curent simulacrum auellere diuae,
non umquam affirmat Therapnaeis Ilion armis
cessurum, aut Ledae rediturum nomen Amyclas.
quippe deis uisum, ne cui perrumpere detur 45
effigies ea quas umquam possederit urbes.
tum meus adiuncto monstratam euadit in arcem

22 diffusus G V $\Gamma^2$ : -fusis α : -fisus δ omnes *scripsi coll. 14, 299 et e.g. Val. Max. 3, 2, 19, idem coni. Watt 1984* : auris ω : oras *Blass 1867, 43* : urbem *Summers* 30 Argyripae *Heinsius, v.4, 554* : -gi- $R^2$Ch : argyripa L : agryppe G : agrippe Fγ prauum α : prouum Ch (*sic etiam Syll. III ep. 387*) : paruum β : haud paruum $\Gamma^2$ *edd. vett.* 31 Oenea Ch *Syll. III ep. 387* : enea ω (aenaea F) : aeneae $\Gamma^2$ς : aenei v : Oenei b1 32 Aetoli Dasio *Heinsius* : (a)et(h)olidas id ω : autolidas id Ch : etholidas inter $\Gamma^2$ς : Oetolidas inter *edd. vett.* 34 diffisus $F^2$Lδ : -fusus F G V 47 adiuncto α$G^2$r2v : adaucto β : adducto $\Gamma^2$ς

Tydides Ithaco et dextra amolitus in ipso
custodes aditu templi caeleste reportat
Palladium ac nostris aperit mala Pergama fatis. 50
nam postquam Oenotris fundauit finibus urbem,
aeger delicti Phrygium placare colendo
numen et Iliacos parat exorare penates.
ingens iam templum celsa surgebat in arce,
Laomedonteae sedes ingrata Mineruae, 55
cum medios inter somnos altamque quietem
nec celata deam et minitans Tritonia uirgo:
"non haec, Tydide, tantae pro laudis honore
digna paras; non Garganus nec Daunia tellus
debentur nobis. quaere in Laurentibus aruis 60
qui nunc prima locant melioris moenia Troiae.
huc uittas castumque refer penetrale parentum."
quis trepidus monitis Saturnia regna capessit.
iam Phryx condebat Lauinia Pergama uictor
armaque Laurenti figebat Troia luco. 65
uerum ubi Tyrrheni peruentum ad fluminis undas
castraque Tydides posuit fulgentia ripa,
Priamidae intremuere metu. tum pignora pacis
praetendens dextra ramum canentis oliuae
sic orsus Dauni gener inter murmura Teucrum: 70
"pone, Anchisiade, memores irasque metusque.
quicquid ad Idaeos Xanthum Simoentaque nobis
sanguine sudatum Scaeaeque ad limina portae,
haud nostrum est: egere dei duraeque sorores.
nunc age, quod superest cur non melioribus aeui 75

**48** tydides G : tidi- FV : tity- L : thiti- Γ : theti- O amolitus *Gronovius, cf. Petron. 10, 7; Lucan. 5, 355* : molitus ω **50** mala *suspectum* : male Q Y r2 : *an* iam ? **51** nam ω Ch : sed *edd. a* j **58** tydide r1 : -dae F : tityde L : titide β **62** uittas Cm *Ep. 38* : intras ω : intra $\Gamma^2$ ς r2 *edd. a* v castumque $F^2$ L G V $\Gamma^2$ Cm : castrumque F δ : captumque *edd. vett.* **67** tydides FG : tity- L : titi- γ **68** pignore Ch **72** simoentaque F ς : -meo- L β

ducimus auspiciis? dextras iungamus inermes.
foederis en haec testis erit." ueniamque precatus
Troianam ostentat trepidis de puppe Mineruam.
haec ausos Celtas irrumpere moenia Romae
corripuit leto neque tot de milibus unum 80
ingentis populi patrias dimisit ad aras.'
His fractus ductor conuelli signa maniplis
optato laetis abitu iubet. itur in agros,
diues ubi ante omnes colitur Feronia luco
et sacer umectat Flauinia rura Capenas. 85
fama est intactas longaeui ab origine fani
creuisse in medium congestis undique donis
immensum per tempus opes lustrisque relictum
innumeris aurum solo seruante pauore.
hac auidas mentes ac barbara corda rapina 90
polluit atque armat contemptu pectora diuum.
auia tunc longinqua placent, quae sulcat aratro
ad freta porrectis Trinacria Bruttius aruis.
Dum Libys haud laetus Rhegina ad litora tendit,
uictor summoto patriis a finibus hoste 95
Fuluius infaustam Campana ad moenia clausis
portabat famam miserisque extrema mouebat.
tum prensans passim cuicumque est nomen in armis:
'dedecus hoc defende manu. cur perfida et urbi
altera Carthago nostrae post foedera rupta 100
et missum ad portas Poenum, post iura petita
consulis alterni stat adhuc et turribus altis
Hannibalem ac Libycas exspectat lenta cohortes?'

76 inermes ωCm *Ep. 62* : -tes *edd. a* r1 78 trepidus Ch 81 aras ωCh : oras Γ²ς *edd. vett.* 85 humectat αΓ²ς : inu- β Flauinia *Latinius, Bibl. sacra et profana, Romae 1677, cf. 8, 490; Verg. Aen. 7, 696* : fluuialia ω 86 fani Cm : fauni ω 90 hac ω (hanc O) Ch : haec Γ²ς *edd. vett.* ac αGV : et δς 98 tum b1 : dum ω 99 urbis Ch 101 et missum αGV : adm- δς hic (*pro* ad) O

miscebat dictis facta et nunc robore celsas
educi turres, quis uinceret ardua muri, 105
cogebat, nunc coniunctas adstringere nodis
instabat ferroque trabes, quo frangeret altos
portarum postes quateretque morantia claustra.
hic latera intextus stellatis axibus agger,
hic grauida armato surgebat uinea dorso. 110
at postquam properata satis quae commonet usus,
dat signum atque alacer scalis transcendere muros
imperat ac saeuis urbem terroribus implet,
cum subito dextrum offulsit conatibus omen.
cerua fuit raro terris spectata colore, 115
quae candore niuem, candore anteiret olores.
hanc agreste Capys donum, cum moenia sulco
signaret, grato paruae mollitus amore
nutrierat sensusque hominis donarat alendo.
inde exuta feram docilisque accedere mensis 120
atque ultro blanda attactu gaudebat erili.
aurato matres adsuetae pectine mitem
comere et umenti fluuio reuocare colorem.
numen erat iam cerua loci, famulamque Dianae
credebant, ac tura deum de more dabantur. 125
haec aeui uitaeque tenax felixque senectam
mille indefessos uiridem duxisse per annos
saeclorum numero Troianis condita tecta
aequabat; sed iam longo nox uenerat aeuo.
nam subito incursu saeuorum agitata luporum, 130
qui noctis tenebris urbem (miserabile bello
prodigium) intrarant, primos ad luminis ortus
extulerat sese portis pauidaque petebat

106 abstringere δ 111 at Lr2Ch : ac Fβ commonet αΓ[2] : -uet β 114 offulsit Ch : e- ω 116 quae αΓ[2]ς : qua β 117 donum F[2]LΓ[2] : domum β 122 m. et assueto δ (*corr. in* Γ) : m. assueto ΞWς 123 uiuenti δ (*corr. in* Γ) 127 indefessos Γ[2]ς : inde f. ω

consternata fuga positos ad moenia campos.
exceptam laeto iuuenum certamine ductor 135
mactat, diua, tibi (tibi enim haec gratissima sacra)
Fuluius atque 'adsis,' orat 'Latonia, coeptis.'
Inde alacer fidensque dea circumdata clausis
arma mouet, quaeque obliquo curuantur in orbem
moenia flexa sinu, spissa uallata corona 140
alligat et telis in morem indaginis ambit.
dum pauitant, spumantis equi fera corda fatigans
euehitur porta sublimis Taurea cristis
bellator, cui Sidonius superare lacerto
ductor et Autololas dabat et Maurusia tela. 145
is trepido ac lituum tinnitu stare neganti
imperitans uiolenter equo, postquam auribus hostis
uicinum sese uidet et clamare propinquum,
'Claudius huic' inquit (praestabat Claudius arte
bellandi et merita mille inter proelia fama) 150
'huic' inquit 'solum, si qua est fiducia dextrae,
det sese campo atque ineat certamina mecum.'
Vna mora Aeneadae, postquam uox attigit aures,
dum daret auspicium iusque in certamina ductor.
praeuetitum namque et capital committere Martem 155
sponte uiris. erumpit ouans, ut Fuluius arma
imperio soluit, patulumque inuectus in aequor

139 quaeque *Delz 1975, 171*[31] : quaque ω orbem b1 : ore ω : orbe $\Gamma^2$ 142 pauitant v : -s ω 145 autololas ας : ant(h)- β dabat αr2Ch : *om.* β : dedit $\Gamma^2$ς 146 ac lituum *Dausqueius* : ali- ω : li- *Livineius* 147 uiolenter α$G^2$r2 : -or β : -us $\Gamma^2$ς 148 et αGV : ac δ clamare propinquum *Bauer* : -ore -quo ω *def. Housman ad Lucan. 9, 12* 149 huic LG$V^2$Γς : hinc FO : huc V 151 huic GV$\Gamma^2$ς : hinc αδ 153 uox α$G^2\Gamma^2$ : nox $F^2$GΓ : mox V : uo O 154 iusque $\Sigma^2$ *Livineius* : usque ωCc *Em. 1, 3* 155 praeuetitum F$\Gamma^2$r2v : praeuehitur Lβ namque et capital αPCcCm *Ep. 62* : n. et capita β : n. e capua $\Gamma^2$ς : n. capiti *Calderinus in* Γ : capiti poena *edd. a* j 157 patulumque αGV$\Gamma^2$ : que *om.* δς

erigit undantem glomerato puluere nubem.
indignatus opem ammenti socioque iuuare
expulsum nodo iaculum atque accersere uires 160
Taurea uibrabat nudis conatibus hastam.
inde ruens ira telum contorquet in auras.
at non idem animus Rutulo: speculatur et omni
corpore perlustrat, qua sit certissima ferro
in uulnus uia. nunc uibrat, nunc comprimit hastam 165
mentiturque minas. mediam tunc transigit ictu
parmam, sed grato fraudata est sanguine cuspis.
tum strictum propere uagina detegit ensem.
et iam ferrata rapiebat calce uolantem
Taurea cornipedem fugiens minitantia fata. 170
nec Rutulus leuior cedentis perdere terga
iam profugo rapidus fusis instabat habenis,
utque metus uictum, sic ira et gloria portis
uictorem immisit meritique cupido cruoris.
ac dum uix oculis, uix credunt mentibus hostem 175
confisum nullo comitante irrumpere tectis,
per mediam propere trepidantum interritus urbem
egit equum aduersaque euasit ad agmina porta.
Hinc ardore pari nisuque incurrere muris
ignescunt animi penetrataque tecta subire. 180
tela simul flammaeque micant. tunc saxeus imber
ingruit et summis adscendunt turribus hastae.
nec pronum audendi uirtutem excellere cuiquam:

162 furens *Heinsius* : amens *Blass* 163 at *edd. a* r1 : ac ω speculatur *Livineius* : spectatur ω ab (*pro* et) δς : *an scribendum* speculatur in omni corpore perlustrans ? 166 transigit α$\Gamma^2$ *edd. vett.* : -figit β : -iit Ch (*cf. ad 9, 585*) 167 fraudata *Calderinus in* Γv : fundata ω 168 detigit GV 170 minitantia α$\Gamma^2$ς : inmi- β (immu- G) 171 at (*pro* nec) *Thilo 1864, 407, Bauer, sed cf. e.g. 12, 424* prodere L : prendere Cm *Ep. 62* (*'scribo'*) 172 iam *Burmann* : nam ω 178 auersaque *Heinsius* 179 nisuque α$\Gamma^2$ς : iussuque β

aequarunt irae dextras. Dictaea per auras
tranat et in medium perlabitur urbis harundo. 185
laetatur non hortandi, non plura monendi
Fuluius esse locum. rapiunt sibi quisque laborem.
quos ubi tam erectos animi uidet et †superesse
fortunam† sibi quemque ducem, ruit impete uasto
ad portam magnaeque optat discrimina famae. 190
Tres claustra aequaeuo seruabant corpore fratres,
quis delecta manus centeni cuique ferebant
excubias unaque locum statione tenebant.
forma ex his Numitor, cursu plantaque uolucri
praestabat Laurens, membrorum mole Taburnus. 195
sed non una uiris tela: hic mirabilis arcu,
ille hastam quatere ac medicatae cuspidis ictu
proelia moliri et nudo non credere ferro,
tertius aptabat flammis ac sulphure taedas,
qualis Atlantiaco memoratur litore quondam 200
monstrum Geryones immane tricorporis irae,
cui tres in pugna dextrae uaria arma gerebant:
una ignes saeuos, ast altera pone sagittas
fundebat, ualidam torquebat tertia cornum,
atque uno diuersa dabat tria uulnera nisu. 205
hos ubi non aequis uariantes proelia consul
conspexit telis et portae limina circum
stragem ac perfusos subeuntum sanguine postes,
concitat intortam furiatis uiribus hastam.
letum triste ferens auras secat Itala taxus 210
et qua nudarat, dum fundit spicula, balteo

**186** monendi $L\Gamma^2$r1 : mou- Fβ **188** quos $G^2\Gamma^2$ς : quam ω tibi δ animi α$\Gamma^2$ς : anum β (auum V) super esse *Barth* **189** fortunam ω : -ae *Marso perperam adscribit Heinsius* : factorum *Bauer* **194** numitor $F^2LGV\Gamma^2$ : mun- Fδ uolucris Ch **195** laureus δ Taburnus *Heinsius* (*mons Campaniae*) : la- ω (li- G) **197** meditate Fδ **200** atlantiaco $FV^2\Gamma^2$ : -ico Lβ **208** ac αr2 : et β **211** balteo *Delz 1975, 170 sqq.* : ab alto ω

arcum protendens Numitor latus, ilia transit.
at non obsaepto contentus limine Martem
exercere, leuis bello, sed turbidus ausi,
Virrius incauto feruore eruperat amens 215
reclusa in campum porta miseramque furori
uincentum obtulerat pubem. ruit obuia in arma
Scipio et oblatum metit insatiabilis agmen.
  Tifata umbrifero generatum monte Calenum
nutrierant audere trucem, nec corpore magno 220
mens erat inferior. subsidere saepe leonem,
nudus inire caput pugnas, certare iuuenco
atque obliqua trucis deducere cornua tauri
adsuerat crudoque aliqua se attollere facto.
is, dum praecipites expellit Virrius urbe, 225
seu spreto, seu ne fieret mora, nudus in aequor
thorace exierat leuiorque premebat anhelos
pondere loricae et palantes uictor agebat.
iamque Veliternum media transegerat aluo,
iam solitum aequali ludo committere equestres 230
Scipiadae pugnas Marium tellure reuulso
perculerat saxo. miser implorabat amicum
cum gemitu exspirans, scopulusque premebat hiantem.
sed ualidas saeuo uires duplicante dolore
effudit lacrimas pariter cornumque sonantem 235
Scipio, solamen properans optabile in armis
hostem prostrato morientem ostendere amico.
tranauit uolucris, liquidas ceu finderet auras,

**212** numitor $\alpha G^2\Gamma^2$ : immitor β **219** tifata α *Calderinus in* Γv : si fata β : sed fata *Odus in* Γς calenum αr2 : ce- β **224** aliqua Ch : obliqua F (*corr. m. 2 in* -ae) : oblique Lβ : olim b1 facto FCh : fato Lβ **226** ne $\alpha\Gamma^2$ : ue β **231** marium $\Sigma^2$v : mat- F : mac- Lβ **232** perculerat $F^2\Gamma^2$r1 : -tul- ω **235** effudit αr2 : -und- β **238** uolucris liquidas ω : l. u. QY *edd. a* r1 : *perperam* u. *pro substantivo, i. avis, accipiunt edd.*; *interpunctionem mutavi* finderet α : sci- β *edd.*

hasta uiri pectus rupitque immania membra,
quanta est uis agili per caerula summa Liburnae, 240
quae, pariter quotiens reuocatae ad pectora tonsae
percussere fretum, uentis fugit ocior et se,
quam longa est, uno remorum praeterit ictu.
Ascanium Volesus, proiectis ocius armis
quo leuior peteret muros, per aperta uolantem 245
adsequitur planta. deiectum protinus ense
ante pedes domini iacuit caput; ipse secutus
corruit ulterior procursus impete truncus.
nec spes obsessis ultra reserata tueri
moenia. conuertunt gressus recipique petentes 250
(infandum) excludunt socios, dum cardine uerso
obnixi torquent obices, munimina sera.
acrius hoc instant Itali clausosque fatigant.
et ni caeca sinu terras nox conderet atro,
perfractae rapido patuissent milite portae. 255
Sed non in requiem pariter cessere tenebrae:
hinc sopor impauidus, qualem uictoria nouit;
at Capua aut maestis ululantum flebile matrum
questibus aut gemitu trepidantum exterrita patrum
tormentis finem metamque laboribus orat. 260
mussat perfidiae ductorque caputque senatus.
Virrius a Poeno nullam docet esse salutem,
uociferans pulsis uiuendi e pectore curis:
'speraui sceptra Ausoniae pepigique, sub armis
si dexter Poenis deus et Fortuna fuisset, 265
ut Capuam Iliaci migrarent regna Quirini.
qui quaterent muros Tarpeiaque moenia misi;

247 iacuit $\alpha\Gamma^2$r1 : lat- $\beta$ 250 precantes Ch *edd. recc.* 251 dum *Summers* : tum $\omega$ 252 sera $\omega$ *Livineius* : -ae *edd. a* r1 254 ni $F^2LG\Gamma^2$ : in F$\gamma$ 257 nouit $\omega$ *cf. Stat. Theb. 12, 8* : m- Ch *edd. recc.* 258 at $\Gamma^2\varsigma$ : aut $\omega$ 261 *versus vexatus sed sanus;* senatus *pro nominativo accipiendum* (*cf. Liv. 26, 14, 9*) : ductor coetuque senatus *Summers* : *alia apud Lindblom et Ker*

nec mihi poscendi uigor afuit, alter ut aequos
portaret fasces nostro de nomine consul.
hactenus est uixisse satis. dum copia noctis, 270
cui cordi comes aeterna est Acherontis ad undam
libertas, petat ille meas mensasque dapesque
et uictus mentem fuso per membra Lyaeo
sopitoque necis morsu medicamina cladis
hauriat ac placidis exarmet fata uenenis.' 275
haec ait et turba repetit comitante penates.
  Aedibus in mediis consurgens ilice multa
exstruitur rogus, hospitium commune peremptis.
nec uulgum cessat furiare dolorque pauorque.
nunc menti Decius serae redit et bona uirtus 280
exilio punita truci. despectat ab alto
sacra Fides agitatque uirum fallacia corda.
uox occulta subit passim diffusa per auras:
'foedera, mortales, ne saeuo rumpite ferro,
sed castam seruate fidem. fulgentibus ostro 285
haec potior regnis. dubio qui frangere rerum
gaudebit pacta ac tenuis spes linquet amici,
non illi domus aut coniunx aut uita manebit
umquam expers luctus lacrimaeque. aget aequore semper
ac tellure premens, aget aegrum nocte dieque 290
despecta ac uiolata Fides.' adit omnia iamque
concilia ac mensas contingit et abdita nube
accumbitque toris epulaturque improba Erinys.
ipsa etiam Stygio spumantia pocula tabo
porrigit et large poenas letumque ministrat. 295
Virrius interea, dum dat penetrare medullas

**268** nec $\Phi^2$Cm *Ep.* 62 : hoc ω afuit GVCm : aff- αδ **271** cui αb1 : qui β **275** ac αr2 : et β **280** decius serae α : d. sero G : serae d. γ **283** auras αr2 : -es β **284** rumpere LV **286** dubia L **287** ac α$\Gamma^2$ς : at β **291** despecta $\Gamma^2$ς : di- ω namque *Livineius* **292** contingit α$\Gamma^2$ς : -et $F^2$β **296** dat ωCm *Ep.* 62 : *om.* b2

exitio, adscenditque pyram atque amplexibus haeret
iungentum fata et subici iubet ocius ignes.
Stringebant tenebrae metas, uictorque ruebat,
iamque superstantem muro sociosque Milonem 300
uoce attollentem pubes Campana uidebat.
pandunt attoniti portas trepidoque capessunt
castra inimica gradu, quis leto auertere poenas
defuerant animi. patet urbs confessa furorem
et reserat Tyrio maculatas hospite sedes. 305
matronae puerique ruunt maestumque senatus
concilium nullique hominum lacrimabile uulgus.
stabant innixi pilis exercitus omnis
spectabantque uiros et laeta et tristia ferre
indociles nunc propexis in pectora barbis 310
uerrere humum, nunc foedantes in puluere crinem
canentem et turpi lacrima precibusque pudendis
femineum tenues ululatum fundere in auras.
Atque ea dum miles miratur inertia facta
exspectatque ferox sternendi moenia signum, 315
ecce repens tacito percurrit pectora sensu
religio et saeuas componit numine mentes,
ne flammam taedasque uelint, ne templa sub uno
in cinerem traxisse rogo. subit intima corda
perlabens sensim mitis deus. ille superbae 320
fundamenta Capyn posuisse antiquitus urbi
non cuiquam uisus passim monet, ille refusis
in spatium immensum campis habitanda relinqui
utile tecta docet. paulatim atrocibus irae
languescunt animis et uis mollita senescit. 325

**298** iungentum αCm : iungent tum β : iungere tum Γ² ς **310** nunc αΓ² ς : ierat β propexis F² G V Γ² : -pessis F : -pensis L : -peris δ **311** uerrere αΓ² : -tere β **316** percurrit α *edd. a* r1 : pro- G : pre- γ **319** traxisse ωCm *Ep.* 62 : trans- *edd. vett.* **322** passim uisus V P

Pan Ioue missus erat seruari tecta uolente
Troia, pendenti similis Pan semper et imo
uix ulla inscribens terrae uestigia cornu.
dextera lasciuit caesa Tegeatide capra
uerbera laeta mouens festae per compita caudae. 330
cingit acuta comas et opacat tempora pinus,
ac parua erumpunt rubicunda cornua fronte.
stant aures, imoque cadit barba hispida mento.
pastorale deo baculum, pellisque sinistrum
uelat grata latus tenerae de corpore dammae. 335
nulla in praeruptum tam prona et inhospita cautes,
in qua non librans corpus similisque uolanti
cornipedem tulerit praecisa per auia plantam.
interdum inflexus medio nascentia tergo
respicit arridens hirtae ludibria caudae, 340
obtendensque manum solem inferuescere fronti
arcet et umbrato perlustrat pascua uisu.
hic postquam mandata dei perfecta malamque
sedauit rabiem et permulsit corda furentum,
Arcadiae uolucris saltus et amata reuisit 345
Maenala, ubi argutis longe de uertice sacro
dulce sonans calamis ducit stabula omnia cantu.
At legio Ausonidum flammas ductore iubente
arceri portis stantesque relinquere muros
(mite decus mentis) condunt ensesque facesque. 350
multa deum templis domibusque nitentibus auro
egeritur praeda et uictus alimenta superbi
quisque bonis periere: uirum de corpore uestes

**326** seruari $\alpha V \Gamma^2$ : -ata G$\delta$ **327** similis $\Gamma^2 \varsigma$ : -li $\omega$ imo $\Sigma^2$Ch : uno $\omega$ **330** festae ... caudae *Leo, De Senecae tragoediis observ. crit. 37* : -a ... -a $\omega$ **331** opacat $\omega$Cm : -ca O *edd. a* v **332** fronte $F^2 \Gamma^2$PQ *edd. a* r1 : -de $\omega$ **333** imoque FCm *Ep. 62* : unaque $F^2$ (simo *s.l.*) : sumoque L : summaque G : summoque $\gamma$ mente $\delta$ (*corr. in* $\Gamma$) **335** rapta *Heinsius* dammae $\Gamma^2 \varsigma$ : damn(a)e $\omega$ **344** permulsit $\omega$Cm : -ful- b2 **347** sonans $\Gamma^2$ : -ant $\omega$ : -at $\varsigma$

femineae mensaeque alia tellure petitae
poculaque Eoa luxum irritantia gemma, 355
nec modus argento, caelataque pondera facti
tantum epulis auri, tum passim corpora longo
ordine captiua et domibus deprompta talenta
pascere longinquum non deficientia bellum,
immensique greges famulae ad conuiuia turbae. 360
   Fuluius ut finem spoliandis aedibus aere
belligero reuocante dedit, sublimis ab alto
suggestu, magnis fautor non futilis ausis
'Lanuuio generate,' inquit 'quem Sospita Iuno
dat nobis, Milo, Gradiui cape uictor honorem 365
tempora murali cinctus turrita corona.'
tum sontes procerum meritosque piacula prima
acciet et iusta punit commissa securi.
   Hic atrox uirtus (nec enim occuluisse probarim
spectatum uel in hoste decus) clamore feroci 370
Taurea 'tune' inquit 'ferro spoliabis inultus
te maiorem anima et iusso lictore recisa
ignauos cadet ante pedes fortissima ceruix?
haud umquam hoc uobis dederit deus.' inde minaci
obtutu toruum contra et furiale renidens 375
bellatorem alacer per pectora transigit ensem.
cui ductor: 'patriam moriens comitare cadentem.
qui nobis animus, quae dextera cuique uiritim,

355 poculaque $F^2\Gamma^2\varsigma$ : que *om.* ω eoa $F^2\Gamma^2\varsigma$ : oea ω 360 conuiuia $F^2L\Gamma^2Ppl$ : com(m)unia $F\beta\varsigma$ 364 lanuuio $F^2$ *in lac.* Ch : ianuino L : lauinno GV : lauino $\delta\varsigma$ sospita $\Gamma^2\varsigma$ : h- ω 366 cinctus ωCm *Ep. 62* : cunctis *edd. a* v 368 acciet ω *v. ALL* 9, *586* : accit $\Gamma^2\varsigma$ : acciit p iusta $R^2P^2pl$ : infra ω : interea $\Gamma^2\varsigma$ 369 probarim $\Phi^2$Cm : precarim Ch : p̄carum ω (procarum G) : precatur $\Gamma^2\varsigma$ : probatum Pp *edd. a* l 371 tune $\alpha\Gamma^2$rlmplCm : tunc β 372 anima *Bauer* : -am ω iusso $\alpha\Gamma^2\varsigma$ : uiso β 374 uobis αCm : n- β 375 renidens $\alpha\Gamma^2\varsigma$ : reu- β 376 transigit ας : -figit β 378 cuique uiritim *Gronovius* : quidue u. ω : qu. uiri sim *Withof*

decernet Mauors. tibi, si rebare pudendum
iussa pati, licuit pugnanti occumbere letum.' 380
Dum Capua infaustam luit haud sine sanguine culpam,
interea geminos terra crudelis Hibera
fortuna abstulerat permiscens tristia laetis
Scipiadas, magnumque decus magnumque dolorem.
forte Dicarchea iuuenis tum sedit in urbe 385
Scipio post belli repetens extrema penates.
huc tristes lacrimas et funera acerba suorum
fama tulit. duris quamquam non cedere suetus
pulsato lacerat uiolenter pectore amictus.
non comites tenuisse ualent, non ullus honorum 390
militiaeue pudor. pietas irata sinistris
caelicolis furit atque odit solacia luctus.
iamque dies iterumque dies absumpta querelis.
uersatur species ante ora oculosque parentum.
ergo excire parat manes animasque suorum 395
alloquioque uirum tantos mulcere dolores.
hortatur uicina palus, ubi signat Auerni
squalentem introitum stagnans Acherusius umor.
noscere uenturos agitat mens protinus annos.
Sic ad Cymaeam, quae tum sub nomine Phoebi 400
Autonoe tripodas sacros antrumque tenebat,
fert gressus iuuenis consultaque pectoris aegri
pandit et adspectus orat contingere patrum.
nec cunctata diu uates 'mactare repostis
mos umbris' inquit 'consueta piacula nigras 405

379 decreuit *Blass* 380 iusta *edd. a* j 381 infaustam *edd. a* r1 : -um ω : infandum P 382 (h)ibera F$G^2\Gamma^2$ς : -rna Lβ 385 tum α *ut coni. Heinsius* : dum β 389 pulsato $\Gamma^2$ς : -a ω 397 signat α$V^2\Gamma^2$ : signa β 398 (h)umor αGVr2v : amor δ : ardor $\Gamma^2$ς 400 cym(a)eam LCh : crineam Fβ (corn- G) : gryn- *edd. vett.* numine *Heinsius* 401 autonoe $F^2$ *marg.* $\Gamma^2$ς : -one Lβ : actonite F 404 cunctata K$R^2\Gamma^2$ς : cunctam ω 405 mos ωCh : mox Q *edd. a* v

sub lucem pecudes reclusaeque abdere terrae
manantem iugulis spirantum caede cruorem.
tunc populos tibi regna suos pallentia mittent.
cetera quae poscis maiori uate canentur.
namque tibi Elysio repetita oracula campo 410
eliciam ueterisque dabo inter sacra Sibyllae
cernere fatidicam Phoebei pectoris umbram.
uade age et a medio cum se nox umida cursu
flexerit, ad fauces uicini castus Auerni
duc praedicta sacra et duro placamina Diti; 415
mella simul tecum et puri fer dona Lyaei.
Hoc alacer monitu et promissae nomine uatis
apparat occulto monstrata piacula coepto.
inde ubi nox iussam procedens contigit horam
et spatia aequarunt tenebras transacta futuras, 420
consurgit stratis pergitque ad turbida portae
ostia Tartareae, penitus quis abdita uates
promissa implerat Stygioque sedebat in antro.
tum qua se primum rupta tellure recludit
inuisus caelo specus atque eructat acerbam 425
Cocyti laxo suspirans ore paludem,
inducit iuuenem ferroque cauare refossam
ocius urget humum atque arcanum murmur anhelans
ordine mactari pecudes iubet: ater operto
ante omnes taurus regi, tum proxima diuae 430
caeditur Hennaeae casta ceruice iuuenca.

406 sub $\Gamma^2$ς : sed ω abdere $\Gamma^2$ς : add- ω (ad- GV) 409 maiori α$V^2\Gamma^2$ς *cf. Housman ad Lucan. 7, 162* : maior β uate α$V^2\Gamma^2$ς : n- β 412 ph(o)ebei F$\Gamma^2$ς : phebi L : phebi et β 415 sacra et *Summers, cf. Verg. Aen. 12, 199* : sacris ω 422 abdita $\Gamma^2$ς : ad(d)- ω 425 inuisus ωCh : -m $Q^2$r2 *edd. a* v (*de genere ambiguo v. Verg. Aen. 7, 568 et Serv. ad l.*) eruptat Lς 427 cauere δ (*corr. in* Γ) 429 ater αr2 : acer β operto Fδ : a- LGV 430 tum $\Gamma^2$ *edd. vett.* : dum ω 431 henn(a)e(a)e β (-eque O) : (a)et(h)ne(a)e α$\Gamma^2$ς iuuenta FGV

inde tibi, Allecto, tibi, numquam laeta Megaera,
corpora lanigerum procumbunt lecta bidentum.
fundunt mella super Bacchique et lactis honorem.
'sta, iuuenis, faciemque Erebo quae surgit ab omni' 435
exclamat uates 'patere. accedentia cerno
Tartara et ante oculos adsistere tertia regna.
ecce ruunt uariae species et quicquid ab ipso
natum hominum exstinctumque chao est' (iam cuncta uidebat,
Cyclopas Scyllamque et pastos membra uirorum 440
Odrysiae telluris equos); 'contende tueri
eductumque tene uagina interritus ensem.
quaecumque ante animae tendent potare cruorem
disice, dum castae procedat imago Sibyllae.
interea cerne, ut gressus inhumata citatos 445
fert umbra et properat tecum coniungere dicta,
cui datur ante atros absumpti corporis ignes
sanguine non tacto solitas effundere uoces.'
adspicit et subito turbatus Scipio uisu
'quinam te, qui casus,' ait 'dux maxime, fessae 450
eripuit patriae, cum tales horrida poscant
bella uiros? nec enim dextra concesserit ulli
Appius aut astu. decimum lux rettulit ortum,
ut te, cum Capua remearem, uulnera uidi
mulcentem, hoc uno maestum, quod adire nequires 455
saucius ad muros et Martis honore careres.'
Contra quae ductor: 'fesso mihi proxima tandem
lux gratos Phaethontis equos auertit et atris

435 sta Fγ *Livineius* : stat LGV² *edd. vett.* 438 ipso *Summers, cf. 12, 520* : imo ω 439 uidebis *Ruperti, fort. recte* 443 tendunt ς *edd. vett.* 444 disjice *edd. vett.* : dissice ωCh *edd. recc., v. Leumann 128* procedat P *edd. a* r1 : prae- ω 445 et δ (*corr. in* Γ) ς inhumata Γ²ς : -antia F : -acia L : -ana F²β 446 fert F²β : et F : est L

aeternum demisit aquis. sed lenta meorum
dum uanos ritus cura et sollemnia uulgi 460
exsequitur, cessat flammis imponere corpus,
ut portet tumulis per longum membra paternis.
quod te per nostri Martis precor aemula facta,
arce quae putres artus medicamina seruant
daque uago portas quamprimum Acherontis adire.' 465
Tunc iuuenis: 'gens o ueteris pulcherrima Clausi,
haud ulla ante tuam, quamquam non parua fatigent,
curarum prior exstiterit. namque ista per omnes
discrimen seruat populos uariatque iacentum
exsequias tumuli et cinerum sententia discors. 470
tellure, ut perhibent, is mos antiquus Hibera:
exanima obscenus consumit corpora uultur.
regia cum lucem posuerunt membra, probatum est
Hyrcanis adhibere canes. Aegyptia tellus
claudit odorato post funus stantia saxo 475
corpora et a mensis exsanguem haud separat umbram.
exhausto instituit Pontus uacuare cerebro
ora uirum et longum medicata reponit in aeuum.
quid, qui reclusa nudos Garamantes harena
infodiunt? quid, qui saeuo sepelire profundo 480
exanimos mandant Libycis Nasamones in oris?
at Celtae uacui capitis circumdare gaudent
ossa, nefas, auro ac mensis ea pocula seruant.
Cecropidae ob patriam Mauortis sorte peremptos
decreuere simul communibus urere flammis. 485

459 dimisit r2Cd(?) **464** putres *Dausqueius* : patris ω : -ios Γ²ς : -iis *edd. a* v **466** tunc α : tum β clausi *Vat. Inc. II 427 marg., quod Marso perperam attribuit Heinsius* (*cf. 8, 412*) : -di ω (dandi GV) **471** *sic distinxi* : *varie parenthesin agnoscunt edd.* **472** examina Lδ (*corr. in* Γ) obscenus αΓ²ς : -is β **475** adorato r1mp *Bothe, Duff, sed cf. Paul. Nol. carm. 14, 97* odorifero ... sepulcro **478** medicata Ch : mechrata F : mecchata L : mercata F²β : myrrhata *Calderinus in* Γ *edd. a* v **482** ad GV **483** ac αr2 : et β

at gente in Scythica suffixa cadauera truncis
lenta dies sepelit putri liquentia tabo.'
Talia dum memorant, umbra ueniente Sibyllae
Autonoe 'finem hic' inquit 'sermonibus adde
alternis. haec, haec ueri fecunda sacerdos, 490
cui tantum patuit rerum, quantum ipse negarit
plus nouisse deus. me iam comitante tuorum
tempus abire globo et pecudes imponere flammis.'
At grauida arcanis Cymes anus attigit ore
postquam sacrificum delibauitque cruorem, 495
in decus egregiae uultus intenta iuuentae
'aetherea fruerer cum luce, haud segniter' inquit
'Cymaeo populis uox nostra sonabat in antro.
tum te permixtum saeclis rebusque futuris
Aeneadum cecini. sed non sat digna mearum 500
cura tuis uocum. nec enim conquirere dicta
aut seruare fuit proauis sollertia uestris.
uerum age disce, puer, quoniam cognoscere cordi est,
iam tua deque tuis pendentia Dardana fatis.
namque tibi cerno properatum oracula uitae 505
hinc petere et patrios uisu contingere manes.
armifero uictor patrem ulcisceris Hibero,
creditus ante annos Martem, ferroque resolues
gaudia Poenorum et missum laetabere bello
omen Hiberiacis uicta Carthagine terris. 510

**486** at $\Gamma^2\varsigma$ : ac ω **489** autonoe L$\Gamma^2\varsigma$ : auct- F : autone β **490** alterius δ (*corr. in* Γ) h(a)ec h(a)ec α$V^2\Gamma$ : haec V : haec hoc G : hoc haec O : haec est P **491** quanto *Barth, probant Bothe et Summers perperam, cf. H.–Sz. 110* **494** cymes $\Gamma^2$v : crynes L : cri- Fβ anus $V^2\Gamma^2\varsigma$ : auus ω **496** egregium p *edd. a* v **498** cymeo Lv : crin(a)eo Fβ : gryneo r1m **500** cecini L$\Gamma^2\varsigma$ : cecum F : tecum β **503** quoniam Ch : qūō *i.* quoniam (*v. Cappelli, Diz. di abbr.*) Fβ : quomodo L : quando $\Gamma^2F^2$ *marg.* $G^2$ *marg.* ς *edd.* (*cf. 519; 7, 310. 533; 17, 360*) **505** terno F (*corr.*) L *verbis sanis diffidunt Heinsius et Summers* **508** martem ω *def. Helm 257sq.* : -i $\Gamma^2\varsigma$ *edd.* **509** missum *suspectum, an* uisum?

maius ad imperium posthac capiere, nec ante
Iuppiter absistet cura quam cuncta fugarit
in Libyam bella et uincendum duxerit ipse
Sidonium tibi rectorem. pudet urbis iniquae,
quod post haec decus hoc patriaque domoque carebit.' 515
sic uates gressumque lacus uertebat ad atros.
Tum iuuenis 'quaecumque datur sors durior aeui,
obnitemur,' ait 'culpa modo pectora cessent.
sed te oro, quoniam uitae tibi causa labores
humanos iuuisse fuit, siste, inclita uirgo, 520
paulisper gressum et nobis manesque silentum
enumera Stygiaeque aperi formidinis aulam.'
Annuit illa quidem, sed 'non optanda recludis
regna:' ait 'hic tenebras habitant uolitantque per umbras
innumeri quondam populi. domus omnibus una. 525
in medio uastum late se tendit inane;
huc quicquid terrae, quicquid freta et igneus aer
nutriuit primo mundi genitalis ab aeuo
mors communis agit; descendunt cuncta, capitque
campus iners quantum interiit restatque futurum. 530
cingunt regna decem portae. quarum una receptat
belligeros, dura Gradiui sorte creatos,
altera, qui leges posuere atque inclita iura
gentibus et primas fundarunt moenibus urbes.
tertia ruricolas, Cereris iustissima turba 535
quae uenit ad manes et fraudum illaesa ueneno.
exin, qui laetas artes uitaeque colendae
inuenere uiam nec dedignanda parenti

**511** posthac αCh : post haec β **512** assistet VΓ (*corr.*) P cura LΓ[2]ς : t- F : r- β **515** post haec decus hoc αGVP : p. hoc d. δ : tu p. d. hoc Γ[2]ς carebis ς **517** dum Ch **518** censent δ (*corr. in* Γ) **519** quō *i.* quoniam (*v. ad 503*) GV : quomodo αδ : quando F[2]Γ[2]ς *edd.* **523** adnuit (ann-) FΓ[2]ς : adimit L : adiuuit β : audiit V[2] *in lac.* P **524** agitant *edd. a* r1 **527** aether *edd. a* r1 **535** certissima F cura *Summers, cf. Verg. Aen. 10, 132*

carmina fuderunt Phoebo, sua limina seruant.
proxima, quos uenti saeuaeque hausere procellae, 540
naufraga porta rapit; sic illam nomine dicunt.
finitima huic noxa grauido et peccasse fatenti
uasta patet populo. poenas Rhadamanthus in ipso
expetit introitu mortemque exercet inanem.
septima femineis reseratur porta cateruis, 545
umentes ubi casta fouet Proserpina lucos.
infantum hinc gregibus uersasque ad funera taedas
passis uirginibus turbaeque in limine lucis
est iter exstinctae et uagitu ianua nota.
tum seducta loco et laxata lucida nocte 550
claustra nitent, quae secreti per limitis umbram
Elysios ducunt campos. hic turba piorum,
nec Stygio in regno, caeli nec posta sub axe,
uerum ultra Oceanum sacro contermina fonti
Lethaeos potat latices, obliuia mentis. 555
extrema hinc auro fulgens iam lucis honorem
sentit et admoto splendet ceu sidere lunae.
hac animae caelum repetunt ac mille peractis
oblitae Ditem redeunt in corpora lustris.
has passim nigrum pandens Mors lurida rictum 560
itque reditque uias et portis omnibus errat.
  Tum iacet in spatium sine corpore pigra uorago
limosique lacus. large exundantibus urit
ripas saeuus aquis Phlegethon et turbine anhelo

539 fundarunt δς limina $F\Gamma^2$ς : lu- Lβ seruant $\alpha\Gamma^2$ς : -ent β 541 capit *Buchwald* 542 huic $F\Gamma^2$ς : hinc Lβ 543 radamantus $\alpha G\Gamma^2$ς : re- γ 546 humentis ubi $F^2$Ch (umentes) : (h)umentibus α : uiuentibus ubi G : uiuentis ubi V : u. tibi O : liuentes ubi $\Gamma^2$ς 547 que *om.* δς 554 contermina αPpCm *Ep. 78* : cortamina V (*corr. in* cotermina) : certamina Gδ 555 latices $F^2$β : laties F : lacies L 560 has ω : hac Ch 562 corpore *suspectum, an* nomine ? 563 large $R^2\Gamma^2\Sigma$r2 : l. ex F : l. et $F^2$Lβ : late ς *edd.*

flammarum resonans saxosa incendia torquet. 565
parte alia torrens Cocytos sanguinis atri
uerticibus furit et spumanti gurgite fertur.
at magnis semper diuis regique deorum
iurari dignata palus picis horrida riuo
fumiferum uoluit Styx inter sulphura limum. 570
tristior his Acheron sanie crassoque ueneno
aestuat et gelidam eructans cum murmure harenam
descendit nigra lentus per stagna palude.
hanc potat saniem non uno Cerberus ore,
haec et Tisiphones sunt pocula, et atra Megaera 575
hinc sitit, ac nullo rabies restinguitur haustu.
ultimus erumpit lacrimarum fontibus amnis
ante aulam atque aditus et inexorabile limen.
Quanta cohors omni stabulante per atria monstro
excubat et manes permixto murmure terret! 580
Luctus edax Maciesque, malis comes addita morbis,
et Maeror pastus fletu et sine sanguine Pallor
Curaeque Insidiaeque atque hinc queribunda Senectus,
hinc angens utraque manu sua guttura Liuor
et, deforme malum ac sceleri procliuis, Egestas 585
Errorque infido gressu et Discordia gaudens
permiscere fretum caelo. sedet ostia Ditis
centenis suetus Briareus recludere palmis
et Sphinx uirgineos rictus infecta cruore
Scyllaque Centaurique truces umbraeque Gigantum. 590
Cerberus hic ruptis peragrat cum Tartara uinclis,

568 ac α 572 calidam *Schrader, recte ut puto, cf. 11, 473* eruptans Lς 574 potat ωCm *Ep. 78* : optat *edd. a* v uno αG²VΓ² : imo Gδ 576 hinc ωCm : hic *edd. a* v : hanc *Blass 1867, 44 edd. recc. an* rabiem*?* restinguitur αr2Cm : ex- β 579 quanta ω *Livineius* : quarta *edd. a* r1 atria ωCh : auia *edd. a* r1 580 manis (-es) αΓς : maius β 587 sedet αP *Livineius* : sed et β ostia L : ho- Fβ 589 spinx β 591 hinc VO

non ipsa Allecto, non feta furore Megaera
audet adire ferum, dum fractus mille catenis
uiperea latrans circumligat ilia cauda.
   Dextra uasta comas nemorosaque bracchia fundit   595
taxus Cocyti rigua frondosior unda.
hic dirae uolucres pastusque cadauere uultur
et multus bubo ac sparsis strix sanguine pennis
Harpyiaeque fouent nidos atque omnibus haerent
condensae foliis; saeuit stridoribus arbor.   600
has inter formas coniunx Iunonis Auernae
suggestu residens cognoscit crimina regum.
stant uincti seroque piget sub iudice culpae.
circum errant Furiae Poenarumque omnis imago.
quam uellent numquam sceptris fulsisse superbis!   605
insultant duro imperio non digna nec aequa
ad superos passi manes, quaeque ante profari
non licitum uiuis, tandem permissa queruntur.
tunc alius saeuis religatur rupe catenis,
ast alius subigit saxum contra ardua montis,   610
uipereo domat hunc aeterna Megaera flagello.
talia letiferis restant patienda tyrannis.
sed te maternos tempus cognoscere uultus,
cuius prima uenit non tardis passibus umbra.'
   Adstabat fecunda Iouis Pomponia furto.   615
namque ubi cognouit Latio surgentia bella
Poenorum Venus, insidias anteire laborans
Iunonis fusa sensim per pectora patrem
implicuit flamma. quae ni prouisa fuissent,
Sidonia Iliacas nunc uirgo accenderet aras.   620
ergo ubi gustatus cruor admonuitque Sibylla

592 non feta ω : nec f. ς   593 fractus *Damsté* : -is ω   595 fundat δ (*corr. in* Γ)   598 pennis $\alpha\Gamma^2\varsigma$ : penis β   600 arbor PYr2l : ardor ω   610 contra αGVPpl : que δ : perque $\Gamma^2\varsigma$ *edd. vett.*   612 patienda αrl : fac- β

et dedit alternos ambobus noscere uultus,
sic iuuenis prior: 'o magni mihi numinis instar,
cara parens, quam, te ut nobis uidisse liceret,
optassem Stygias uel leto intrare tenebras. 625
quae sors nostra fuit, cui te cum prima subiret
eripuit sine honore dies et funere carpsit!'
excipit his mater: 'nullos, o nate, labores
mors habuit nostra; aetherio dum pondere partu
exsoluor, miti dextra Cyllenia proles 630
imperio Iouis Elysias deduxit in oras
attribuitque pares sedes, ubi magna moratur
Alcidae genetrix, ubi sacro munere Leda.
uerum age, nate, tuos ortus, ne bella pauescas
ulla nec in caelum dubites te attollere factis, 635
quando aperire datur nobis, nunc denique disce.
sola die caperem medio cum forte petitos
ad requiem somnos, subitus mihi membra ligauit
amplexus, non ille meo ueniente marito
adsuetus facilisque mihi. tum luce corusca, 640
implebat quamquam languentia lumina somnus,
uidi, crede, Iouem. nec me mutata fefellit
forma dei, quod squalentem conuersus in anguem
ingenti traxit curuata uolumina gyro.
sed mihi post partum non ultra ducere uitam 645
concessum. heu, quantum gemui, quod spiritus ante
haec tibi quam noscenda darem discessit in auras!'
his alacer colla amplexu materna petebat,
umbraque ter frustra per inane petita fefellit.
Succedunt simulacra uirum concordia, patris 650
unanimique simul patrui. ruit ipse per umbram

**622** noscere α $V^2$ $\Gamma^2$ : cognoscere β **629** partu $Q^2$ *edd. a* v *recte, v. Thes. 5, 2, 1877, 61* : -um ω (patrum F) Ch (?) **631** ad δς **635** nec α $\Gamma^2$ : ne β tollere *edd. a* r1 **636** nobiscum denique Ch **640** coruscas Ch **641** somnus $\Gamma^2$ ς : -o ω **646** gemui $F^2$ L Γ : gemini F O : gemiti G : ge (*lac.*) V

oscula uana petens iuuenis fumoque uolucri
et nebulis similes animas apprendere certat.
'quis te, care pater, quo stabant Itala regna,
exosus Latium deus abstulit? ei mihi! nam cur 655
ulla fuere adeo, quibus a te saeuus abessem,
momenta? opposito mutassem pectore mortem.
quantos funeribus uestris gens Itala passim
dat gemitus! tumulus uobis censente senatu
Mauortis geminus surgit per gramina campo.' 660
nec passi plura in medio sermone loquentis
sic adeo incipiunt; prior haec genitoris imago:
'ipsa quidem uirtus sibimet pulcherrima merces;
dulce tamen uenit ad manes, cum gratia uitae
durat apud superos, nec edunt obliuia laudem. 665
uerum age, fare, decus nostrum, te quanta fatiget
militia. heu, quotiens intrat mea pectora terror,
cum repeto, quam saeuus eas, ubi magna pericla
contingunt tibi! per nostri, fortissime, leti
obtestor causas, Martis moderare furori. 670
sat tibi sint documenta domus! octaua terebat
arentem culmis messem crepitantibus aestas,
ex quo cuncta mihi calcata meoque subibat
germano †deuexa† iugum Tartessia tellus.
nos miserae muros et tecta renata Sagunto, 675
nos dedimus Baetem nullo potare sub hoste,
nobis indomitus conuertit terque quaterque
germanus terga Hannibalis. pro barbara numquam
impolluta fides! peterem cum uictor adesum

654 quod s. Ch 655 latio Γ[2] *edd. a* r1 658 uestris αGV[2] : no- γς 659 nobis F[2]L 660 campi *Damsté* 661 plures medio Ch : plura et m. *Heinsius* 664 gloria *edd. a* v 670 causa Ch : -am *Heinsius* 671 sint ωCh : sunt δς 674 deuicta *Summers* : defessa *ego coll. 1, 566; Cic. har. resp. 27; Hirt. Gall. 8, 49, 3; Sidon. carm. 7, 297* iugum αGW[2]ς : lugum V : lugam δ 676 betem Lβ (*v. 3, 405*) : baetym F

cladibus Hasdrubalem, subito uenale, cohortes 680
Hispanae, uulgus, †Libyci quas fecerat auri†
Hasdrubal, abrupto liquerunt agmine signa.
tunc hostis socio desertos milite multum
ditior ipse uiris spisso circumdedit orbe.
non segnis nobis nec inultis, nate, peracta est 685
illa suprema dies, et laude inclusimus aeuum.'
Excipit inde suos frater coniungere casus:
'excelsae turris post ultima rebus in artis
subsidium optaram supremaque bella ciebam.
fumantes taedas ac lata incendia passim 690
et mille iniecere faces. nil nomine leti
de superis queror; haud paruo data membra sepulcro
nostra cremauerunt in morte haerentibus armis.
sed me luctus habet, geminae ne clade ruinae
cesserit affusis oppressa Hispania Poenis.' 695
Contra quae iuuenis turbato fletibus ore:
'di, quaeso, ut merita est, dignas pro talibus ausis
Carthago expendat poenas. sed continet acres
Pyrenes populos qui uestro Marte probatus
excepit fessos et notis Marcius armis 700
successit bello. fusos quoque fama ferebat
uictores acie atque exacta piacula caedis.'
his laeti rediere duces loca amoena piorum,
prosequiturque oculis puer aduenerатus euntes.
Iamque aderat multa uix agnoscendus in umbra 705
Paulus et epoto fundebat sanguine uerba:

**681** libici β : libia α (-y- L) : libyco ... auro *edd.* $a$r1 : Libyci ... auri *frustra def. Housman* (*The letters of A.E. Housman ed. by H. Maas, London 1971, 433*) : Libyco quas ceperat auro *Schrader* : Libyas quas fecerat auro *Summers* : Libyco quas flexerat auro *Bailey* **685** inultis αGΓ² : multis γ est *om.* δς **686** indulsimus G *ut coni. Heinsius* (laudi i.), *sed v. Thes. 7, 1, 955, 80 sqq.* **700** Marcius *Heinsius* : martius β : maretius α (*in exemplari nimirum fuit* mar^e^tius)

'lux Italum, cuius spectaui Martia facta
multum uno maiora uiro, descendere nocti
atque habitanda semel subigit quis uisere regna?'
cui contra tales effundit Scipio uoces: 710
'armipotens ductor, quam sunt tua fata per urbem
lamentata diu! quam paene ruentia tecum
traxisti ad Stygias Oenotria tecta tenebras!
tum tibi defuncto tumulum Sidonius hostis
constituit laudemque tuo quaesiuit honore.' 715
dumque audit lacrimans hostilia funera Paulus,
ante oculos iam Flaminius, iam Gracchus et aegro
absumptus Cannis stabat Seruilius ore.
appellare uiros erat ardor et addere uerba,
sed raptabat amor priscos cognoscere manes. 720
  Nunc meritum saeua Brutum immortale securi
nomen, nunc superos aequantem laude Camillum,
nunc auro Curium non umquam cernit amicum.
ora Sibylla docet uenientum et nomina pandit:
'hic fraudes pacis Pyrrhumque a limine portae 725
deiecit uisus orbus, tulit ille ruentem
Thybridis in ripas regem solusque reuulso
pone ferox ponte exclusit redeuntia regna.
si tibi dulce uirum, primo qui foedera bello
Phoenicum pepigit, uidisse: hic inclitus ille 730
aequoreis uictor cum classe Lutatius aruis.

707 spectaui αVP *edd. a* r1 : -atu Gδ : -antur Γ² ς  708 nocti Cm *Ep. 78* : nosci α : nosti β : nunc te *edd. a* r1  710 cui αCm : qui β : quem Γ² ς  713 regna *L. Müller 192*  721 s(a)eua αΓς : sceua V : serua G : leua O  722 superos (a)equantem β : s. -tum α : -is -tem *edd. a* r1 : -is aequatum *Vat. Inc. II 427 marg.* : -is aequandum *Heinsius*  723 nunc αΓ² ς : non β  725 pirrumque β : pyryliumque α : preliumque F²  portae Γ² ς : -at ω  726 reiecit *Withof, edd. recc., sed cf. 16, 289*  729 f(o)edera αΓ² ς : -e β  730 inclitus F²LGVΓ²r2 : hic ditus F : medius δς : Martius *edd. a* b1  731 ultor V  lutatius αG²V²Γ² : luct- β  aruis *Damsté coll. Verg. Aen. 8, 695* : armis ω

si studium et saeuam cognoscere Hamilcaris umbram:
illa est (cerne procul) cui frons nec morte remissa
irarum seruat rabiem. si iungere cordi est
colloquium, sine gustato det sanguine uocem.' 735
atque ubi permissum et sitiens se impleuit imago,
sic prior increpitat non mitis Scipio uultu:
'taliane, o fraudum genitor, sunt foedera uobis?
aut haec Sicania pepigisti captus in ora?
bella tuus toto natus contra omnia pacta 740
exercet Latio et perruptis molibus Alpes
eluctatus adest, feruet gens Itala Marte
barbarico, et refluunt obstructi stragibus amnes.'
post quae Poenus ait: 'decimum modo coeperat annum
excessisse puer, nostro cum bella Latinis 745
concepit iussu, licitum nec fallere diuos
iuratos patri. quod si Laurentia uastat
nunc igni regna et Phrygias res uertere temptat,
o pietas, o sancta fides, o uera propago!
atque utinam amissum reparet decus!' inde citato 750
celsus abit gressu, maiorque recessit imago.
Exin designat uates, qui iura sub armis
poscenti dederint populo primique petitas
miscuerint Italis Piraeo litore leges.
laetatur spectatque uirum insatiabilis ora 755
Scipio et appellet cunctos, ni magna sacerdos
admoneat turbae innumerae: 'quot milia toto
credis in orbe, puer, lustras dum singula uisu,

733 ille *Bauer tacite* (*per errorem ut videtur*) morte $F^2$L *edd. a* v : moste F : meste β (-a O) : ueste $\Gamma^2$ς remissam *Livineius* 736 se impleuit FGΓς : semipleuit LVO 737 mitis ω *cf. Stat. Theb.* 6, *291* : -i *edd. a* r1 742 eluctatus $F^2\Gamma^2$ς : fl- ω 744 decimum $F^2$L$\Gamma^2$ς : demum Fβ 746 iussu α$\Gamma^2$ς : uisu β 750 utinam L$\Gamma^2$ς : ũt F : utilem β 755 spectatque P *edd. a* r1 : spiratque ω *vix defendendum loco Stat. silv.* 4, 6, 95 uirum β : uicum α 756 ni $F^2$G$\Gamma^2$ : in αγ 757 innumerae $\Gamma^2$ς : -ra ω quot $\Gamma^2$ς : quod ω 758 dum αr2l : tum GVO : cum Γς

descendisse Erebo? nullo non tempore abundans
umbrarum huc agitur torrens, uectatque capaci 760
agmina mole Charon et sufficit improba puppis.'
Post haec ostendens iuuenem sic uirgo profatur:
'hic ille est, tellure uagus qui uictor in omni
cursu signa tulit, cui peruia Bactra Dahaeque,
qui Gangen bibit et Pellaeo ponte Niphaten 765
adstrinxit, cui stant sacro sua moenia Nilo.'
incipit Aeneades: 'Libyci certissima proles
Hammonis, quando exsuperat tua gloria cunctos
indubitata duces similique cupidine rerum
pectora nostra calent, quae te uia, fare, superbum 770
ad decus et summas laudum perduxerit arces.'
ille sub haec: 'turpis lenti sollertia Martis.
audendo bella expedias. pigra extulit astris
haud umquam sese uirtus. tu magna gerendi
praecipita tempus. mors atra impendet agenti.' 775
haec effatus abit. Croesi mox aduolat umbra,
diues apud superos, sed mors aequarat egenis.
Atque hic Elysio tendentem limite cernens
effigiem iuuenis, caste cui uitta ligabat
purpurea effusos per colla nitentia crines: 780
'dic,' ait 'hic quinam, uirgo? nam luce refulget
praecipua frons sacra uiro, multaeque sequuntur
mirantes animae et laeto clamore frequentant.

759 erebo $F^2 V^2 \Gamma^2$ ς : crebro L : credo Fβ 760 umbrarum αr2 *edd. a* v : undarum β 761 nec s. *L. Müller 192* : uix s. *Bauer coll. Petron. 121 v. 117, sed* sufficit *i. suppeditat* 762 iuuenem Cm *Ep. 78* : -ni ω 764 cursim *Modius, vocabulo a poetis vitato* Dahaeque *Modius* : dab(a)eque ω (cla- Γ) : dac(h)(a)eque $F^2$ *edd. vett.* 765 pellaeo $\Gamma^2$ς : pa- ω 768 quando ωCm : -to *edd. vett.* 770 fare Cm : sure α : scire β 771 arces plCm : artis *vel* -es ω 773 artis Ch *edd. recc., sed cf. 3, 594 et v. Blomgren 47 sq.* 775 agenti $\Gamma^2$ς : e- ω 779 casti *Livineius* : -am *Heinsius* (*cui* iuuenis *i. Scipio*) uitta $V\Gamma^2$r1 : uita G : uicta αδ 781 quinam $\alpha\Gamma^2$ς : qu(a)enam β 782 sequuntur $\alpha\Gamma^2$ς : -entur β

qui uultus! quem, si Stygia non esset in umbra,
dixissem facile esse deum.' 'non falleris;' inquit 785
docta comes Triuiae 'meruit deus esse uideri,
et fuit in tanto non paruum pectore numen.
carmine complexus terram, mare, sidera, manes
et cantu Musas et Phoebum aequauit honore.
atque haec cuncta, prius quam cerneret, ordine terris 790
prodidit ac uestram tulit usque ad sidera Troiam.'
Scipio perlustrans oculis laetantibus umbram
'si nunc fata darent, ut Romula facta per orbem
hic caneret uates, quanto maiora futuros
facta eadem intrarent hoc' inquit 'teste nepotes! 795
felix Aeacide, cui tali contigit ore
gentibus ostendi! creuit tua carmine uirtus.'
Sed, quae tanta adeo gratantum turba, requirens,
heroum effigies maioresque accipit umbras
ire uiro. stupet Aeacide, stupet Hectore magno 800
Aiacisque gradum uenerandaque Nestoris ora
miratur, geminos adspectat laetus Atridas
iamque Ithacum corde aequantem Peleia facta.
uicturam hinc cernit Ledaei Castoris umbram;
alternam lucem peragebat in aethere Pollux. 805
Sed subito uultus monstrata Lauinia traxit.
nam uirgo admonuit tempus cognoscere manes
femineos, ne cunctantem lux alma uocaret.

784 quem Γ²ς : quam ωCh *edd. recc. cum* facile *iungentes* 785 deum FΓ²ς : dum Lβ uero (*pro* non) O 789 Homerus *Schrader* 791 ac ω *Drakenborch tacite* : et δς 793 romula αV²Γ² : ri- G : ru- G²γ 798 grassantum *Lefebvre, edd. recc., sed v. Thes.* 6, 2244, 45 799 aspicit *Livineius, sed cf. e.g.* 16, 239 800 *verba* ire uiro *varie vexata explicavit Housman* (*Class. Papers* 906), *cf.* 15, 327; *Prop.* 1, 15, 8; *Thes.* 6, 2244, 45; *frustra obloquuntur Ker et Håkanson* 801 uenerandaque F²β (que *om.* O) : -oque α 802 geminosque *Dausqueius* : geminos iam (spectat) *Heinsius* aspectans Γ²ς *edd. vett.* 803 peleia F²β : -aia α 804 hinc αr2 *edd. a* v : hic β

'felix haec' inquit 'Veneris nurus ordine longo
Troiugenas iunxit sociata prole Latinis. 810
uis et Martigenae thalamos spectare Quirini?
Hersiliam cerne; hirsutos cum sperneret olim
gens uicina procos, pastori rapta marito
intrauitque casae culmique e stramine fultum
pressit laeta torum et soceros reuocauit ab armis. 815
adspice Carmentis gressus. Euandria mater
haec fuit et nostros tetigit praesaga labores.
uis et, quos Tanaquil uultus gerat? haec quoque castae
augurio ualuit mentis uenturaque dixit
regna uiro et dextros agnouit in alite diuos. 820
ecce pudicitiae Latium decus, inclita leti
fert frontem atque oculos terrae Lucretia fixos.
non datur, heu, tibi, Roma (nec est, quod malle deceret),
hanc laudem retinere diu. Verginia iuxta,
cerne, cruentato uulnus sub pectore seruat, 825
tristia defensi ferro monumenta pudoris,
et patriam laudat miserando in uulnere dextram.
illa est, quae Thybrim, quae fregit Lydia bella,
nondum passa marem, quales optabit habere
quondam Roma uiros, contemptrix Cloelia sexus' – 830
cum subito adspectu turbatus Scipio poscit,
quae poenae causa et qui sint in crimine manes.
tum uirgo: 'patrios fregit quae curribus artus

809 nurus $F^2$β : mirus αO 812 hersiliam α$G^2Γ^2$O : hets- β 814 intrauitque casae αCh *cf. 9, 289* : lustr- c. β : l. -am *edd. a* l e stramine $Γ^2$ : ex s. $F^2$β : extramine α fultum α : fulctum G$V^2$Γ: fulcrum V : fluctum O 817 uestros *edd. a* v *sine necessitate* cecinit *Drakenborch* praesaga $Γ^2$ς : -o ω 820 diuos αGV$Γ^2$ : uiros δ 821 latum δς 827 funere *malim propter* uulnus *825, cf. Lucan. 1, 104* 828 spreuit *Blass* 829 marem αr2 *edd. a* v : parem β optabit *Bentley et L. Müller 192* : -at ω 830 cloelia $F^2$ *in lac.* L$Γ^2$ς : doelia V : clodia Gδ 832 quo (*pro* qui) $Γ^2$ *Livineius, fort. recte* 833 turribus LV

et stetit adductis super ora trementia frenis,
Tullia non ullos satis exhaustura labores 835
ardenti Phlegethonte natat; fornacibus atris
fons rapidus furit atque ustas sub gurgite cautes
egerit et scopulis pulsat flagrantibus ora.
illa autem, quae tondetur praecordia rostro
alitis (en quantum resonat plangentibus alis 840
armiger ad pastus rediens Iouis!) hostibus arcem
uirgo, immane nefas, adamato prodidit auro
Tarpeia et pactis reserauit claustra Sabinis.
iuxta (nonne uides? neque enim leuiora domantur
delicta) illatrat ieiunis faucibus Orthus, 845
armenti quondam custos immanis Hiberi,
et morsu petit et polluto euiscerat ungue.
nec par poena tamen sceleri; sacraria Vestae
polluit exuta sibi uirginitate sacerdos.
sed satis haec uidisse, satis.'
Mox deinde: '†uidentem† 850
nunc animas tibi, quae potant obliuia, paucas
in fine enumerasse paro et remeare tenebris.
hic Marius; nec multa dies iam restat ituro
aetheriam in lucem; ueniet tibi origine parua
in longum imperium consul. nec Sulla morari 855

834 nec s. *Bailey, sed* stetit *sc. in curru, cf. Stat. Theb. 6, 424 sq.* 838 ingerit *Bothe* 841 ad pastus αGV : et p. δ : e pastu $\Gamma^2$ς arcem $\Gamma^2$ς : artem ω 842 prodidit α$\Gamma^2$ς : per- β 844 domantur *i. puniuntur, cf. 14, 219* 845 orthus F (*de forma originaria Ὄρθος v. Müller-Graupa RE 18, 1495 sqq.*) : orthrus LβCh : orcus ς *edd. vett.* 847 polluto *suspectum propter* polluit *849; an* pallente*? cf. Lucan. 6, 542 sq.* pallida ... excrementa manus *de unguibus cadaveris* 850 *post* deinde *interpunxit Withof* uidentem $F^2$Lβ : iub- F : uidenti $\Gamma^2$ς : nepotum *Postgate* : *ego aliquid excidisse suspicor coll. Verg. Aen. 6, 713 sqq.; an* potentum*? cf. 11, 591* 852 enumerasse ωCh : -are $\Gamma^2$ς 855 Sulla *edd. recc.* : sy- VΓς : si- αGO

iussa potest, aut amne diu potare soporo;
lux uocat et nulli diuum mutabile fatum.
imperium hic primus rapiet, sed gloria culpae,
quod reddet solus, nec tanto in nomine quisquam
exsistet, Sullae qui se uelit esse secundum. 860
ille, hirta cui subrigitur coma fronte, decorum
et gratum terris Magnus caput. ille, deum gens,
stelligerum attollens apicem Troianus Iulo
Caesar auo. quantas moles, cum sede reclusa
hac tandem erumpent, terraque marique mouebunt! 865
heu miseri, quotiens toto pugnabitur orbe!
nec leuiora lues quam uictus crimina, uictor.'
Tum iuuenis lacrimans: 'restare haec ordine duro
lamentor rebus Latiis. sed luce remota
si nulla est uenia et merito mors ipsa laborat, 870
perfidiae Poenus quibus aut Phlegethontis in undis
exuret ductor scelus, aut quae digna renatos
ales in aeternum laniabit morsibus artus?'
'ne metue!' exclamat uates. 'non uita sequetur
inuiolata uirum; patria non ossa quiescent. 875
namque ubi fractus opum magnae certamine pugnae
pertulerit uinci turpemque orare salutem,
rursus bella uolet Macetum instaurare sub armis,
damnatusque doli, desertis coniuge fida
et dulci nato linquet Carthaginis arces 880
atque una profugus lustrabit caerula puppe.
hinc Cilicis Tauri saxosa cacumina uiset.
pro! quanto leuius mortalibus aegra subire
seruitia atque hiemes aestusque fugamque fretumque
atque famem quam posse mori! post Itala bella 885

**860** Sullae *edd. recc.* : sy- $F^2$ L β : si- F O **864** reclusa α $\Gamma^2$ ς : -o β **865** hanc Ch : hinc *Blass, edd. recc.* **866** pugnabit in L : pugnabitis Ch *edd. recc.* **875** quiessent α **885** nosse *Bentley*

Assyrio famulus regi falsusque cupiti
Ausoniae motus dubio petet aequora uelo,
donec Prusiacas delatus segniter oras
altera seruitia imbelli patietur in aeuo
et latebram munus regni. perstantibus inde 890
Aeneadis reddique sibi poscentibus hostem
pocula furtiuo rapiet properata ueneno
ac tandem terras longa formidine soluet.'
  Haec uates, Erebique cauis se rettulit umbris.
tum laetus socios iuuenis portumque reuisit. 895

**886** falsusque L *edd. a* v (*sed constructio caret exemplo; perperam 'active' Thes.* 6. *192, 28*) : fass- Fβ : cass- *Heinsius* : *an* fess- *? cf. e.g. 2, 234* **889** imbelli FP *Heinsius* (*'ex scriptis', sc.* P) : -is Lβ patietur P *Heinsius* : -atur ω *fort. recte, sed cf. 3, 710* **893** *versum in* b2 *omissum suppl. Modius Ep. 44* **894** reddidit Cm *Ep. 44* (*per errorem ut puto*) **895** laetus ωCm : -os *edd. a* r1

# SILI ITALICI

## PVNICORVM

### LIBER QVARTVS DECIMVS

Flectite nunc uestros, Heliconis numina, cantus
Ortygiae pelagus Siculique ad litoris urbes.
muneris hic uestri labor est modo Daunia regna
Aeneadum, modo Sicanios accedere portus,
aut Macetum lustrare domos et Achaica rura 5
aut uaga Sardoo uestigia tingere fluctu
uel Tyriae quondam regnata mapalia genti
extremumue diem et terrarum inuisere metas.
sic poscit sparsis Mauors agitatus in oris.
ergo age, qua litui, qua ducunt bella, sequamur. 10
   Ausoniae pars magna iacet Trinacria tellus,
ut semel expugnante Noto et uastantibus undis
accepit freta, caeruleo propulsa tridente.
namque per occultum caeca ui turbinis olim
impactum pelagus laceratae uiscera terrae 15
discidit et medio perrumpens arua profundo
cum populis pariter conuulsis transtulit urbes.
ex illo seruans rapidus diuortia Nereus
saeuo diuiduos coniungi pernegat aestu.
sed spatium, quod dissociat consortia terrae, 20

**2** seculique α **5** macetum ωCm *Ep. 44* : -dum ς achaia OQr2 **6** sardoo αV$\Gamma^2$ : -dos Gδ tingere ωCm : c- ς *edd. vett.* **12** semel $\Gamma^2$ς : senies ω **13** cerules δ (*corr. in* Γ) **14** ui $F^2$LGV$\Gamma^2$ : in Fδ **16** discidit ωCm *Ep. 44* : disjicit *edd. a* j arua αV$\Gamma^2$ : maia Gδ **17** conuulsis ω (-it V) Ch : -as *edd. a* r1 **19** aestu $\Gamma^2$ς : -us ω

latratus fama est (sic arta interuenit unda)
et matutinos uolucrum tramittere cantus.
multa solo uirtus: iam reddere faenus aratris,
iam montes umbrare olea, dare nomina Baccho
cornipedemque citum lituis generasse ferendis, 25
nectare Cecropias Hyblaeo accedere ceras.
hic et Paeonios arcano sulphure fontes,
hic Phoebo digna et Musis uenerabere uatum
ora excellentum, sacras qui carmine siluas
quique Syracosia resonant Helicona camena. 30
promptae gens linguae, ast eadem, cum bella cieret,
portus aequoreis sueta insignire tropaeis.
Post dirum Antiphatae sceptrum et Cyclopia regna
uomere uerterunt primum noua rura Sicano –
Pyrene misit populos, qui nomen ab amne 35
adscitum patrio terrae imposuere uacanti.
mox Ligurum pubes Siculo ductore nouauit
possessis bello mutata uocabula regnis.
nec Cres dedecori fuit accola. duxerat actos
moenibus e centum non fausta ad proelia Minos 40
Daedaleam repetens poenam. qui fraude nefanda
postquam perpetuas iudex concessit ad umbras
Cocalidum insidiis, fesso Minoia turba

22 et matutinos F$\Gamma^2$ς : ema- Lβ 23 foenus Cm : saeuus ω : semen $\Gamma^2$ς 24 montes $\Gamma^2$ς : monitis ω olea F *Calderinus in* Γ *edd. vett.* : dea ω : deo *Odus in* Γς 26 cecropias α$\Gamma^2$ *edd. vett.* : cicr- Gδ : cicl- V accedere *Barth* : -end- ω 28 dignum *edd. a* l uenerabere $\Gamma^2$ς *Gronovius* : -bile ω *edd. vett.* 31 ast Fβ : est $F^2$L 33 antiphate $\Gamma^2$ς : -phe(a)e α : -phe β cyclopia ωCh : -ea *edd. vett.* 34 sicani $Q^2$P *Livineius* 36 ascitum $F^2\Gamma^2$ *edd. vett.* : abs- ω uacanti *edd. a* v : uo- ω 37 ligurum pubes $F^2V^2$δ : l. patrio p. αGV 39 Cres *Heinsius* : res ω 40 e centum J (*Fontius*) Ch : ottentum F (?) : ocentum L : er- β : her- $\Gamma^2$ς : eteretum *edd. a* v, *sed pessime locus interpolatus a* j 41 p(o)enam ωCm *Ep. 44* : pennam *edd. a* j 42 perpetuus *Damsté, fort. recte*

bellandi studio Siculis subsedit in oris.
miscuerunt Phrygiam prolem Troianus Acestes 45
Troianusque Helymus, structis qui pube secuta
in longum ex sese donarunt nomina muris.
nec Zanclaea gerunt obscuram moenia famam,
dextera quam tribuit posito Saturnia telo.
sed decus Hennaeis haud ullum pulchrius oris, 50
quam quae Sisyphio fundauit nomen ab Isthmo
et multum ante alias Ephyraeis fulget alumnis.
hic Arethusa suum piscoso fonte receptat
Alpheon sacrae portantem signa coronae.
At non aequus amat Trinacria Mulciber antra. 55
nam Lipare uastis subter depasta caminis
sulphureum uomit exeso de uertice fumum.
ast Aetna eructat tremefactis cautibus ignis
inclusi gemitus pelagique imitata furorem
murmure per caecos tonat irrequieta fragores 60
nocte dieque simul. fonte e Phlegethontis ut atro
flammarum exundat torrens piceaque procella
semambusta rotat liquefactis saxa cauernis.
sed quamquam largo flammarum exaestuet intus
turbine et adsidue subnascens profluat ignis, 65
summo cana iugo cohibet, mirabile dictu,

46 helymus αΓ² *edd. a* v : hebrinus β (heber- O) 47 nomina F²LΓ²O : nu- Fβ 48 zancl(a)ea Γ²ς : zanelaeta F : zanelea L : zenelea β 50 Hennaeis Cd (Ha- *per errorem typogr. ut videtur*) : hannaeis α : hannaois β : (a)et(h)n(a)eis PΓ²J *Asulanus, Scaliger, cf. Mart. 8, 45, 1* Aetnaeis ... oris *et supra 9, 196; Stat. silv. 1, 3, 69; sed Silius in hac re Lucanum 6, 293–95 secutus esse videtur, v. Housman ad l. et Hall ad Claud. rapt. Pros. 1, 122* 51 isthmo *Calderinus in* Γ *edd. a* v : ista α : hista F²βCh 58 eructat Gδ : -upt- αV 59 (ignes) inclusos gemitu *Damsté* imitata F²Γ²ς : mut- ω 61 atro αr2v : antro β 63 semambusta αVO : semi- GΓς 64 ex(a)estuet αCh : -at β 65 profluat αr2Ch : per- β : profluit *edd. a* v 66 cana FG²Γ² : caua Gδ : cauo LV lugo GVΓ (*corr.*)

uicinam flammis glaciem, aeternoque rigore
ardentes horrent scopuli; stat uertice celsi
collis hiems, calidamque niuem tegit atra fauilla.
Quid referam Aeolio regnatas nomine terras 70
uentorumque domos atque addita claustra procellis?
hic uersi penitus Pelopea ad regna Pachyni
pulsata Ionio respondent saxa profundo.
hic contra Libyamque situm Caurosque furentes
cernit deuexas Lilybaeon nobile chelas. 75
at qua diuersi lateris frons tertia terrae
uergit in Italiam prolato ad litora dorso,
celsus harenosa tollit se mole Pelorus.
His longo mitis placide dominator in aeuo
praefuerat terris Hieron, tractare sereno 80
imperio uulgum pollens et pectora nullo
parentum exagitare metu pactamque per aras
haud facilis temerare fidem socialia iura
Ausoniis multos seruarat casta per annos.
uerum ubi fata uirum fragili soluere senecta, 85
primaeuo cessit sceptrum exitiale nepoti,
et placida indomitos accepit regia mores.
namque bis octonis nondum rex praeditus annis
caligare alto in solio nec pondera regni
posse pati et nimium fluxis confidere rebus. 90
iamque breui nullum delicta tuentibus armis
fas notum ignotumque nefas. uilissima regi

67 glaciem (a)eternoque $\Gamma^2 \varsigma$ : glaciemque aeternoque F : glaciemque (a)eterno L$\beta$ (eterne O) 69 calidamque *Drakenborch* : -aque $\omega$ : gelidamque *Schrader, Håkanson, fort. recte* niuem F$\Gamma^2 \varsigma$ : iuueni L$\beta$ tegit $F^2 G^2 \Gamma^2 \varsigma$ : tetigit $\omega$ (calidaque ...) Aetna f. *Damsté* 70 numine *Heinsius, fort. recte* 72 pelopea $\alpha$ *Livineius* : -eia $\beta$ 75 lilyb(a)eon $\Gamma^2 \varsigma$ : liby(a)eon $\alpha$ : libreon $\beta$ 79 damnator F 87 indomitus $\alpha$ 88 praeditus $\omega$ *cf. Cic. inv. 2, 139* indices certa aetate praeditos : per- pCh (?) : pro- *Heinsius* (*i. natus*) *et Burmann* (*i. renuntiatus*) 89 pondera L$\Gamma^2 \varsigma$ : -e F$\beta$ 90 fluxis *Calderinus in* $\Gamma$ *edd. vett.* : fle- $\omega$

cura pudor. tam praecipiti materna furori
Pyrrhus origo dabat stimulos proauique superbum
Aeacidae genus atque aeternus carmine Achilles. 95
ergo ardor subitus Poenorum incepta fouendi,
nec sceleri mora. ⟨iam⟩ iungit noua foedera pacto,
cederet ut Siculis uictor Sidonius oris.
sed stabant Poenae, tumulumque negabat Erinys,
qua modo pactus erat socium non cernere terra. 100
saeuos namque pati fastus iuuenemque cruento
flagrantem luxu et miscentem turpia diris
haud ultra faciles, quos ira metusque coquebat,
iurati obtruncant. nec iam modus ensibus: addunt
femineam caedem atque insontum rapta sororum 105
corpora prosternunt ferro. noua saeuit in armis
libertas iactatque iugum. pars Punica castra,
pars Italos et nota uolunt, nec turba furentum
defit, quae neutro sociari foedere malit.
Tali Trinacriae motu rebusque Sicanis 110
exitio regis trepidis sublimis honore
(tertia nam Latios renouarat purpura fasces)
Marcellus classem Zanclaeis appulit oris.
atque ubi cuncta uiro caedesque exposta tyranni
ambiguaeque hominum mentes, Carthaginis arma 115
quos teneant et quanta locos, quod uulgus amicum
duret Troiugenis, quantos Arethusa tumores
concipiat perstetque suas non pandere portas,
incumbit bello ac totam per proxima raptim
armorum effundit flammato pectore pestem. 120
non aliter Boreas, Rhodopes a uertice praeceps
cum sese immisit decimoque uolumine pontum
expulit in terras, sequitur cum murmure molem

93 furori r1 : -e ω 97 iam *add. Bauer 1891, 193* : iungit enim *Livineius* : quin i. *Barth* 100 non cernere *suspectum* : secernere *Ker* : concedere *ego coll. 14, 562* 102 diris Ch : ducis ω : duris $\Gamma^2$ ς

eiecti maris et stridentibus affremit alis.
prima Leontinos uastarunt proelia campos, 125
regnatam diro quondam Laestrygone terram.
instabat ductor, cui tarde uincere Graias
par erat ac uinci turmas. ruit aequore toto
(femineum credas maribus concurrere uulgum)
et Cereri placitos fecundat sanguine campos. 130
sternuntur passim, pedibusque euadere letum
eripuit rapidus Mauors. nam ut cuique salutem
promisit fuga, praeueniens dux occupat ense.
'ite, gregem metite imbellem ac succidite ferro!'
clamat cunctantes urgens umbone cateruas. 135
'pigro luctandi studio certamen in umbra
molle pati docta et gaudens splendescere oliuo
stat, mediocre decus uincentum, ignaua iuuentus.
haec laus sola datur, si uiso uincitis hoste.'
ingruit audito ductore exercitus omnis, 140
solaque, quod superest, secum certamina norunt,
quis dextra antistet spoliisque excellat opimis.
Euboici non per scopulos illisa Caphareo
Euripi magis unda furit, pontumue sonantem
eicit angusto uiolentius ore Propontis, 145
nec feruet maiore fretum rapiturque tumultu,
quod ferit Herculeas extremo sole columnas.
Mite tamen dextrae decus inter proelia tanta
enituit fama. miles Tyrrhenus (Asilo
nomen erat) captus quondam ad Thrasymenna fluenta, 150
seruitium facile et dominantis mollia iussa
expertus Beryae patrias remearat ad oras

127 incidere F (*corr. m. 2 marg.*) 130 placidos VP *edd. vett.* 136 pigeo δ (*corr. in* Γ) 141 morunt *Heinsius, sed cf. e.g. Liv. 6, 18, 10* 143 euboica Ch caphereo α (*corr. in* F) 144 euripi F$\Gamma^2$ς : erupi Lβ 148 inter $\Gamma^2$ς : nostre ω 149 miles α$\Gamma^2$ς : mile β asilo ω : -y- *edd. a* v 152 Beryae Ch : berr(a)e α *edd. vett.* : bore(a)e βς remearat ωCh : -bat *edd. vett.*

sponte fauentis eri repetitisque impiger armis
tum ueteres Siculo casus Mauorte piabat.
atque is, dum medios inter fera proelia miscet, 155
illatus Beryae, cui pacta ad regia misso
Poenorum a populis sociataque bella gerenti
aerato cassis munimine clauserat ora,
inuadit ferro iuuenem trepideque ferentem
instabiles retro gressus prosternit harena. 160
at miser audita uictoris uoce trementem
cunctantemque animam Stygia ceu sede reducens
cassidis a mento malefidae uincula rumpit
iungebatque preces atque addere uerba parabat.
sed subito adspectu et noto conterritus ore 165
Tyrrhenus ferrumque manu reuocauit et ultro
talia cum gemitu lacrimis effudit obortis:
'ne, quaeso, supplex lucem dubiusque precare.
fas hostem seruare mihi. multo optimus ille
militiae, cui postremum est primumque tueri 170
inter bella fidem. tu letum euadere nobis
das prior et seruas nondum seruatus ab hoste.
haud equidem indignum memet, quae tristia uidi,
abnuerim dignumque iterum in peiora reuolui,
si tibi per medios ignes mediosque per enses 175
non dederit mea dextra uiam.' Sic fatur et ultro
attollit uitaque exaequat munera uitae.

153 repetitisque αVΓ² : repentisque Gδ 156 Beryae Ch : berr(a)e αGV *edd. vett.* : bore(a)e δς 159 iuuenem ferro ς *edd. vett.* 160 harena αpv : hab- β 161 at β *Livineius* : ac αr2 *edd. a* v 162 luctantemque *Blass* ceu αCh : cui β : tum Γ² : tunc *edd. vett.* 167 effundit δς obortis αΓ² *D. Heinsius* : ab o- β : abo- ς *edd. vett.* 172 das Γ²ς : des ω 173 dignum *Blass, fort. recte* (*pleonasmum agnoscit Blomgren, minus probabiliter locum explicat Håkanson*)

At compos Sicula primum certaminis ora
coepti Marcellus uictricia signa quieto
agmine progrediens Ephyraea ad moenia uertit. 180
inde Syracosias castris circumdedit arces.
sed ferri languebat amor. sedare monendo
pectora caeca uirum atque iras euellere auebat.
nec, renuant si forte sibi et si mitia malle
credant esse metum, †laxis seruatur omissa† 185
obsidio claustris. quin contra intentior ipse
inuigilat cautis fronte imperterritus armis
et struit arcana necopina pericula cura.
haud secus Eridani stagnis ripaue Caystri
innatat albus olor pronoque immobile corpus 190
dat fluuio et pedibus tacitas eremigat undas.
Interea, dum incerta labat sententia clausis,
exciti populi atque urbes socia arma ferebant:
incumbens Messena freto minimumque reuulsa
discreta Italia atque Osco memorabilis ortu; 195
tum Catane, nimium ardenti uicina Typhoeo
et generasse pios quondam celeberrima fratres,
et cui non licitum fatis Camarina moueri.
tum quae nectareis uocat ad certamen Hymetton

178 compos αr2v : ca- β : campis (*et* 179 captis) $\Gamma^2$ς 179 quieto $\Gamma^2$ς : -a ω 180 ephyrea (-i-) α$\Gamma^2$ς : epy- β 182 monendo αΓς : -u- β 183 auebat *edd. vett.* : hab- ω 185 mecum α (*corr. in* F) reseratur *Blass* : aufertur *edd. a* j : *corruptelae signum posui; vulgo intellegitur 'et non omissa obsidio servatur', quem sensum ex lectione tradita elicere non possum;* laxatis omnis omissa *hariolatus sum, cf. de hac re Liv. 24, 34, 16* absistere oppugnatione atque obsidendo tantum arcere terra marique commeatibus hostem placuit 187 frontem O *Heinsius* 194 messena ωCh : -ana $\Gamma^2$ς 196 typheo (ti-) α$\Gamma^2$ : tropheo β 199 uocabat α (*corr. in* F)

audax Hybla fauis, palmaque arbusta Selinus 200
et, iusti quondam portus, nunc litore solo
subsidium infidum fugientibus aequora, Mylae.
necnon altus Eryx, necnon e uertice celso
Centuripae largoque uirens Entella Lyaeo,
Entella, Hectoreo dilectum nomen Acestae. 205
non Thapsos, non e tumulis glacialibus Acrae
defuerunt. Agyrina manus geminoque Lacone
Tyndaris attollens sese affluit. altus equorum
mille rapit turmam atque hinnitibus aera flammat
puluereum uoluens Acragas ad moenia nubem. 210
ductor Grosphus erat, cuius caelata gerebat
taurum parma trucem, poenae monimenta uetustae.
ille ubi torreret subiectis corpora flammis,
mutabat gemitus mugitibus, actaque ueras
credere erat stabulis armenta effundere uoces. 215
haud impune quidem; nam dirae conditor artis
ipse suo moriens immugit flebile tauro.
uenit ab amne trahens nomen Gela, uenit Halaesa
et qui praesenti domitant periura Palici
pectora supplicio, Troianaque uenit Acesta, 220
quique per Aetnaeos Acis petit aequora fines

**200** palmis quoque onusta *edd. vett.* (*de re cf. Verg. Aen. 3, 705* palmosa Selinus *et B. Rehm, Philologus Suppl. 24, 2, 1932, 19. 103*) Selinus *Dausqueius* (-ys *iam Marsus in comm.*) : -nis F : -mis Lβ (selnnis V) **204** uirens FV²Γ² : uiretis Lβ **205** hectoreo Γ²ς : -e(a)e ω **206** acrae F : acre β : atre L : atrae F² **207** defuerint GΓ² Agyrina *Gronovius* : agathirna (-y-) ω **208** affluit Ch : affuit ω altor (*et* 209 turmas) *edd. a* j **209** turmam ωCh : -bam VP hinnitibus F²β : (h)umentibus α flammat Γ²ς : -ant ωCh **210** agragas Γ²ς : -os ω moenia (*sc. Syracusarum*) *def. post alios Håkanson* : inania *Gronovius, edd. recc.* **218** Halaesa Ch *ut coni. Dausqueius* : uehalsa α : uehesa β : et hesa Q *edd. vett.* **219** domitant Γ²ς : -auit ω : damnant *Heinsius, sed cf. 13, 844* **220** troianaque αΓ²O : -oque GVΓ **221** (a)et(h)neos F (*ex corr.*) Lpv : ethunes β

et dulci gratam Nereida perluit unda.
aemulus ille tuo quondam, Polypheme, calori,
dum fugit agrestem uiolenti pectoris iram,
in tenues liquefactus aquas euasit et hostem 225
et tibi uictricem, Galatea, immiscuit undam.
necnon qui potant Hypsamque Alabimque sonoros
et perlucentem splendenti gurgite Achaten,
qui fontes, uage Chrysa, tuos et pauperis aluei
Hipparin ac facilem superari gurgite parco 230
Pantagian rapidique colunt uada flaua Symaethi.
litora Thermarum, prisca dotata camena,
armauere suos, qua mergitur Himera ponto
Aeolio. nam diuiduas se scindit in oras
nec minus occasus petit incita quam petit ortus. 235
Nebrodes gemini nutrit diuortia fontis,
quo mons Sicania non surgit ditior umbrae.
Henna deum lucis sacras dedit ardua dextras.
hic specus ingentem laxans telluris hiatum
caecum iter ad manes tenebroso limite pandit, 240
qua nouus ignotas Hymenaeus uenit in oras:
hac Stygius quondam stimulante Cupidine rector
ausus adire diem maestoque Acheronte relicto
egit in illicitas currum per inania terras.

226 galat(h)ea Gδ : gu- α : galeata V 227 hypsamque (-i-) LGVΓ *Livineius* : hyspanique F : hispanique O : hyspamque (-i-) ς sonoros *edd. a* v : -o ω : -um $\Gamma^2$ς 228 achaten L$\Gamma^2$ *edd. a* r1 : -m Fβ 229 uáge Chrysa Ch : uagechrisa V (*corr. in* -asa) : -chyrsa F (*corr. in* thy-) : -thirsa L : -drasa β (uago- G) : -drusa *edd. a* v 230 Hipparin *Heinsius* : -im Ch : -em ω : hip(p)aten (-y-) $\Gamma^2$ς 231 pantagian Lβ : -m Fς Symaethi *Dausqueius* : simethi $\Gamma^2$ς : -athi(-y-) ω 234 (a)eolio α$\Gamma^2$ς : ao- β 236 diuoọẹrcia F : eliuooertia L 238 aetna $F^2\Gamma^2$ς sacras ... dextras *Heinsius* : -a ... -a ω : -am ... -am *edd. a* v 242 ac *Heinsius* 244 egit in i. αCh (? '*scripti*') : e. per i. β : i. e. $\Gamma^2$ς

tum rapta praeceps Hennaea uirgine flexit 245
attonitos caeli uisu lucemque pauentes
in Styga rursus equos et praedam condidit umbris.
Romanos Petraea duces, Romana petiuit
foedera Callipolis lapidosique Engyon arui,
Hadranum Ergetiumque simul telaque superba 250
lanigera Melite et litus piscosa Calacte,
quaeque procelloso Cephaloedias ora profundo
caeruleis horret campis pascentia cete,
et qui correptas sorbentem uerticis haustu
atque iterum e fundo iaculantem ad sidera puppes 255
Tauromenitana cernunt de sede Charybdin.
haec Latium manus et Laurentia signa fouebat.
Cetera Elissaeis aderat gens Sicana uotis.
mille Agathyrna dedit perflataque Trogilos Austris,
mille Thoanteae sedes Phacelina Dianae. 260
tergemino uenit numero fecunda Panhormos,
seu siluis sectere feras, seu retibus aequor
uerrere, seu caelo libeat traxisse uolucrem.

245 henn(a)ea β : hemiae F : (a)et(h)n(a)ea $F^2 L \Gamma^2 \varsigma$ flexit ωCm *Ep. 44* : cessit *edd. vett.* 246 uisu *edd. a* r1 : -us ω *edd. recc.* pauentes ωCm : cau- *edd. a* v (can- j) 249 Engyon *Heinsius* : eugyon L : eugian F : eugron $F^2\beta$ : eugion $\Gamma^2\varsigma$ arui $F^2$LCh : artu F : arcu β : arcus $\Gamma^2\varsigma$ : artus r2 *edd. a* v 250 ergetiumque FCh : -gat- L : ergetumque GV : (h)ergentumque δς 251 Calacte *Cluverius aliique* mel- ω 256 tauromenitana JCc (*ad Sall. hist. 1579 p. 237*) : -ment- ω : -minit- $\Gamma^2\varsigma$ 257 fouebat *Barth, Heinsius, cf. e.g. Verg. Aen. 10, 93* : m- ω *zeugma agnoscit Helm, Philol. Woch. 1939, 926; v. Håkanson, qui* Latio *coni. neglecto* et *vocabulo et Watt 1984, qui malit* haec L. m., haec. L. s. m. 258 eliss(a)eis ωCh : eliseis *edd. vett.* 259 agat(h)irna $\Gamma^2\varsigma$ : -ina ω trogilos (-y-) ω : troylos Ch : strongilos $Q^2$ *edd. a* v : Trotilon *Heinsius, sed v. Ziegler RE 7A 597* 260 phacelina FCh : -ua L : -etina GV : -entina δ : fascellina *edd. a* v dian(a)e $F^2 Y^2$Ch : chane L : chaue Gδ : canae F : cauae V : diuae *edd. a* v 262 sectere $F^2$Cm *Ep. 44* : seccere α : sectare β 263 uerrere αγCm : -tere G *edd. vett.*

non Herbesos iners, non Naulocha pigra pericli
sederunt, non frondosis Morgentia campis 265
abstinuit Marte infido. comitata Menaeis
uenit Amastra uiris et paruo nomine Tisse
et Netum et Mutyce pubesque liquentis Orethi.
Sidonios Drepane atque undae clamosus Helorus
et mox seruili uastata Triocala bello, 270
Sidonios Arbela ferox et celsus Ietas
et bellare Tabas docilis Cossyraque parua
nec maior Mazare iunctae concordibus ausis
iuuere et strato Gaulum spectabile ponto,
cum sonat alcyones cantu nidosque natantes 275
immota gestat sopitis fluctibus unda.
ipsa Syracusae patulos urbs inclita muros
milite collecto uariisque impleuerat armis.
ductores facilem impelli laetamque tumultus
uaniloquo plebem furiabant insuper ore: 280
numquam hoste intratos muros et quattuor arces,
et Salaminiacis quantam Eoisque tropaeis
ingenio portus urbs inuia fecerit umbram,

264 herbesos α *edd. a* v : -osos β naulocha Gδ : -odia F : -oca L : manlocha V 265 morgentia α *edd. a* v : inorguentia β : morgu- Γς 268 netum $F^2$ *edd. a* v : necium F : necum Lβ (uocum G) Mutyce *Cluverius* : mytice FCh : -te L : micite β Orethi *Gelsomino ad Vib. Seq. 115* (*Lipsiae 1967*) : areti L : archeti L : arheti β : acheti *edd. a* v : Achaeti Ch (?) 269 helorus $\Gamma^2$ς : -sus ω 271 Arbela *Cluverius* (*sed Steph. Byz.* Ἀρβέλη πόλις Σικελίας) : arbeia ω : arabeia $\Gamma^2$ς ferax *Heinsius* 272 bellara β (*corr. in* Γ) Tubas Ch 273 Mazare *scripsi metri causa* (*Steph. Byz.* Μαζάρη φρούριον Σελινουντίων) : Mazara *Sieglin* (*v. Bauer*) : megara ω : Motye *Summers* iun(c)t(a)e αCh : mut(a)e β (mite O) : Motye *Drakenborch, sed optime iunguntur insula parva et portus ad eam spectans* 275 nidosque $F^2$γ : ind- α : nitid- G 277 syracus(a)e (-i-) β : -os(a)e αCh : -osie *Lachmann ad Lucr. 6, 971* (*adi. ut 515* Ortygie Arethusa) patulos αGV$\Gamma^2$ : -o δ muros $G^2\Gamma^2$ς : -o ω 281 hosti *Heinsius, sed cf. e.g. 2, 356*

spectatum proauis: ter centum ante ora triremes
unum naufragium, mersasque impune profundo 285
clade pharetrigeri subnixas regis Athenas.
flammabant uulgum geniti Carthagine fratres,
Poeni matre genus, sed quos sub crimine pulsus
urbe Syracosia Libycis eduxerat oris
Trinacrius genitor, geminaque a stirpe parentum 290
astus miscebant Tyrios leuitate Sicana.
Quae cernens ductor, postquam immedicabile uisum
seditio atque ultro bellum surgebat ab hoste,
testatus diuos Siculorum amnesque lacusque
et fontes, Arethusa, tuos, ad bella uocari 295
inuitum, quae sponte diu non sumpserit, hostem
induere arma sibi, telorum turbine uasto
aggreditur muros atque armis intonat urbi.
par omnes simul ira rapit, certantque ruuntque.
turris multiplici surgens ad sidera tecto 300
exibat, tabulata decem cui crescere Graius
fecerat et multas nemorum consumpserat umbras.
armatam hinc igni pinum et deuoluere saxa
certabant calidaeque picis diffundere pestem.
huic procul ardentem iaculatus lampada Cimber 305
conicit et lateri telum exitiabile figit.
pascitur adiutus Vulcanus turbine uenti
gliscentemque trahens turris per uiscera labem

**284** ter centum αr2 *edd. a* v : ter β : terque ipsa $\Gamma^{2}$ς **285** uno naufragio *Damsté* **287** genti F : giniti L **288** quos sub crimine $F^{2}$Lβ : quo discrimene F : quos ob crimina *Heinsius* **292** uisa *Bothe* **296** inuitum quae sponte *edd. a* r1 : inuitumque asponte ω : i. qui sp. $\Gamma^{2}$ς : i. quia sp. Ch **301** graius V$\Gamma^{2}$O : grauis αGΓ **303** hinc β : huic α pinum α$V^{2}$ *in lac.* P : *om.* β : molem $\Gamma^{2}$ς **305** huic Pp : hinc ω : hic b1 ardenti G : -e δ (*corr. in* Γ) lampade O **306** coni(i)cit $F^{2}$L$\Gamma^{2}$ς : colucit F : coniecit β **307** adiutus P : -o ω : adiuncto *Livineius*

perque altam molem et totiens nascentia tecta
scandit ouans rapidusque uorat crepitantia flammis 310
robora et ingenti simul exundante uapore
ad caelum uictor nutantia culmina lambit.
implentur fumo et nebula caliginis atrae,
nec cuiquam euasisse datur. ceu fulminis ictu
correptae rapido in cineres abiere ruinae. 315
Par contra pelago miseris fortuna carinis.
namque ubi se propius tectis urbique tulere,
qua portus muris pacatas applicat undas,
improuisa nouo pestis conterruit astu.
trabs fabre teres atque erasis undique nodis 320
nauali similis malo praefixa gerebat
uncae tela manus. ea celso ex aggere muri
bellantes curui rapiebat in aera ferri
unguibus et mediam reuocata ferebat in urbem.
nec solos uis illa uiros, quin saepe triremem 325
belligerae rapuere trabes, cum desuper actum
incuterent puppi chalybem morsusque tenaces.
qui simul affixo uicina in robora ferro
sustulerant sublime ratem, miserabile uisu,
per subitum rursus laxatis arte catenis 330
tanta praecipitem reddebant mole profundo,
ut totam haurirent undae cum milite puppem.
his super insidiis angusta foramina murus
arte cauata dabat, per quae cum fundere tela

309 totiens αVCm *Ep. 44* : tenens Gδ : turris Γ² ς nascentia ω *reduxit Summers coll. 3, 530* : cres- Cm 310 crepitantia ωCm : trepid- *edd. a* r1 311 robora Γ² ς : rora ω 312 nutantia *Dausqueius* : nite- ω 315 abiere Γ² ς : abire ω 318 paratas F : placatas VP 320 nodis αΓ² ς : noctis β 325 ulla Ch quin *om.* F (*ins. m.2*) P saepe trirerem F² *edd. a* p : saepetriremum F : septriremem L : septiremem β 327 morsusque ας : mors usque β tenaci Ch 334 cum fundere αCh : conf. β : clam f. *Burmann, edd. recc., v. ad 336*

tutum erat opposito mittentibus aggere ualli, 335
tum sine fraude labos, arta ne rursus eodem
spicula ab hoste uia uicibus contorta redirent.
calliditas Graia atque astus pollentior armis
Marcellum tantasque minas terraque marique
arcebat, stabatque ingens ad moenia bellum. 340
Vir fuit Isthmiacis decus immortale colonis,
ingenio facile ante alios telluris alumnos,
nudus opum, sed cui caelum terraeque paterent.
ille, nouus pluuias Titan ut proderet ortu
fuscatis tristis radiis, ille, haereat anne 345
pendeat instabilis tellus, cur foedere certo
hunc affusa globum Tethys circumliget undis,
nouerat atque una pelagi lunaeque labores,
et pater Oceanus qua lege effunderet aestus.
non illum mundi numerasse capacis harenas 350
uana fides. puppes etiam constructaque saxa
feminea traxisse ferunt contra ardua dextra.
Hic dum Italum ductorem astu Teucrosque fatigat,
adnabat centum late Sidonia uelis
classis subsidio et scindebat caerula rostris. 355
erigitur subitas in spes Arethusia proles
adiungitque suas portu progressa carinas.
nec contra Ausonius tonsis aptare lacertos
addubitat mersisque celer fodit aequora remis.

335 opposito α$\Gamma^2$ς : a- β 336 tum ω : nec *Marsus in comm.* (*'labor ille Archimedis, inquit, erat cum fraude'*) *edd. a* l : non *Summers* (*'ut* labos *in adpositione sit'*) : tum s. f. l. *in parenthesi Bailey, vix recte, nec locum expedivit Håkanson* ni *pro* ne *coniciens; ego* cum ... tum *sanum esse crediderim (cf. 8, 12), nam sine fraude labos est, quia periculum non erat, ne spicula retorta per foramina intrarent* (*cf. Liv. 24, 34, 9*) 341 isthmiacis $\Gamma^2$ς : histimacis F (*corr. in* isthi-) : ist(h)umac(h)is Lβ *cf. 642* 342 facili r2 *Bothe, sed* f. a. a. *i. facile princeps* 344 nouo *Heinsius* 345 anne G$\Gamma^2$ς : amne αγ 351 una VPCh

uerberibus torsere fretum. salis icta frequenti 360
albescit pulsu facies, perque aequora late
spumat canenti sulcatus gurgite limes.
insultant pariter pelago, ac Neptunia regna
tempestate noua trepidant. tum uocibus aequor
personat, et clamat scopulis clamoris imago. 365
ac iam diffusus uacua bellator in unda
cornibus ambierat patulos ad proelia fluctus
nauali claudens umentem indagine campum,
ac simili curuata sinu diuersa ruebat
classis et artabat lunato caerula gyro. 370
nec mora terrificis saeuae stridoribus aeris
per uacuum late cantu resonante profundum
increpuere tubae, quis excitus aequore Triton
expauit tortae certantia murmura conchae.
uix meminere maris; tam uasto ad proelia nisu 375
incumbunt proni positisque in margine puppis
extremae plantis nutantes spicula torquent.
sternitur effusis pelagi media area telis,
celsaque anhelatis exsurgens ictibus alnus
caerula nigranti findit spumantia sulco. 380

Ast aliae latere atque incussi roboris ictu
detergent remos, aliae per uiscera pinus
tramissis ipso retinentur uulnere rostris,

**366** uacua *mihi suspectum et displicet* bellator *sine definitione; fort. scribendum* laeua *coll. 369* diuersa *et 394* laeuum*; idem mendum Val. Fl. 1, 399 sustuli Mus. Helv. 32, 1975, 157* **368** (h)umentem $FV^2\Gamma^2$ *edd. a* p : niu- L : tim- G : uiu- δς **369** ac ωCh : at *edd. a* r1 **370** arabat Ch (*errore typogr. ?*) : arctabat *edd. vett. orthographia sollemni* **373** increpuere *Gronovius, cf. 5, 188 et Verg. Aen. 9, 504* : incubuere ω (*cf. 376*) triton $F^2V\Gamma^2$ς : -in F : -im LGδ **378** aera F (*corr.*) V **379** alnus $GV^2$ *in lac.* $\Gamma^2$ς : almis αδ **380** findit $L\Gamma^2$ς : fu- Fβ **381** latere ω (late O) Cm *Ep. 90* : lacerae *edd. vett.* : latera *Bothe, sed cf. Caes. civ. 1, 58, 1 et Thes. 5, 797, 5 sqq.* arboris δ (*corr. in* Γ)

quo retinent. medias inter sublimior ibat
terribilis uisu puppis, qua nulla per omne 385
egressa est Libycis maior naualibus aeuum.
sed quater haec centum numeroso remige pontum
pulsabat tonsis, ueloque superba capaci
cum rapidum hauriret Borean et cornibus omnes
colligeret flatus, lento se robore agebat, 390
innaret fluctus solis ceu pulsa lacertis.
procurrunt leuitate agili docilesque regentis
audiuisse manum Latio cum milite puppes.
Has ut per laeuum uenientes aequor Himilco
in latus obliquas iussamque incurrere proram 395
conspexit, propere diuis in uota uocatis
aequoris intento uolucrem de more sagittam
adsignat neruo, utque oculis librauit in hostem
et calamo monstrauit iter, diuersa relaxans
bracchia deduxit uultu comitante per auras 400
in uulnus telum ac residentis puppe magistri
affixit plectro dextram. nec deinde regenda
puppe manus ualuit flectenti immortua clauo.
dumque ad opem accurrit ceu capta nauita puppe,
ecce iterum fatoque pari neruoque sagitta 405
in medium perlapsa globum transuerberat ictu
orba gubernacli subeuntem munera Taurum.
Irrumpit Cumana ratis, quam Corbulo ductor
lectaque complebat Stabiarum litore pubes.

**387** nam (*pro* sed) *Lefebvre* : sic *Bailey, sed cf. e.g. Verg. Aen. 7, 731; 10, 576; K.–St. 2, 77* **389** borean LΓ$^2$ : -m Fβ (borreā G) **390** robore ωCm : corpore *edd. a* r1 **391** innaret *scripsi coll. 3, 363; Verg. georg. 3, 142; Aen. 6, 134; 10, 222* : intraret ω ceu *Livineius* : si αGVΓ$^2$ : se δ **400** deduxit γ : di- αGCh : direxit *Bauer* **401** ac ωCh : et δ **403** flectendo *Gronovius, sed cf. Lucan. 3, 555* **407** gubernacli αr2 *edd. a* v : -nandi F$^2$β **408** Campana *Drakenborch* **409** lectaque ω *Livineius* : l(a)et- *edd. a* r1 stabiarum Γ$^2$r2p *edd. a* v : stabl- FVΓ : stabul- LGO

numen erat celsae puppis uicina Dione. 410
sed superingestis propior quae subdita telis
bella capessebat, media subsedit in unda
diuisitque fretum. clamantum spumeus ora
Nereus implet aquis, palmaeque trahente profundo
luctantum frustra summis in fluctibus exstant. 415
hic audax ira magno per caerula saltu
Corbulo transgressus (nam textam robore turrim
appulerant nexae ferri compage triremes)
euadit tabulata super flammaque comantem
multifida pinum celso de culmine quassat. 420
inde atros alacer pastosque bitumine torquet
ammentante Noto Poenorum aplustribus ignes.
intrat diffusos pestis Vulcania passim
atque implet dispersa foros. trepidatur omisso
summis remigio. sed enim tam rebus in artis 425
fama mali nondum tanti penetrarat ad imos.
at rapidus feruor per pingues unguine taedas
illapsus flammis uictricibus insonat alueo.
qua nondum tamen intulerat uim Dardana lampas
parcebatque uapor, saxorum grandine dirus 430
arcebat fatumque ratis retinebat Himilco.
hic miser igniferam dum uentilat aere pinum,
murali saxo per lubrica sanguine transtra

**410** nomen F (*corr.*) Ch Lucrina *Heinsius coll. Stat. silv. 3, 1, 150, sed vicina Stabiis est Venus Pompeiana* (*v. Vollmer, P. Papinii Statii Silvarum liber, 1898, p. XIII*) **411** proprior GVΓ (*corr.*) qua *Bentley* : quia *Bauer* (*vocabulo a poeta nusquam adhibito*), *sed de alia nave agi videtur* **413** clamantum ωCh : -em *edd. a* v **421** atros $F^2$Lδ : -x FGV **422** ammentante αCh : ame- Cm *Ep. 90* : adue- β **423** diffusos *i. latos* **425** iam *Heinsius* : tum *Bauer, sed de traiectionis forma v. Blomgren 51* **427** at $Γ^2$ *edd. a* r1 **429** tandem F (*corr.*) **431** arcebat α$V^2Γ^2$ : arcebatque β

uoluitur in fluctus Lycchaei uulnere Cydnus.
fax nidore graui foedauit comminus auras 435
ambusto instridens pelago. ferus inde citatum
missile adorata contorquet Sabratha puppe
(Hammon numen erat Libycae gentile carinae
cornigeraque sedens spectabat caerula fronte):
'fer, pater, afflictis, fer,' ait 'Garamantice uates, 440
rebus opem inque Italos da certa effundere tela.'
has inter uoces tremulo uenit agmine cornus
et Neptunicolae transuerberat ora Telonis.
Vrgebant nihilo leuius iam in limine mortis,
quos fuga praecipites partem glomerarat in unam 445
puppis adhuc uacuam taedae; sed proxima cursu
fulmineo populatus ineuitabilis ardor
correptam flammis inuoluit ouantibus alnum.
primus ope aequorei funis delapsus in undas,
qua nondum Stygios glomerabat Mulciber aestus, 450
ambustus socium remis aufertur Himilco.
proxima nudarunt miserandi fata Batonis
desertam ductore ratem. bonus ille per artem
crudo luctari pelago atque exire procellas.
idem, quid Boreas, quid uellet crastinus Auster, 455
anteibat, nec peruigilem tu fallere uultum
obscuro quamuis cursu, Cynosura, ualeres.
is, postquam aduersis nullus modus, 'accipe nostrum,
Hammon, sanguinem,' ait 'spectator cladis iniquae.'
atque acto in pectus gladio dextra inde cruorem 460
excipit et large sacra inter cornua fundit.

**434** Lycchaei Ch (lychei *edd. a* v) : lichaei F : licchei L : luchei β cydnus F² *Marsus in comm.* : cydinis F : cyduns L : ciclus β (cidus V) **442** agmine *de telo dictum caret exemplo; an* impete *? cf. e.g. 2, 243 et Lucr. 6, 174* tremulo tempestas impete fulgit **444** urg(u)ebant αCh : -at β **448** alnum F²LG *edd. a* p : aluum Fγ **451** remis LΓ (rh-) : renus FV² : remus VO **452** batonis Fr2Ch : bath- Lβ **458** his Fr2

Hos inter Daphnis, deductum ab origine nomen
antiqua, fuit infelix, cui linquere saltus
et mutare casas infido marmore uisum.
at princeps generis quanto maiora parauit 465
intra pastorem sibi nomina! Daphnin amarunt
Sicelides Musae, dexter donauit auena
Phoebus Castalia et iussit, proiectus in herba
si quando caneret, laetos per prata, per arua
ad Daphnin properare greges riuosque silere. 470
ille ubi septena modulatus harundine carmen
mulcebat siluas, non umquam tempore eodem
Siren adsuetos effudit in aequore cantus,
Scyllaei tacuere canes, stetit atra Charybdis,
et laetus scopulis †audiuit† iubila Cyclops. 475
progeniem hauserunt et nomen amabile flammae.
Innatat ecce super transtris fumantibus asper
Ornytos ac longam sibimet facit aequore mortem,
qualis Oiliades fulmen iaculante Minerua
surgentes domuit fluctus ardentibus ulnis. 480
transigitur valida medius, dum se alleuat, alni
cuspide Marmarides Sciron. pars subnatat unda
membrorum, pars exstat aquis totumque per aequor
portatur rigido, miserandum, immortua rostro.

**462** daphnis αr2mv : daphius β : daphus $\Gamma^2$ς **463** linquere α$\Gamma^2$ς : lingere β **464** mutare α$\Gamma^2$ς : imi- β **465** at αr2 *edd. a* v : et β parauit $\Gamma^2$ *edd. a* v : -bit ω **466** daphnin *edd. a* v : daphini F : daphinin $F^2$ : daphni L : daphnis $L^2$ : daphum G : daphium V : claphum δ **467** sicelides α : -tes β : sicilides $\Gamma^2$r2v **470** daphnin *edd. a* v : daphnim L : daphium F : daphum G : claphum γ **471** modulatus α$\Gamma^2$ : -os β **475** lentus *Marsus in comm., Lefebvre* sedauit *Gronovius, commendant Bailey et Primmer Thes. 7, 2, 588, 51; possis etiam* leniuit *coll. Lucan. 9, 643* Cerberos Orpheo leniuit sibila cantu *et Hor. c. 1, 27, 7* cyclops (-i-) $F^2$β (-pos O) : cydops L : cydopes F **481** alni LGV$\Gamma^2$Ch : alin F : alui δr1m *edd. a* j

accelerant puppes utrimque atque ora ruentum 485
sanguinei feriunt remorum adspergine rores.
ipse adeo senis ductor Rhoeteius ibat
pulsibus et ualido superabat remige uentos.
quam rapidis puppem manibus frenare Lilaeus
dum temptat, saeua truncatur membra bipenni, 490
ac fert haerentes trabibus ratis incita palmas.
Sicania Aeoliden portabant transtra Podaetum.
hic aeuo quamquam nondum excessisset ephebos,
seu laeui traxere dei seu feruida corda
nec sat maturus laudum bellique cupido, 495
arma puer niueis aptarat picta lacertis
et freta gaudebat celsa turbare Chimaera.
iamque super Rutula, super et Garamantide pinu
ibat ouans melior remo meliorque sagitta,
et iam turrigerum demerserat aequore Nessum. 500
heu puero malesuada rudi noua gloria pugnae!
dum cristam galeae trucis exuuiasque precatur
de duce Marcello superos temerarius, hasta
excepit raptim uulnus letale remissa,
pro qualis! seu splendentem sub sidera nisu 505
exigeret discum, iaculo seu nubila supra
surgeret, aligeras ferret seu puluere plantas
uix tacta, uel dimensi spatia improba campi
transiret uelox saltu, decuere labores.

**485** utrimque α$\Gamma^2$ : -um- β **486** ferunt δ (*corr. in* Γ) **487** senis αCm *Ep. 90* : s(a)euis β **490** truncantur ς **491** ac αCh : at β (art O) : et *edd. a* j **492** eolidem δ (*corr. in* Γ) ς Podarcen *Schrader coll. 507, fort. recte, quia Podarces e stirpe Aeoli regis est (cf. Kenner RE 21, 1142)* **494.495** *ordinem traditum recte def. Håkanson* **500** nexum Vς : uessum δ **504** remissa αV *edd. a* v : reuulsa Gδς **505** nisu F$\Gamma^2$ς : u- $F^2$Lβ **507** seu α$\Gamma^2$ς : sub β **508** tacta ω *def. Blomgren* : -o $\Gamma^2$ς *edd.* dimensi $\Gamma^2$ς : dimens αΓ : dimeus O : dimensa G : *om.* V (climeus *m.2 marg.*) **509** decuere Ch : do- ω

sat prorsus, sat erat decoris discrimine tuto, 510
sat laudis. cur facta, puer, maiora petebas?
illum ubi labentem pepulerunt tela sub undas
ossa Syracosio fraudatum naufraga busto,
fleuerunt freta, fleuerunt Cyclopia saxa
et Cyane et Anapus et Ortygie Arethusa. 515
Parte alia Perseus (puppem hanc Tiberinus agebat)
quaque uehebatur Crantor Sidonius, Io
concurrunt. iniecta ligant hinc uincula ferri
atque illinc, steteruntque rates ad proelia nexae.
nec iaculo aut longe certatur harundine fusa; 520
comminus et gladio terrestria proelia miscent.
perrumpunt Itali, qua caedes prima reclusit
monstrauitque uiam; uasta sed mole catenas
hortatur socios et uincla abrumpere ferri
ac parat hostili resoluta puppe receptos 525
auehere et paribus pelago diducere ab armis –
Aetnaeo Polyphemus erat nutritus in antro
atque inde antiquae nomen feritatis amabat.
ubera praebuerat paruo lupa, corporis alti
terribilis moles, mens aspera, uultus in ira 530
semper et ad caedes Cyclopia corde libido.
isque relaxatis membrorum pondere uinclis
impulerat puppim et mergebat gurgite tonsas

**511** fata P *Gronovius* **514** ciclopia β : cyclopea L$\Gamma^2$ς : cordopa F (ciclopa *m.2 marg.*) **515** cyane (ci-) α$\Gamma^2$ς : trane β : cyanes *edd. vett.* Ortygies *Ruperti, sed cf. Lachmann ad Lucr. 6, 971* **516** perseus α$V^2$Ch : praesens β : praeses *edd. a* v hanc ωCh : *om. edd. vett.* **517** ferebatur *edd. a* r1 crantor αGCh : crautor V : et auctor δ : ductor $\Gamma^2$ς **518** concurrunt ωCh : conclamant *edd. a* j **523** uasta sed mole *Lefebvre* : -as et m. ω : -as et M(a)ela *edd. a* v : uasta dux mole *Thilo 1864, 408, sed v. adn. ad 527* **526** diducere αGV$\Gamma^2$ : de- δς **527** Aetnaeus Polyphemus. erat *Ker 22 sq., sed cf. 10, 93; 11, 58; 14, 34 sq.* **531** Cyclopia *Cellarius* : -eia ω : -ea $\Gamma^2$ς

duxissetque ratem, pressa Laronius hasta
ni propere duro nitentem exsurgere uelox 535
affixet transtro. uix morte incepta remittit;
namque manus seruat dum suetos languida ductus,
ignauum summo traxit super aequore remum.
Perculsi cuneo Poeni densentur in unum,
quod caret hoste, latus, subito cum pondere uictus 540
insiliente mari summergitur alueus undis.
scuta uirum cristaeque et inerti spicula ferro
tutelaeque deum fluitant. hic robore fracto
pugnat inops chalybis seseque in proelia rursus
armat naufragio, remis male feruidus ille 545
festinat spoliare ratem discrimine nullo
nautarum interdum conuulsa sedilia torquens.
non plectro ratis aut frangendae in uulnera prorae
parcitur, et pelago repetuntur nantia tela.
uulneribus patulis intrat mare. mox sua ponto 550
singultante anima propulsa refunditur unda.
nec desunt, qui correptos complexibus artis
immergant pelago et iaculis cessantibus hostem
morte sua perimant. remeantum gurgite mentes
crudescunt, ac pro ferro stat fluctibus uti. 555
haurit sanguineus contorta cadauera uertex.
hinc clamor, gemitus illinc mortesque fugaeque
remorumque fragor flictuque sonantia rostra.

534 latronius pCh : latonius ς 536 affixet L$\Gamma^2$ς : -ae F : -it β 538 summo traxit Ch : somno t. ω : summa attraxit *edd. a* v : summă traxit *Ruperti, Lindblom 133* aequore *Bauer* (*qui postea Lindblomio adstipulatus est, Berl. philol. Wochenschr. 1907, 9*) : -a ω 539 perculsi b1 : -ssi ω densantur ς 543 fluitant $\Gamma^2$ς : fluct- ω *cf. 4, 486* freto α 545 illo δ (*corr. in* Γ) 548 funera *malim coll. 550* 549 parcitur l : pas- ω 550 maior (*pro* mare) δ (*corr. in* Γ) 552 complexibus αr2 : am- βς artus F 553 cessantibus $\Gamma^2$ς : ca- ω 555 ac αΓς : at GV : et O 558 *om. edd. a* r1 : *ins.* Cm *Ep. 90* flictuque LCm : flu- Fβ

perfusum bello feruet mare. fessus acerbis
terga fuga celeri Libyae conuertit ad oras 560
exigua sese furatus Himilco carina.
Concessere mari tandem Graiusque Libysque,
et iam captiuae uinclis ad litora longo
ordine ducuntur puppes. flagrantibus alto
stant aliae taedis. splendet lucente profundo 565
Mulciber, et tremula uibratur imagine pontus.
ardet nota fretis Cyane pennataque Siren.
ardet et Europe niuei sub imagine tauri
uecta Ioue ac prenso tramittens aequora cornu,
et quae fusa comas curuum per caerula piscem 570
Nereis umenti moderatur roscida freno.
uritur undiuagus Python et corniger Hammon
et, quae Sidonios uultus portabat Elissae,
bis ternis ratis ordinibus grassata per undas.
at uinclis trahitur cognata in litora Anapus 575
Gorgoneasque ferens ad sidera Pegasus alas.
ducitur et Libyae puppis signata figuram
et Triton captiuus et ardua rupibus Aetne,
spirantis rogus Enceladi, Cadmeaque Sidon.
Nec mora quin trepidos hac clade irrumpere muros 580
signaque ferre deum templis iamiamque fuisset,
ni subito importuna lues inimicaque pestis

559 fossus α r2 **561** furatus α V r2 *edd. a* v : fuc- G δ : tut- Γ² ς himilco F² L Γ² ς : in mulco F : in multo β **562** graiusque F² Γ² ς : grauisque ω **563** uinclis α V² Γ² ς : undis β **564** flagrantibus α Γ² ς : fr- β (fraga- δ) **565** t(a)edis Γ² ς : c- ω **567** cyane α Γ² ς : trane β (-o G) **568** etiope F **569** ioui P *Drakenborch, Bauer* **570** quo δ (*corr. in* Γ) **572** python L *Livineius* : piton F (*corr. in* py-) : phiton (phy-) β **573** Sidoniae *Bentley* **575** at α r2 Ch : ac β **576** pegasus F² L G V Γ² : po- F δ **580** tum (*pro* quin) *Summers* : ui *Bailey, sed cf. e.g. Stat. Theb. 2, 513* **581** iam iamque F² Γ² ς : ianuamque ω fuisset *i. licuisset, v. H.–Sz. 349* **582** ni Γ² *edd. vett.* : et ω

inuidia diuum pelagique labore parata
polluto miseris rapuisset gaudia caelo.
criniger aestiferis Titan feruoribus auras 585
et patulam Cyanen lateque palustribus undis
stagnantem Stygio Cocyti oppleuit odore
temporaque autumni laetis florentia donis
foedauit rapidoque accendit fulminis igni.
fumabat crassus nebulis caliginis aer, 590
squalebat tellus uitiato feruida dorso
nec uictum dabat aut ullas languentibus umbras,
atque ater picea uapor exspirabat in aethra.
uim primi sensere canes. mox nubibus atris
fluxit deficiens penna labente uolucris. 595
inde ferae siluis sterni. tum serpere labes
Tartarea atque haustis populari castra maniplis.
arebat lingua, et gelidus per uiscera sudor
corpore manabat tremulo. descendere fauces
abnuerant siccae iussorum alimenta ciborum. 600
aspera pulmonem tussis quatit, et per anhela
igneus efflatur sitientum spiritus ora.
lumina ferre grauem uix sufficientia lucem
unca nare iacent, saniesque immixta cruore
exspuitur, membrisque cutis tegit ossa peresis. 605
heu dolor! insignis notis bellator in armis

**583** *verba* p. l. parata *non cum* pestis, *sed cum* gaudia *iungenda esse vidit Bailey;* inuidia diuum *ad* parata *trahendum esse crediderim* (*cf. Lucan.* 9, 66), *sed fortasse post* diuum *duo hemistichia exciderunt* (*versum post 582 excidisse suspicatur Watt 1985*) **585** criniger αG$V^2$Γ : armiger VP : eriniger O aestiferis αr2Cm *Ep. 90* : astri- β **586** cyanen L$\Gamma^2$ς : -m F : tranem β **588** laetis αCm : lectis β : latis $\Gamma^2$ς **593** at taeter *Damsté* piceam … aethram *Scaliger* **594** altis *Zwierlein, Mus. Helv. 1978, 62, recte ut puto* **599.600** *ordo verborum esse videtur* fauces siccae abnuerant alimenta ciborum descendere iussorum; *sed* demittere *malim* **600** siccas *Drakenborch* **601** tussis α$G^2\Gamma^2$ς : tuscis β

ignauo rapitur leto. iactantur in ignem
dona superba uirum multo Mauorte parata.
succubuit medicina malis. cumulantur aceruo
labentum et magno cineres sese aggere tollunt. 610
passim etiam deserta iacent inhumataque late
corpora pestiferos tetigisse timentibus artus.
serpit pascendo crescens Acherusia pestis
nec leuiore quatit Trinacria moenia luctu
Poenorumque parem castris fert atra laborem. 615
aequato par exitio et communis ubique
ira deum atque eadem leti uersatur imago.
Nulla tamen Latios fregit uis dura malorum
incolumi ductore uiros, clademque rependit
unum inter strages tutum caput. ut grauis ergo 620
primum letiferos repressit Sirius aestus
et minuere auidae mortis contagia pestes,
ceu, sidente Noto cum se maria alta reponunt,
propulsa inuadit piscator caerula cumba,
sic tandem ereptam morbis grassantibus armat 625
Marcellus pubem lustratis rite maniplis.
circumstant alacres signa auditisque tubarum
respirant laeti clangoribus. itur in hostem
et, si fata ferant, iuuat inter proelia ferro
posse mori. socium miseret, qui sorte pudenda 630
in morem pecudum fudere cubilibus atris
illaudatam animam. tumulos inhonoraque busta
respiciunt et uel nullo iacuisse sepulcro

**607** iactantur F$^2$Γ$^2$ς : uic- β **609** acerui *Heinsius* **614** trinacria αV$^2$Γ$^2$ : -aria G : -ario γ **622** minuere F$^2$LCh *ut coni. Gronovius* : numiere F : timuere β : posuere *edd. a* v **627** c. a. s. auditisque αCm *Ep. 90* : c. a. s. auidisque β : signaque c. a. auidisque Γ$^2$ς **629** ferant F$^2$β : -unt α **630** sorte ωCm : m- *edd. a* r1 **631** morem αVΓ$^2$ : mortem Gδ fudere *scripsi, cf. e.g. 15, 236* : effudere ω (-und- δ)

quam debellari morbis placet. ardua primus
ad muros dux signa rapit. tenuata iacendo 635
et macie in galeis abscondunt ora, malusque,
ne sit spes hosti, uelatur casside pallor.
infundunt rapidum conuulsis moenibus agmen
condensique ruunt. tot bellis inuia tecta
totque uno introitu capiuntur militis arces. 640
Totum, qua uehitur Titan, non ulla per orbem
tum sese Isthmiacis aequassent oppida tectis.
tot delubra deum totque intra moenia portus!
adde fora et celsis suggesta theatra columnis
certantesque mari moles, adde ordine longo 645
innumeras spatioque domos aequare superbas
rura! quid inclusos porrecto limite longis
porticibus sacros iuuenum certamine lucos?
quid tot captiuis fulgentia culmina rostris
armaque fixa deis, aut quae Marathonius hostis 650
perdidit aut Libya quae sunt aduecta subacta?
hic Agathocleis sedes ornata tropaeis,
hic mites Hieronis opes, hic sancta uetustas
artificum manibus. non usquam clarior illo
gloria picturae saeclo; non aera iuuabat 655

634 primus L$\Gamma^2$ς : -is Fβ 636 macie in *Barth* : maciem ω : -e *Dausqueius* manusque $\Gamma^2$ς 637 uelatur α$\Gamma^2$ς : uell- β 640 totque lg *Livineius* : tot ω una *Heinsius* : *an* (tot) primo*? cf. Apul. met. 5, 1, 3 et Liv. 26, 15, 7* ad primum equitum ingressum 642 isthmiacis $\Gamma^2$ς : histimacis F : isthimacis L : isthumacis β *cf. 341* 648 s., i. certamina, l. *Ruperti, sed cf. 4, 86; 15, 207* 649 quid $\Gamma^2$ς : qui ω 652 aedes *Heinsius, recte ut opinor, cf. Cic. Verr. II 4, 122* 653 mites ω *Livineius* : -is P *edd. a* r1 heronis α hic $\Gamma^2$ς : hinc ω *def. Schuster 1927, sed error ex voce* sancta *ortus esse videtur* uetustas α$\Gamma^2$ς : -ta β 654 illo αCh : u- β 655 iuuabat αCh : -ant β : uacabant *edd. a* l

†quem scire Ephyren fuluo certaret ut auro†
uestis spirantes referens subtemine uultus,
quae radio caelat Babylon uel murice picto
laeta Tyros quaeque Attalicis uariata per artem
aulaeis scribuntur acu aut Memphitide tela. 660
iam simul argento fulgentia pocula, mixta
quis gemma quaesitus honos, simulacra deorum
numen ab arte datum seruantia, munera rubri
praeterea ponti depexaque uellera ramis,
femineus pudor.
His tectis opibusque potitus 665
Ausonius ductor postquam sublimis ab alto
aggere despexit trepidam clangoribus urbem
inque suo positum nutu, stent moenia regum
an nullos oriens uideat lux crastina muros,
ingemuit nimio iuris tantumque licere 670
horruit et propere reuocata militis ira
iussit stare domos indulgens templa uetustis
incolere atque habitare deis. sic parcere uictis
pro praeda fuit, et sese contenta nec ullo
sanguine pollutis plausit Victoria pennis. 675
tu quoque ductoris lacrimas, memorande, tulisti,

656 *locus conclamatus.* quae scirent ephyren $\Gamma^2\varsigma$ : *ex magna congerie coniecturarum cito* quem adcire ex Ephyre; fuluo certauerit (*Barth*) auro *Ruperti* : quaesisse ex Ephyre; fuluo haud certauerit auro *Lefebvre* : quae miscens Ephyre fuluo certauerat auro *Thilo 1864 post hunc versum excidisse unum arbitratus* : ascire ex Ephyre; fuluo certauerit auro *Bauer* : quae miscere Ephyren (*i. aera miscere meliora quam Ephyre*); fului certaret et auri (*cf. Verg. Aen. 3, 483* picturatas auri subtemine uestes) *ego* (certaret *sc. eis*, quae ... *cf. e.g. 15, 817sq.*) **657** subtemine Fv : -tegm- Lβ **662** gemma F (gēma) $\Gamma^2\varsigma$ : gemina Lβ **665** pudor ωCh *fortasse de veste serica pellucente accipiendum* : labor *edd. a* r1 : furor *Watt 1984* : *an* stupor? **670** nimio iuris *Blass* : in uno iuris F : iuno uiris L : in uno uiris β : nimiumque uiris $\Gamma^2\varsigma$ : nimium iuris r1mp *Ernesti* : nimium uiris *edd. a* v **675** pennis α$\Gamma^2$ : penis β

defensor patriae, meditantem in puluere formas
nec turbatum animi tanta feriente ruina.
ast reliquum uulgus resoluta in gaudia mente
certarunt uicti uictoribus. aemulus ipse 680
ingenii superum seruando condidit urbem.
ergo exstat saeclis stabitque insigne tropaeum
et dabit antiquos ductorum noscere mores.
felices populi, si, quondam ut bella solebant,
nunc quoque inexhaustas pax nostra relinqueret urbes! 685
at, ni cura uiri, qui nunc dedit otia mundo,
effrenum arceret populandi cuncta furorem,
nudassent auidae terrasque fretumque rapinae.

**679** at $\Gamma^2$ς **680** certarunt $\Gamma^2$ς : -ent ω **682** s(a)eclis FGr2 *edd. a* j : sedis Lγ **686** ac Ch

SILI ITALICI

PVNICORVM

## LIBER QVINTVS DECIMVS

At noua Romuleum carpebat cura senatum,
quis trepidas gentes Martemque subiret Hiberum
attritis rebus. geminus iacet hoste superbo
Scipio, belligeri, Mauortia pectora, fratres.
hinc metus, in Tyrias ne iam Tartessia leges 5
concedat tellus propioraque bella pauescat.
anxia turba patrum quasso medicamina maesti
imperio circumspectant diuosque precantur
qui laceris ausit ductor succedere castris.
Absterret iuuenem patrios patruique piare 10
optantem manes tristi conterrita luctu
et reputans annos cognato sanguine turba.
si gentem petat infaustam, inter busta suorum
decertandum hosti, qui fregerit arma duorum,
qui consulta, ducum ac flagret meliore Gradiuo. 15
nec promptum teneris immania bella lacertis
moliri regimenque rudi deposcere in aeuo.
Has lauri residens iuuenis uiridante sub umbra
aedibus extremis uoluebat pectore curas,
cum subito adsistunt dextra laeuaque per auras 20

4 pignora *Bothe* 5 hinc l : hic ω tartessia FV : -esia GO : c- Γ : charch- L 6 propioraque Lς : propri- Fβ pauescit (a. t. patrum.) *Blass* 9 quis *Heinsius* ausit FGVΓ² : auxit Lδ 10 patriaque F 19 et mediis *Ruperti, sed cf. Ter. Haut. 902* ultimis ... in aedibus (*v. Wistrand, Nach innen oder nach außen? 1946, 5*)

allapsae, haud paulum mortali maior imago,
hinc Virtus, illinc uirtuti inimica Voluptas.
altera Achaemenium spirabat uertice odorem
ambrosias diffusa comas et ueste refulgens,
ostrum qua fuluo Tyrium suffuderat auro; 25
fronte decor quaesitus acu, lasciuaque crebras
ancipiti motu iaciebant lumina flammas.
alterius dispar habitus: frons hirta nec umquam
composita mutata coma, stans uultus, et ore
incessuque uiro propior laetique pudoris 30
celsa umeros niueae fulgebat stamine pallae.
  Occupat inde prior promissis fisa Voluptas:
'quis furor hic, non digne puer, consumere bello
florem aeui? Cannaene tibi grauiorque palude
Maeonius Stygia lacus excessere Padusque? 35
quem tandem ad finem bellando fata lacesses?
tune etiam temptare paras Atlantica regna
Sidoniasque domos? moneo, certare periclis
desine et armisonae caput obiectare procellae.
ni fugis hos ritus, Virtus te saeua iubebit 40
per medias uolitare acies mediosque per ignes.
haec patrem patruumque tuos, haec prodiga Paulum,
haec Decios Stygias Erebi detrusit ad undas,
dum cineri titulum memorandaque nomina bustis
praetendit nec sensurae, quod gesserit, umbrae. 45
at si me comitere, puer, non limite duro
iam tibi decurrat concessi temporis aetas.
haud umquam trepidos abrumpet bucina somnos,
non glaciem Arctoam, non experiere furentis
ardorem Cancri nec mensas saepe cruento 50
gramine compositas. aberunt sitis aspera et haustus

**27** iaciebant Γ[2] ς : iace- ω **31** pelle δ (*corr. in* Γ) **37** at(h)-lantica α Γ[2] ς : ad lautica β **42** haec prodiga Γ[2] ς : hoc p. ω **45** quid *edd. a* r1 **49** experiere F[2] Γ ς : -ire ω

sub galea puluis †partique minore† labores.
sed current albusque dies horaeque serenae,
et molli dabitur uictu sperare senectam.
quantas ipse deus laetos generauit in usus 55
res homini plenaque dedit bona gaudia dextra!
atque idem, exemplar lenis mortalibus aeui,
imperturbata placidus tenet otia mente.
illa ego sum, Anchisae Venerem Simoentis ad undas
quae iunxi, generis uobis unde editus auctor. 60
illa ego sum, uerti superum quae saepe parentem
nunc auis in formam, nunc torui in cornua tauri.
huc aduerte aures. currit mortalibus aeuum,
nec nasci bis posse datur. fugit hora, rapitque
Tartareus torrens ac secum ferre sub umbras, 65
si qua animo placuere, negat. quis luce suprema
dimisisse meas sero non ingemit horas?'
Postquam conticuit finisque est addita dictis,
tum Virtus 'quasnam iuuenem florentibus' inquit
'pellicis in fraudes annis uitaeque tenebras, 70
cui ratio et magnae caelestia semina mentis
munere sunt concessa deum? mortalibus alti
quantum caelicolae, tantundem animalibus isti
praecellunt cunctis. tribuit namque ipsa minores
hos terris Natura deos; sed foedere certo 75
degeneres tenebris animas damnauit Auernis.
at quis aetherii seruatur seminis ortus,
caeli porta patet. referam quid cuncta domantem
Amphitryoniaden? quid, cui, post Seras et Indos

52 p. timore $\Gamma^2$ς *edd.* : p. in morte *Blass* : p. in Marte *Bauer* : p. labore *vel* p. (*vel* partoque) in honore *Bailey* : pretioque minore *Watt 1985* : p. et in ore (*sc. siti et pulvere*) *ego* 57 lenis $\Gamma^2$ς : leuis ω 58 tenet $\Gamma^2$ς : -r ω 59 ille δ (*corr. in* Γ) simoentis $\Gamma^2$ς : -os α : simeuntis GVΓ : simeonta O 68 est *om.* δ (*corr. in* Γ) 74.75 minores ... deos $\Gamma^2$ς : -e ...-o ω : -es ... -o r2 78 domantem $F^2$G$\Gamma^2$ς : don- αγ 79 amphitryoniaden r1 : -m ω

captiuo Liber cum signa referret ab Euro, 80
Caucaseae currum duxere per oppida tigres?
quid suspiratos magno in discrimine nautis
Ledaeos referam fratres uestrumque Quirinum?
nonne uides, hominum ut celsos ad sidera uultus
sustulerit deus ac sublimia finxerit ora, 85
cum pecudes uolucrumque genus formasque ferarum
segnem atque obscenam passim strauisset in aluum?
ad laudes genitum, capiat si munera diuum,
felix ad laudes hominum genus. huc, age, paulum
adspice (nec longe repetam), modo Roma minanti 90
impar Fidenae contentaque crescere asylo
quo sese extulerit dextris; idem adspice, late
florentes quondam luxus quas uerterit urbes.
quippe nec ira deum tantum nec tela nec hostes,
quantum sola noces animis illapsa, Voluptas. 95
Ebrietas tibi foeda comes, tibi Luxus et atris
circa te semper uolitans Infamia pennis;
mecum Honor ac Laudes et laeto Gloria uultu
et Decus ac niueis Victoria concolor alis.
me cinctus lauro producit ad astra Triumphus. 100
casta mihi domus et celso stant colle penates;
ardua saxoso perducit semita cliuo.
asper principio (neque enim mihi fallere mos est)
prosequitur labor. annitendum intrare uolenti,
nec bona censendum, quae Fors infida dedisse 105
atque eadem rapuisse ualet. mox celsus ab alto
infra te cernes hominum genus. omnia contra

85 finxerat GV : fixerit Ch 87 pastu *Blass* 92 quo $\Gamma^2$ *edd. a v* : quae ω 93 uerterit $W^2$ς : -et ω 95 noces $\Gamma^2$Oς : u- ω 96 fida Γ$W^2$ *edd. vett.* 98 ac α *Drakenborch tacite* : et β 99 ac α *Drakenborch tacite* : et β 100 producit αr2Ch : per- β 103 nec δς 105 censendum $F^2$L$G^2$Cm *Ep. 115* : consendum F : consendunt G : consedunt V : concendunt O : conscendunt Γς fors αCm : s- β dedisse H *Barth* : -et ω

experienda manent, quam spondet blanda Voluptas.
stramine proiectus duro patiere sub astris
insomnes noctes frigusque famemque domabis. 110
idem iustitiae cultor, quaecumque capesses,
testes factorum stare arbitrabere diuos.
tunc, quotiens patriae rerumque pericula poscent,
arma feres primus, primus te in moenia tolles
hostica nec ferro mentem uincere nec auro. 115
hinc tibi non Tyrio uitiatas murice uestes
nec donum deforme uiro fragrantis amomi,
sed dabo, qui uestrum saeuo nunc Marte fatigat
imperium, superare manu laurumque superbam
in gremio Iouis excisis deponere Poenis.' 120
Quae postquam cecinit sacrato pectore Virtus,
exemplis laetum uultuque audita probantem
conuertit iuuenem. sed enim indignata Voluptas
non tenuit uoces. 'nil uos iam demoror ultra'
exclamat; 'uenient, uenient mea tempora quondam, 125
cum docilis nostris magno certamine Roma
seruiet imperiis et honos mihi habebitur uni.'
sic quassans caput in nubes se sustulit atras.
At iuuenis plenus monitis ingentia corde
molitur iussaeque calet uirtutis amore. 130
ardua rostra petit nullo fera bella uolente
et grauia ancipitis deposcit munera Martis.
arrecti cunctorum animi. pars lumina patris,
pars credunt toruos patrui reuirescere uultus.
sed quamquam instinctis tacitus tamen aegra pericli 135
pectora subrepit terror, molemque pauentes
expendunt belli, et numerat fauor anxius annos.

**113** tu *Heinsius* **117** donum α$\Gamma^2$ς : domum β fragrantis Gδ : fl- αVP *edd. a* v **119** superbum δ (*corr. in* Γ) **127** honos ωCh : -r *edd. a* v **128** in α$G^2\Gamma^2$ : *om.* β **129** ac F **130** uisaeque *edd. a* r1 **134** reuirescere ωCm *Ep. 115* : reuisere *edd. a* v **135** instinctis Cm : *om.* ω (*lac. post* tacitus O) : tacitus magnis tamen $\Gamma^2$ς pericli *Heinsius* : -is ω

Dumque ea confuso percenset murmure uulgus,
ecce per obliquum caeli squalentibus auro
effulgens maculis ferri inter nubila uisus 140
anguis et ardenti radiare per aera sulco,
quaque ad caeliferi tendit plaga litus Atlantis,
perlabi resonante polo. bis terque coruscum
addidit augurio fulmen pater, et uaga late
per subitum moto strepuere tonitrua mundo. 145
tum uero capere arma iubent genibusque salutant
summissi augurium: hac iret, qua ducere diuos
perspicuum et patrio monstraret semita signo.
Certatim comites rerum bellique ministros
agglomerant sese atque acres sociare labores 150
exposcunt, laudumque loco est isdem esse sub armis.
tum noua caeruleum descendit classis in aequor.
it comes Ausonia atque in terras transit Hiberas,
ut, cum saeua fretis immisit proelia, Corus
Isthmon curuata sublime suberigit unda 155
et spumante ruens per saxa gementia fluctu
Ionium Aegaeo miscet mare. celsus in arma
emicat ac prima stans Scipio puppe profatur:
'diue tridentipotens, cuius maria ire per alta
ordimur, si iusta paro, decurrere classi 160
da, pater, ac nostros ne sperne iuuare labores.
per pontum pia bella ueho.' leuis inde secunda
adspirans aura propellit carbasa flatus.
iamque agiles, Tyrrhena sonant qua caerula, puppes

145 sudum *Schrader, sed v. ad 12, 654* 147 hac *Postgate* : ac Cd (*? 'in contextum recepit ... Heinsius ex Coloniensi codice, cuius in notis nihil monuit'*) : atque ω 149 ministri $\Gamma^2$ς *edd. vett.* 150 agglomerant $\Gamma^2$ς : -at ω alacres *Schrader, probabiliter* 154 corus αr2j : ch- β 155 subegerit F : superiacit *Bauer* (-icit *iam Wagner ad Verg. Aen. 11, 625*), *sed v. Blomgren* 259 tridentipotens ωCm *Ep. 115* : tridente p. $\Gamma^2$ς 161 ac α *Drakenborch tacite* : et β 163 arua δ (*corr. in* Γ) carbasa $F^2$β (g- G) : -sia α

Ausonium euasere latus Ligurumque citatis 165
litora tramittunt proris. hinc gurgite ab alto
tellurem procul irrumpentem in sidera cernunt,
aerias Alpes. occurrunt moenia Grais
condita Massiliae. populis haec cincta superbis,
barbarus immani cum territet accola ritu, 170
antiquae morem patriae cultumque habitumque
Phocais armiferas inter tenet hospita gentes.
hinc legit Ausonius sinuatos gurgite ductor
anfractus pelagi. nemoroso uertice celsus
apparet collis, fugiuntque in nubila siluae 175
Pyrenes, tunc Emporiae ueteresque per ortus
Graiorum uulgus, tunc hospita Tarraco Baccho.
considunt portu. securae gurgite clauso
stant puppes, positusque labor terrorque profundi.
Nox similes morti dederat placidissima somnos. 180
uisa uiro stare effigies ante ora parentis
atque hac adspectu turbatum uoce monere:
'nate, salus quondam genitoris, nate, parentis
et post fata decus, bellorum dira creatrix
euastanda tibi tellus, et caede superbi 185
ductores Libyae cauta uirtute domandi,
qui sua nunc trinis diducunt agmina castris.
si conferre manum libeat coeantque uocatae
hinc atque hinc acies, ualeat quis ferre ruentes
tergemina cum mole uiros? absiste labore 190

168 grai(i)s GJCm : graio αγ 169 haec cincta ω (hinc c. O) Cm : excincta r2vj : accincta b1 170 inmani FΓ$^2$ς : in imam LGΓ : mimam VO cum αGVCm : tunc δ : nunc Γ$^2$ς : quae *edd. a* v territet ωCm : -at Γ$^2$ς 171 cultumque Cm : -sque αΓ$^2$ς : -s VΓ : -m O : uultus G 172 armiferas ωCm : -sonas *edd. a* r1 173 ausoniis F sinuatos αΓ$^2$ς : -as β 182 monere αc : mou- β 183 solus Gδ (*corr. in* Γ) 187 diducunt α *Heinsius* : de- β 188 manum ωCh : -u *edd. a* v liceat *Heinsius* cocatae F (*corr. m.* 2) : coactae *Heinsius*

ancipiti, sed nec segnis potiora capesse.
urbs colitur Teucro quondam fundata uetusto,
nomine Carthago. Tyrius tenet incola muros.
ut Libyae sua, sic terris memorabile Hiberis
haec caput est. non ulla opibus certauerit auri, 195
non portu celsoue situ, non dotibus arui
uberis aut agili fabricanda ad tela uigore.
inuade auersis, nate, hanc ductoribus urbem.
nulla acies famae tantum praedaeue pararit.'
Talia monstrabat genitor propiusque monebat, 200
cum iuuenem sopor et dilapsa reliquit imago.
surgit et infernis habitantia numina lucis
ac supplex patrios compellat nomine manes:
'este duces bello et monstratam ducite ad urbem!
uobis ultor ego et Sarrano murice fulgens 205
inferias mittam fusis insignis Hiberis
et tumulis addam sacros certamine ludos.'
praegreditur celeratque uias et corripit agmen
pernici rapidum cursu camposque fatigat.
sic, ubi prosiluit Pisaeo carcere praeceps, 210
non solum ante alios, sed enim, mirabile dictu,
ante suos it uictor equus, currumque per auras
haud ulli durant uisus aequare uolantem.
Iamque Hyperionia lux septima lampade surgens
sensim attollebat propius subeuntibus arces 215
urbis et admoto crescebant culmina gressu.
at pelago uectus seruata Laelius hora,

193 nomine ωCh : -en ς 195 illa (*sc. Libyca*) *Dausqueius* illi (*pro* auri) *Ker, fort. recte* 198 auersis *edd. a* v : ad- ω 200 propriusque β 202 numina Γ² ς : l- ω 203 nomine *edd. vett.* : nu- ω 208 praegreditur Ch : pro- ω 211 *versum omissum add. m. 2 marg. inter 212 et 213* W, *inde ordo 212. 211. 213 in* ς *et edd. omnibus ad Drakenborchianam (v. Praef. p. XXXIII)* 212 curritque *edd. a* b1 215 propius Lς : proprius Fβ 217 at VP : ac αGδ

quam dederat ductor subigendae ad moenia classi,
a tergo affusis cingebat tecta carinis.
Carthago impenso naturae adiuta fauore 220
excelsos tollit pelago circumflua muros.
artatas ponti fauces modica insula claudit,
qua Titan ortu terras adspergit Eoo.
at qua prospectat Phoebi iuga sera cadentis,
pigram in planitiem stagnantes egerit undas, 225
quas auget ueniens refluusque reciprocat aestus.
sed gelidas a fronte sedet sublimis ad Arctos
urbs imposta iugo pronumque excurrit in aequor
et tuta alterno defendit moenia fluctu.
Audax, ceu plano gradiens uictricia campo 230
ferret signa, iugum certabat scandere miles.
Aris, ductor erat qui contra, amplexus in artis
auxilium atque excelsa loci, praesaepserat arcem.
pugnabat natura soli, paruoque superne
bellantum nisu passim per prona uoluti 235
truncato instabiles fundebant corpore uitam.
uerum ubi concessit pelagi reuolubilis unda
et fluctus rapido fugiebat in aequora lapsu,
quaque modo excelsae sulcarant caerula puppes,
hac impune dabat Nereus transcurrere planta, 240
hinc tacite nitens informidatus adire
ductor Dardanius subitam trahit aequore pubem
perque undas muris pedes aduolat. inde citati

**222** ponti *edd. a* r1 : ponit ω **228** imposita γ (*corr. in* Γ) **229** alterno *Heinsius i. aestu, sed ego de utroque fluctu accipio; cf. Stat. silv. 1, 3, 25 et Vollmer ad l.* : ae- ω : in- *Bothe* **232** *dist. Blomgren* **233** auxilium atque excelsa Cm *Ep. 115* : -umque e. ω : -um excelsamque *edd. a* b1 praesepserat Cm : praeceps- FV : praecess- $F^2$LG : process- δ : protex- $\Gamma^2$ : praecinx- *edd. a* v arcem $\Gamma^2$ς : artem ω **235** nisu LΓς : u- Fβ **241** tacite $\Gamma^2$ς : -i ω : agit et *Summers* nitens *Dausqueius* : nect- ω

a tergo accelerant, qua fisus fluctibus Aris
incustoditam sine milite liquerat urbem. 245
tum prostratus humi, miserandum, uicta catenis
Poenus colla dedit populumque addixit inermem.
hanc oriens uidit Titan, cum surgeret, urbem
uallari castris captamque adspexit eandem
ocius Hesperio quam gurgite tingeret axem. 250
Aurora ingrediens terris exegerat umbras;
principio statuunt aras. cadit ardua taurus
uictima Neptuno pariter pariterque Tonanti.
tum merita aequantur donis, ac praemia uirtus
sanguine parta capit. phaleris hic pectora fulget, 255
hic torque aurato circumdat bellica colla,
ille nitet celsus muralis honore coronae.
Laelius ante omnes, cui dextera clara domusque,
ter dena boue et aequorei certaminis alto
donatur titulo Poenique recentibus armis 260
rectoris. tunc hasta uiris, tunc Martia cuique
uexilla, ut meritum, et praedae libamina dantur.
Postquam perfectae laudes hominumque deumque,
captiuae spectantur opes digestaque praeda:
hoc aurum patribus, bello haec Martique talenta, 265
hoc regum donis, diuum hoc ante omnia templis,
cetera bellantum dextrae pulchroque labori.
quin etiam accitus populi regnator Hiberi,
cui sponsa et sponsae defixus in ossibus ardor.
hanc notam formae concessit laetus ouansque 270
indelibata gaudenti uirgine donum.
tum uacui curis uicino litore mensas

**244** ascendunt *Summers* fisus ωCm : fixus v : uisus b2 (uisis *legit Modius in exemplari suo*) **246** uicta FβCm : uincta LJ *edd. vett.* **253** pariter *om.* δ (*corr. in* Γ) **259** dena ωCh : -o *edd. vett.* **261** hasta $\Gamma^2$ς : -o ω (hausto Γ) tunc m. ωCm *Ep. 115* : et m. *edd. vett.* **262** ut ωCm : et *edd. vett.* **263** perfectae α$\Gamma^2$ς : pro- β **266** regnum VO **270** huic *Dausqueius*

instituunt festoque agitant conuiuia ludo.
Laelius effatur: 'macte, o uenerande, pudici,
ductor, macte animi. cedat tibi gloria lausque 275
magnorum heroum celebrataque carmine uirtus.
mille Mycenaeas qui traxit in aequora proras
rector, et Inachiis qui Thessala miscuit arma,
femineo socium uiolarunt foedus amore,
nullaque tum Phrygio steterunt tentoria campo, 280
captiuis non plena toris; tibi barbara soli
sanctius Iliaca seruata est Phoebade uirgo.'
haec atque his paria alterno sermone serebant,
donec Nox atro circumdata corpus amictu
nigrantes inuexit equos suasitque quietem. 285
Emathio interea tellus Aetola tumultu
feruebat Macetum subitis perculsa carinis.
proximus hinc hosti dextras iungebat Acarnan.
causa noui motus Poenis regique Philippo
in bellum Ausonium sociatae foedere uires. 290
hic gente egregius ueterisque ab origine regni
Aeacidum sceptris proauoque tumebat Achille.
ille et nocturnis conterruit Oricon armis
quaque per Illyricum Taulantius incola litus
exiguos habitat non ullo nomine muros, 295
turbidus incessit telis, ille aequore uectus
nunc et Phaeacum Thesprotiaque arua lacessens
Epirum cassis lustrabat futilis ausis,
nunc et Anactoria signa ostentauit in ora

274 effatur αCh : a- β uenerabile α 277 mycen(a)eas (mi-) δς *ut coni. Ker* : -us ωlb1 *edd. recc., sed v. 8, 620 et Aisch. Ag. 45* 278 arma αGς : arua γ 279 uiolauit Γς : uigilauit O 280 steterunt α *Heinsius* : -ant β 283 serebant *Heinsius* : f- ω : requirunt *edd. a* r1 287 macetum αr2 v *Livineius* : -rum GV : -dum δς 288 hinc FCh : huic Lβ (*om.* O) 289 causa α *Calderinus in* Γ *edd. a* v : laus β : lausque *Odus in* Γς 294 Taulentius Ch

Ambraciosque sinus Olpaeaque litora bello 300
perfudit rapido. pepulit uada feruida remis
Leucatae et Phoebi uidit citus Actia templa.
nec portus Ithacae, Laertia regna, Samenque
liquit inaccessam fluctuque sonantia cano
saxa Cephallenum et scopulosis Neriton aruis. 305
ille etiam Pelopis sedes et Achaica adire
moenia praegaudens tristem Calydona Dianae
Oeneasque domos, Curetica tecta, subibat
promittens contra Hesperiam sua proelia Grais.
tum lustrata Ephyre Patraeque et regia Pleuron 310
Parnasusque biceps Phoeboque loquentia saxa.
ac saepe ad patrios bello reuocante penates,
cum modo Sarmaticus regna infestaret Orestis,
aspera nunc Dolopum uis exundasset in agros,
incepto tamen haud facilis desistere uano 315
belli per Graias umbram circumtulit oras,
donec nunc pelago, nunc terra exutus omisit
spem positam in Tyriis et supplex foedera sanxit
Dardana nec legem regno accepisse refugit.
Tunc et Tyndarei Latias fortuna Tarenti 320
auxit opes laudemque simul. nam perfida tandem
urbs Fabio deuicta seni, postremus in armis
ductoris titulus cauti. sollertia tutum
tum quoque adepta decus captis sine sanguine muris.

300 ambraciosque $\Gamma^2\varsigma$ : ambroc- β (-siosque O) : ambrot- α Olpaeaque *Bauer coll. Thuk. 3, 101 et 105, 1* : pellaeaque ω 301 perfudit α *Livineius* : -und- β 304 inquit F (*corr. m.2*) : linquit L inaccensam Ch cano $\alpha\Gamma^2\varsigma$ : cauo β 306 achaica $F^2$Lr2 : ateiaca F : achaia β 307 praegaudens Ch : gauisus ω 310 tunc GV 311 phoeboque $V^2\Gamma^2\varsigma$ : que *om.* ω 313 Orestis *Blomgren* (regna Orestis *i. Orestidem; cf. Liv. 27, 33, 1* Dardanos in Macedoniam effusos Orestidem iam tenere*; sed pro subst.* Sarmaticus *malim* Sauromates *coll. Ov. trist. 3, 12, 30; Stat. Ach. 2, 133*) : -es ω 321 ausit FVP : hausit $F^2$ 323 ductoris $\Gamma^2\varsigma$ : -es ω 324 tum $\alpha\Gamma^2\varsigma$ : tu β

namque ut compertum, qui Punica signa regebat 325
feminea exuri flamma, tacitusque quietae
exin uirtuti placuit dolus, ire sorori
(nam castris erat in Rutulis) germanus amatae
cogitur et magnis muliebria uincere corda
pollicitis, si reclusas tramittere portas 330
concedat Libycus rector, uotique potitus
euicto Fabius Poeno circumdata telis
incustodita penetrauit moenia nocte.
Sed quisnam auersos Phoebum tunc iungere ab urbe
Romulea dubitaret equos, qui tempore eodem 335
Marcellum acciperet letum oppetiisse sub armis?
moles illa uiri calidoque habitata Gradiuo
pectora et haud ullis umquam tremefacta periclis,
heu quantum Hannibalem clara factura ruina,
procubuere. iacet campis Carthaginis horror 340
forsan Scipiadae confecti nomina belli
rapturus, si quis paulum deus adderet aeuo.
Collis Agenoreum dirimebat ab aggere uallum
Ausonio (Dauni Mauors consederat aruis).
curarum comes et summi Crispinus honoris 345
Marcello socius communia bella ciebat.
ad quem Marcellus: 'gestit lustrare propinquas
mens siluas medioque uiros imponere monti,
ne Libys occultis tumulum prior occupet ausis.
si cordi est, te participem, Crispine, laboris 350
esse uelim. numquam desunt consulta duobus.'
haec ubi sedere, ardentes attollere sese
iam dudum certant in equos. Marcellus, ut arma

325 et Ch 327 sororis Ch 334 auersos ωCm *Ep. 7* : ad- Pb2 336 oppetiisse αΓ$^2$ς : a- β 337 calidoque ωCm : ualidaque *edd. a* r1 : ualidoque p1b1b2 338 ullis αV$^2$ *marg.* Γ$^2$ : *om.* β 339 factura Qr2 *Gronovius* (*qui et* quanta ... clarum) : fra- ω 341 nomina αΓ$^2$ς : -e β 347 propinquas Γ$^2$ς : -us ω 348 que *om.* δ (*corr. in* Γ) ς 352 hoc G : nec VO

aptantem natum adspexit laetumque tumultu,
'uincis' ait 'nostros mirando ardore uigores. 355
sit praematurus felix labor. urbe Sicana
qualem te uidi, nondum permitteret aetas
cum tibi bella, meo tractantem proelia uultu!
huc, decus, huc, nostrum, lateri te iunge paterno
et me disce nouum Martem temptare magistro.' 360
tum pueri colla amplectens sic pauca precatur:
'summe deum, Libyco faxis de praeside nunc his,
his umeris tibi opima feram.' nec plura, sereno
sanguineos fudit cum Iuppiter aethere rores
atque atris arma adspersit non prospera guttis. 365
uixdum finitis intrarant uocibus artas
letiferi collis fauces, cum turba uolucris
inuadunt Nomades iaculis nimboque feruntur
aetherio similes caeca fundente latebra
armatos in bella globos. circumdata postquam 370
nil restare uidet uirtus, quod debeat ultra
iam superis, magnum secum portare sub umbras
nomen mortis auet. tortae nunc eminus hastae
altius insurgit, nunc saeuit comminus ense.
forsan et enasset rapidi freta saeua pericli, 375
ni telum aduersos nati uenisset in artus.
tum patriae tremuere manus, laxataque luctu
fluxerunt rigidis arma infelicia palmis.
obuia nudatum tramittit lancea pectus,
labensque impresso signauit gramina mento. 380
At postquam Tyrius saeua inter proelia ductor
infixum aduerso uidit sub pectore telum,
immane exclamat: 'Latias, Carthago, timere

**361** profatur *edd. ante Heinsium* **362** nunc his Ch : nunchis α : uinclis β : victor *edd. a* v **368** nomades Γ² ς : moniades ω (meni- LO niom- G) **373** auet *Calderinus in* Γ *edd. vett.* : habet ω **375** enasset βCm *Ep. 7* : eu- αr2m *edd. a* v **376** uenisset Cm : eu- ω **381** ac F : ast O

desine iam leges. iacet exitiabile nomen,
Ausonii columen regni. sed dextera nostrae 385
tam similis non obscuras mittatur ad umbras.
magnanima inuidia uirtus caret.' alta sepulcri
protinus exstruitur caeloque educitur ara.
conuectant siluis ingentia robora. credas
Sidonium cecidisse ducem. tum tura dapesque 390
et fasces clipeusque uiri, pompa ultima, fertur.
ipse facem subdens 'laus' inquit 'parta perennis.
Marcellum abstulimus Latio. deponere forsan
gens Italum tandem arma uelit. uos ite superbae
exsequias animae et cinerem donate supremi 395
muneris officio; numquam hoc tibi, Roma, negabo.'
alterius par atque eadem fortuna laborum
consulis: exanimum sonipes ad signa reuexit.
Talia in Ausonia. sed non et talis Hiberis
armorum euentus campis. Carthaginis omnes 400
per subitum raptae pernix uictoria late
terruerat gentes. ducibus spes una salutis,
si socias iungant uires. ingentibus orsum
auspiciis iuuenem, ceu patria gestet in armis
fulmina, sublimi uallatam uertice montis 405
et scopulis urbem, cumulatam strage uirorum
non toto rapuisse die, qua Martius ille
Hannibal in terra consumpto uerterit anno
nec pube aequandam nec opum ubertate Saguntum.

386 obcurus $\Gamma^2$ ς *ut scripsit Bauer, quod vix potest defendi loco 10, 306* 389 conuectant $F^2$ *edd. a* v : conn- ω (coni- G) : connectunt $\Gamma^2$ ς 390 latexque *Gronovius* : tapesque *Köstlin, sed cf. Verg. Aen. 6, 225* 396 *post hunc versum tres fictos ins. Nicander in* j, *del. Carrion Em. I 6 et Modius Ep. 7* 398 exanimem L 399 talis *Damsté* non est t. δς *edd. vett.* 404 patriae ceu $\Gamma^2$ ς *edd. vett.* 406 et scopulis *Heinsius* : ex oculis ω cumulata *Heinsius* 407 quo Ch : quam *edd. a* l : cum *Livineius* 408 interea $\Gamma^2$ *edd. vett.* 409 non p. Ch

Proximus applicito saxosis aggere siluis 410
tendebat fratris spirans ingentia facta
Hasdrubal. hic robur mixtusque rebellibus Afris
Cantaber, hic uolucri Mauro pernicior Astur;
tantaque maiestas terra rectoris Hibera,
Hannibalis quantus Laurenti terror in ora. 415
forte dies priscum Tyriis sollemnis honorem
rettulerat, quo primum orsi Carthaginis altae
fundamenta nouam coepere mapalibus urbem,
et laetus repetens gentis primordia ductor
festa coronatis agitabat gaudia signis 420
pacificans diuos. fraternum laena nitebat
demissa ex umeris donum, quam foederis arti
Trinacrius Libyco rex inter munera pignus
miserat, Aeoliis gestatum insigne tyrannis.
aurata puerum rapiebat ad aethera penna 425
per nubes aquila intexto librata uolatu.
antrum ingens iuxta, quod acus simulauit in ostro,
Cyclopum domus. hic recubans manantia tabo
corpora letifero sorbet Polyphemus hiatu.
circa fracta iacent excussaque morsibus ossa. 430
ipse manu extenta Laertia pocula poscit
permiscetque mero ructatos ore cruores.
Conspicuus Siculi Tyrius subteminis arte
gramineas pacem superum poscebat ad aras.
ecce inter medios hostilia nuntius arma 435
quadrupedante inuectus equo aduentare ferebat.
turbatae mentes, imperfectusque deorum

**411** sperans δς *edd. vett.* **412** hinc *edd. vett.* **413** hinc *edd. vett.* in auro α **415** quantum δ (*corr. in* Γ) **418** coepere $F^2$β (cap- O) : corpore α : saepsere *Heinsius* **420** gaudia ωCm *Ep. 7* : laurea $\Sigma^2$ *edd. a* r1 **421** laena $\Gamma^2$ς : -ua ω **423** trinacrius α$\Gamma^2$O : -clius GVΓ **426** intexto $F^2$β : -sto α librata ωCm : u- *edd. a* r1 **428** recubans α$\Gamma^2$ς : ex- β **430** circia δ (*corr. in* Γ) **433** subteminis F : -tegm- $F^2$Lβ arce LO **437** imperfractusque δ (*corr. in* Γ) ς

cessit honos. ruptis linquunt altaria sacris.
clauduntur uallo, tenuemque ut roscida misit
lucem Aurora polo, rapiunt certamina Martis. 440
audax Scipiadae stridentem Sabbura cornum
excepit, geminaeque acies uelut omine motae.
exclamat Latius ductor: 'prima hostia uobis,
sacrati manes, campo iacet. en age, miles,
in pugnam et caedes, qualis spirantibus ire 445
adsueras ducibus, talis rue.' dumque ea fatur,
incumbunt. Myconum Laenas Cirtamque Latinus
et Thysdrum Maro et incestum Catilina Nealcen
germanae thalamo obtruncat. cadit obuius acri
Cartalo Nasidio, Libycae regnator harenae. 450
te quoque Pyrenes uidit conterrita tellus
permixtum Poenis et uix credenda furentem,
magnum Dardaniae, Laeli, decus, omnia felix
cui natura dedit nullo renuente deorum.
ille foro auditus, cum dulcia soluerat ora, 455
aequabat Pyliae Neleia mella senectae,
ille, ubi suspensi patres et curia uocem
posceret, ut cantu ducebat corda senatus;
idem, cum subitum campo perstrinxerat aures
murmur triste tubae, tanto feruore ruebat 460
in pugnam atque acies, ut natum ad sola liqueret
bella. nihil uitae peragi sine laude placebat.

**438** cesset Ch : -at *Heinsius* **441** sabura Lς **443** prima r1 : -o ω **446** assuetas α **447** l(a)enas F$\Gamma^2$ς : leuas Lβ **448** thysdrum Lr2v : ty- F : thi- Γ : ti- GO : tisebeum V **450** cartalo *edd. a* v : castabo ω nasidio $F^2$Cm *Ep. 7* : uas- αOr2 *edd. a* v : nasc- GV : uasc- Γς **451** pyrenes αCm : ti- β : ci- (cy-) $\Gamma^2$ς *edd. a* r1 **452** furentis Ch **455** foro Qr1 : fero ω cum dulcia $\Gamma^2$ς : dulci cum ω *vix recte def. Lackenbacher Thes. 5, 2195, 68 coll. Stat. silv. 2, 7, 58* dulcibus theatris soluerat ωCh : -et *edd. a* r1 **456** neleia α$\Gamma^2$ς : u- GV : uolcia Γ : uoleya O mella αCm : membra β : uerba $\Gamma^2$ς **458** ut ωCm : et *edd. a* v

tunc et furtiua tractantem proelia luce
deiecit Galam. sacris Carthaginis illum
supposito mater partu subduxerat olim; 465
sed stant nulla diu deceptis gaudia diuis.
tunc Alabim Maurumque Dracen demisit ad umbras,
femineo clamore Dracen extrema rogantem.
huius ceruicem gladio inter uerba precesque
amputat. absciso durabant murmura collo. 470
  At non ductori Libyco par ardor in armis.
frondosi collis latebras ac saxa capessit
auia, nec caedes extremaue damna mouebant
agminis. Italiam profugus spectabat et Alpes,
praemia magna fugae. tacitum dat tessera signum: 475
dimissa in colles pugna siluasque ferantur
dispersi et summam, quicumque euaserit, arcem
Pyrenes culmenque petat. tum primus honore
armorum exuto et parma celatus Hibera
in montes abit atque uolens palantia linquit 480
agmina. desertis Latius uictricia signa
immittit miles castris (non urbe recepta
plus ulla partum praedae) tenuitque moratas
a caede, ut Libycus ductor prouiderat, iras,
fluminei ueluti deprensus gurgitis undis 485
auulsa parte inguinibus causaque pericli
enatat intento praedae fiber auius hoste.
impiger occultis Poenus postquam abditur umbris
saxosae fidens siluae, maiora petuntur
rursus bella retro et superari certior hostis. 490

463 et $\alpha$Ch : e $\beta$ luce $\beta$ : luo F : luci Lr2Ch 467 Maurumque *Summers, cf. 2, 161* : murrum atque $\omega$ dracen $\Gamma^2\varsigma$ : t- $\omega$ (-m F) 468 negantem *Bothe* : morantem *Thilo 1864, sed cf. 1, 632* 470 absciso $\omega$Ch : -sso Q *edd. a* j 477 arcem $\Gamma^2\varsigma$ : artem $\omega$ 479 parma $F^2\beta$ : paruia F : peruia L 480 uolans $\Gamma^2\varsigma$ 482.483 *dist. Ker* 484 accede VO prouiderit Ch 488 abditur EK *Livineius* : add- $\omega$

Pyrenes tumulo clipeum cum carmine figunt:
HASDRVBALIS SPOLIVM GRADIVO SCIPIO VICTOR.
   Terrore interea posito trans ardua montis
Bebrycia populos armabat Poenus in aula
mercandi dextras largus belloque parata 495
prodigere in bellum facilis. praemissa feroces
augebant animos argenti pondera et auri
parta metalliferis longo discrimine terris.
hinc noua complerunt haud tardo milite castra
uenales animae, Rhodani qui gurgite gaudent, 500
quorum serpit Arar per rura pigerrimus undae.
iamque hieme affecta mitescere coeperat annus.
inde iter ingrediens rapidum per Celtica rura
miratur domitas Alpes ac peruia montis
ardua et Herculeae quaerit uestigia plantae 505
germanique uias diuinis comparat ausis.
   Vt uero uentum in culmen castrisque resedit
Hannibalis, 'quos Roma,' inquit 'quos altius, oro,
attollit muros, qui post haec moenia fratri
uicta meo stent incolumes? sit gloria dextrae 510
felix tanta precor, neue usque ad sidera adisse
inuideat laeuus nobis deus.' agmine celso
inde alacer, qua munitum decliuis ab alto
agger monstrat iter, properatis deuolat armis.
non tanto strepuere metu primordia belli. 515
nunc geminum Hannibalem, nunc iactant bina coire
hinc atque hinc castra et pastos per prospera bella
sanguine ductores Italo coniungere Martem
et duplicare acies. uenturum ad moenia cursu
hostem praecipiti et uisurum haerentia porta 520
spicula Elissaeis nuper contorta lacertis.

498 parca α discrimine *i. bello, cf. 17, 389* 500 r(h)odani FΓ²ς : r(h)odan Lβ 501 arar αΓ²ς : -t β 502 amnis FG 508 altius Γ²ς : acius *vel* acuis ω : acrius *Bauer* : hactenus *ego coll. 4, 795; 9, 347* 520 portae *edd. a* v

His super infrendens sic secum Oenotria Tellus:
'tantone (heu superi!) spernor contempta furore
Sidoniae gentis, quae quondam sceptra timentem
nati Saturnum nostris considere in oris 525
et regnare dedi? decima haec iam uertitur aestas,
ex quo proterimur. iuuenis, cui sola supersunt
in superos bella, extremo de litore rapta
intulit arma mihi temeratisque Alpibus ardens
in nostros descendit agros. quot corpora texi 530
caesorum stratis totiens deformis alumnis!
nulla mihi floret bacis felicibus arbor;
immatura seges rapido succiditur ense;
culmina uillarum nostrum delapsa feruntur
in gremium foedantque suis mea regna ruinis. 535
hunc etiam, uastis qui nunc sese intulit oris,
perpetiar miseras quaerentem exurere belli
reliquias? tum me scindat uagus Afer aratro,
et Libys Ausoniis commendet semina sulcis,
ni cuncta, exsultant quae latis agmina campis, 540
uno condiderim tumulo.' dum talia uersat
et thalamos claudit Nox atra deumque hominumque,
tendit Amyclaei praeceps ad castra nepotis.
is tum Lucanis cohibentem finibus arma
Poenum uicini seruabat caespite ualli. 545
hic iuuenem aggreditur Latiae telluris imago:
'Clausorum decus atque erepto maxima Romae
spes Nero Marcello, rumpe atque expelle quietem.

**526** iam *om.* O : iam haec *edd. a* r1 **527** praeterimur δ (*corr. in* Γ) cui sola Γς : sola cui ω **535** terga *Heinsius* **536** hunc $Γ^2$ *Livineius* : n- ω nostris *Owen 1909* uiuit (*pro* nunc) GV (*corr. m.2*) armis *Ruperti coll. Verg. Aen. 10, 768* **538** affer GVP **542** clausit δς hominumque deumque *edd. a* r1 **545** uicino $Γ^2$ς ualli $F^2$ *marg.* Jr2v : ual F : uallis L : -um β **548** nero $Γ^2$ς : u- ω

magnum aliquid tibi, si patriae uis addere fatis,
audendum est, quod depulso quoque moenibus hoste 550
uictores fecisse tremant. fulgentibus armis
Poenus inundauit campos, qua Sena relictum
Gallorum a populis seruat per saecula nomen.
ni propere alipedes rapis ad certamina turmas,
serus deletae post auxiliabere Romae. 555
surge, age, fer gressus. patulos regione Matauri
damnaui tumulis Poenorum atque ossibus agros.'
his dictis abit atque abscedens uisa pauentem
attrahere et fractis turmas propellere portis.
  Rumpit flammato turbatus corde soporem 560
ac supplex geminas tendens ad sidera palmas
Tellurem Noctemque et caelo sparsa precatur
astra ducemque uiae tacito sub lumine Phoeben.
inde legit dignas tanta ad conamina dextras,
quaque iacet superi Larinas accola ponti, 565
qua duri bello gens Marrucina fidemque
exuere indocilis sociis Frentanus in armis,
tum qua uitiferos domitat Praetutia pubes
laeta laboris agros, et penna et fulmine et undis
hibernis et Achaemenio uelocior arcu 570
euolat. hortator sibi quisque 'age, perge, salutem
Ausoniae ancipites superi et, stet Roma cadatne,
in pedibus posuere tuis' clamantque ruuntque.
hortandi genus acer habet praecedere ductor.

549 te addere fastis *Blass* : addere fata *Bauer 1891* : credere fatis *Summers, sed cf. 16, 373 et Verg. georg. 1, 513* : aliquid ἀπὸ κοινοῦ *Lindblom; cf. etiam Watt 1984*   552 sena α$V^2\Gamma^2$ς : seua β   555 delectae F : di- VP   556 matauri LCh *v. 7, 486* : me- Fβ (-us G)   558 abscedens ω (-scond- G de- O) Cm *Ep. 4* : ascendens b2   561 at LV   563 limine F (*corr.*) V   570 ach(a)emenio ωCm : -monio b2   572 ancipitem *Damsté* -ne δς : -ue ω   573 clamantque α *edd. a* v : -ue β   574 hauet *Bauer 1888, sed cf. e.g. Ov. fast. 3, 229 sq.; Pont. 4, 9, 7 sq.*

illum augent cursus annisi aequare sequendo 575
atque indefessi noctemque diemque feruntur.
  At Roma aduersi tantum et mala gliscere belli
accipiens trepidare metu nimiumque Neronem
sperauisse queri atque uno sibi uulnere posse
auferri restantem animam. non arma nec aurum 580
nec pubem nec, quem fundat, superesse cruorem.
scilicet Hasdrubalem inuadat, qui ad proelia soli
Hannibali satis esse nequit? iam rursus, ubi arma
auertisse suo cognorit deuia uallo,
haesurum portis Poenum. uenisse, superbo 585
qui fratri certet, cui maxima gloria cedat
urbis deletae. fremit amens corde sub imo
ordo patrum ac magno interea meditatur amore
seruandi decoris, quonam se fine minanti
seruitio eripiat diuosque euadat iniquos. 590
hos inter gemitus obscuro noctis opacae
succedit castris Nero, quae coniuncta feroci
Liuius Hasdrubali uallo custode tenebat.
belliger is quondam scitusque accendere Martem
floruerat primo clarus pugnator in aeuo. 595
mox falso laesus non aequi crimine uulgi
secretis ruris tristes absconderat annos.
sed postquam grauior moles terrorque periclo

575 illi *Damsté* ardent *vel* urgent *Heinsius, sed cf. Ov. Pont. 4, 15, 28; Fest. p. 313* gradum augere 577 at $\Gamma^2$ς : atque ω tantum et mala ω *recte, v. Blomgren* : t. m. $\Gamma^2$ς *edd.* 581 nec quem $\Gamma^2$ς : ne quem *vel* nequem ω fundat α : -ant β 582 inuadat ωCm *Ep. 4* : -ant $\Gamma^2$ς qui Cm : *om.* ω 584 cognouit δς 586 cedat *edd. a* r1 : -et ω 587 imo α$\Gamma^2$ςCm : uno β *edd. a* v 589 quonam ωCm : quondam b2 fine *i. 'modo vel consilio' Ruperti, sed exempla deesse videntur; fort. Silio obversatus est locus Val. Fl. 1, 768* praeueniat quo fine minas, *ubi tamen verbo* fine *ad mortem voluntariam alluditur* 592 uero F (*corr. marg.*) O 594 belliger is ω (his FO) Cm : belligeris b2 597 secretis ruris ωCm : -os -i $\Gamma^2$ : -us -i ς *edd. vett.*

poscebat propiore uirum, reuocatus ad arma
tot caesis ducibus patriae donauerat iram. 600
  At non Hasdrubalem fraudes latuere recentum
armorum, quamquam tenebris nox texerat astus.
pulueris in clipeis uestigia uisa mouebant
et, properi signum accursus, sonipesque uirique
substricti corpus. bis clarum, bucina, signum 605
praeterea gemino prodebat iuncta magistro
castra regi. uerum fratri si uita supersit,
qui tandem licitum socias coniungere uires
consulibus? sed enim solum, dum uera patescant,
cunctandi restare dolum Martemque trahendi. 610
nec consulta fugae segni formidine differt.
  Nox, somni genetrix, mortalia pectora curis
purgarat, tenebraeque horrenda silentia alebant.
erepit suspensa ferens uestigia castris
et muta elabi tacito iubet agmina passu. 615
illunem nacti per rura tacentia noctem
accelerant uitantque sonos; sed percita falli
sub tanto motu Tellus nequit. implicat actas
caeco errore uias umbrisque fauentibus arto
circumagit spatio sua per uestigia ductos. 620
nam qua curuatas sinuosis flexibus amnis
obliquat ripas refluoque per aspera lapsu
in sese redit, hac casso ducente labore

600 donauerat αCm : deuo- β 601 ac α 603 mouebant ωCm *Ep. 4, cf. Liv. 27, 47, 5* : -n- $\Gamma^2$ς 604 properi A *et* C *teste Dausqueio* : -e ω adcursus LV : ad cursus FGδ 605 *sic distinxi* stricti c. b. c. quoque b.s. Ch (*vix credibile*) cantans (*pro* clarum) *Thilo 1864* claro ... signo *Blass* 606 prodebat *Thilo 1864* : -ant ω 609 patescant Lr2Ch : -unt Fβ 614 erepit Fr2Ch : eripit Lδ : eripuit GV : erupit $\Gamma^2$ς 615 muta *edd. a* r1 : multa ω 616 illunem pl *Livineius* : in lumen ω : illumen *edd. a* v 617 uitantque sonos $F^2$ (*sed s.l. etiam* socios) Cm *Ep. 4* : uitant sonos F : u. socios Lβ 619 fauentibus *Thilo 1864* : fer- ω : teg- *Blass* 621 sinuosis ωCh : -atis *edd. a* r1 623 ac Fr2v

exiguum inuoluunt frustratis gressibus orbem,
inque errore uiae tenebrarum munus ademptum. 625
 Lux surgit panditque fugam. ruit acer apertis
turbo equitum portis, atque omnes ferrea late
tempestas operit campos. nondum arma manusque
permixtae, iam tela bibunt praemissa cruorem.
hinc iussae Poenum fugientem sistere pennae 630
Dictaeae uolitant, hinc lancea turbine nigro
fert letum cuicumque uiro, quem prenderit ictus.
deponunt abitus curam trepidique coactas
constituunt acies et spes ad proelia uertunt.
 Ipse inter medios (nam rerum dura uidebat) 635
Sidonius ductor tergo sublimis ab alto
quadrupedantis equi tendens uocemque manusque:
'per decora extremo uobis quaesita sub axe,
per fratris laudes oro, uenisse probemus
germanum Hannibalis. Latio Fortuna laborat 640
aduersis documenta dare atque ostendere, quantus
uerterit in Rutulos domitor telluris Hiberae
suetus ad Herculeas miles bellare columnas.
forsitan et pugnas ueniat germanus in ipsas.
digna uiro, digna, obtestor, spectacula pleno 645
corporibus properate solo. quicumque timeri
dux bello poterat, fratri iacet. unica nunc spes,
e poena ac latebris infracto Liuius aeuo,
damnatum, offertur uobis, caput. ite agite, oro,

**626** surgit *Bothe* : urguet αG : urget V$\Gamma^2$ : urgeret δ acer αr1 : ater β **629** praemissa ωCm *Ep. 4* : per- *edd. vett.* **632** prenderit LJCm : -dit F : -didit β **633** abitus FGV *edd. a* r1 : hab- LO : ob- Γς **634** constituunt ωCm : -sistunt *edd. a* r1 **641** aduersi LJ **644** ueniat αOr2Ch : -et GVΓ **648** e ω : et $\Gamma^2$ςCm *Ep. 10* poena ac *Summers coll. 17, 108* : poeneae F : pene Lβ (-o O) : poena Cm : p(o)en(a)e e $\Gamma^2$ς *edd. vett.* : poena et *Modius* latebris F$\Gamma^2$ς : lateribus $F^2$Lβ **649** caput $\Gamma^2$ς : *om.* ω agite et oro δ

sternite ductorem, cum quo concurrere fratri 650
sit pudor, et turpi finem donate senectae.'
At contra Nero: 'quid cessas clusisse labores
ingentis belli? pedibus tibi gloria, miles,
parta ingens. nunc accumula coepta ardua dextra.
heu temere abducto liquisti robore castra, 655
ni factum absoluit uictoria. praecipe laudem.
aduentu cecidisse tuo memorabitur hostis.'
Parte alia insignis nudatis casside canis
Liuius: 'huc, iuuenes, huc me spectate ruentem
in pugnas, quantumque meus patefecerit ensis, 660
tantum intrate loci et tandem praecludite ferro
iam nimium patulas Poenis grassantibus Alpes.
quod ni ueloci prosternimus agmina Marte
et fulmen subitum Carthaginis Hannibal adsit,
qui deus infernis quemquam nostrum eximat umbris?' 665
hinc galea capite accepta dicta horrida ferro
sancit et obtectus senium fera proelia miscet.
illum per cuneos et per densissima campi
corpora tot dantem leto, quot spicula torsit,
turbati fugere Macae, fugere feroces 670
Autololes Rhodanique comas intonsa iuuentus.
Fatidicis Nabis ueniens Hammonis harenis
improba miscebat securus proelia fati
ceu tutante deo ac patriis spolia Itala templis
fixurum uano tumidus promiserat ore. 675

**651** turpi *Calderinus in* Γ, *Modius* : -is ω *def. Blomgren* **652** nero α$G^2$V$Γ^2$ : u- Gδ clusisse ω (du- G) Cm *Ep. 10* : dux- $G^2$ς : claus- *edd. a* l **655** abducto F *edd. a* r1 : -a L : ad(d)ucte β : adducto $Γ^2$ς liquisti αCm : rupisti β (c- G) **656** praeripe $Γ^2$ *edd. a* r1 **659** spectate α$Γ^2$ς : -re β **660** patefecerit $Γ^2$ς : prae- ω (-at G) **661** tandem α r2 *edd. a* v : -tum β **662** p(o)enis α$Γ^2$ς : -us β **665** quis *edd. vett.* infernus δ (*corr. in* Γ) **666** hinc FGVΓ : in L : hic O **671** autololes α$Γ^2$ς : ant(h)- β **674** itala templis ωCm : improba terris *edd. a* r1

ardebat gemma Garamantide caerula uestis,
ut cum sparsa micant stellarum lumina caelo,
et gemmis galeam clipeumque accenderat auro.
casside cornigera dependens infula sacros
prae se terrores diuumque ferebat honorem. 680
arcus erat pharetraeque uiro atque incocta cerastis
spicula et armatus peragebat bella ueneno.
necnon cornipedis tergo de more repostus
sustentata genu per campum pondera conti
Sarmatici prona aduersos urgebat in hostes. 685
tum quoque transfixum telo per membra, per arma
consulis ante oculos magno clamore Sabellum
asportabat ouans et ouans Hammona canebat.
non tulit hanc iram tantosque in corde tumores
barbarico senior telumque intorsit et una 690
praedam animamque simul uictori uictor ademit.
Adsilit audito tristis clamore ruinae
Hasdrubal et coeptantem Arabum raptare perempto
gemmiferi spolium cultus auroque rigentes
exuuias iaculum a tergo perlibrat ad ossa. 695
iam correpta miser geminis uelamina palmis
carpebat propere et trepidos nudauerat artus:
concidit ac sacras uestes atque aurea fila
reddidit exanimo spoliatum lapsus in hostem.

676 gemina FΓ (*corr.*) Prlmp 678 geminis Fδ (*corr. in* Γ) rlm 679 insula FO 680 diuique *Lefebvre* 684 sustentata GVΓ² : su(b)stenta αδ 686 tum quoque Cm *Ep. 10* : tantum quoque α : tantum β : -o Γ²ς 689 in *om.* δ (*corr. in* Γ) 692 adsilit ωCm : adsistit δ : adstitit Γ²ς 693 coeptanti Arabo *Ruperti, fort. recte* (*acc. def. Lindblom*) atabum *edd. a* v *et certe nomen Arabi mirum in milite exercitus Romani; fort. scribendum* Abarim *coll. Verg. Aen. 9, 344* 696 gēmis F uelamina LΓ²Or2 : uel anima FGV : uel ānua Γ : uel inania *Odus in* Γς 697 tepidos *edd. a* v 698 et δς

at Canthus Rutilum, Canthus possessor harenae, 700
qua celebre inuicti nomen posuere Philaeni,
ditem ouium Rutilum obtruncat, cui mille sub altis
lanigerae balant stabulis. ipse otia molli
exercens cura gelido nunc flumine soles
frangebat nimios pecori, nunc laetus in herba 705
tondebat niueae splendentia uellera lanae
aut, pecus e pastu cum sese ad tecta referret,
noscentes matres spectabat ouilibus agnos.
occubuit clipei transfixo proditus aere
et sero ingemuit stabulis exisse paternis. 710
Acrius hoc Italum pubes incurrit et urget,
ut torrens, ut tempestas, ut flamma corusci
fulminis, ut Borean pontus fugit, ut caua currunt
nubila, cum pelago caelum permiscuit Eurus.
procerae stabant, Celtarum signa, cohortes, 715
prima acies. hos impulsu cuneoque feroci
laxat uis subita, et fessos errore uiarum
nec soli faciles longique laboris anhelos
auertit patrius genti pauor. addere tergo
hastas Ausonius teloque instare sequaci 720
nec donare fugam. cadit uno uulnere Thyrmis,
non uno Rhodanus, profligatumque sagittae
lancea deturbat Morinum et iam iamque cadentem.
cedentes urget totas largitus habenas

700 rutulum δς libycae late (*pro* rutilum canthus) *edd. a* j 700–702 *sic* αGV²Γ²r2pl : *verba* Canthus p.h. – Rutilum *om.* γ 702 pascentem (*pro* ditem) G ouium αGr2Cm : obium *edd. a* j 705 umbra *edd. a* r1 707 a L 708 poscentes *et* matrem *Heinsius* 710 exisse *edd. a* r1 : exire ω parentis Ch 713 Borea p. furit *Heinsius, sed cf. Stat. Theb. 9, 93 sq.* 717 uis ωCh : ui Γ²ς 719 gentem Γ²ς *edd. vett.* 721 thyrmis FCh : thyruns L : thirus β 722 sagitta *Lefebvre, edd. recc., sed recte dat. auctoris agnovit Schuster 1927; ceterum* profligatum *i. iam paene confectum, cf. e.g. Liv. 21, 40, 1* 724 cedentemque Γ²ς *edd. vett.*

Liuius acer equo et turmis abeuntibus infert 725
cornipedem. tunc auersi surgentia colla
disicit ense Mosae. percussit pondere terram
cum galea ex alto lapsum caput; at residentem
turbatus rapuit sonipes in proelia truncum.
hic Cato (nam medio uibrabat et ipse tumultu) 730
'si, primas' inquit 'bello cum amisimus Alpes,
hic iuueni oppositus Tyrio foret! ei mihi quanta
cessauit Latio dextra, et quot funera Poenis
donarunt praui suffragia tristia campi!'
Iamque inclinabant acies, cunctisque pauorem 735
Gallorum induerat pauor, et Fortuna ruebat
Sidonia: ad Rutulos Victoria uerterat alas.
celsus ceu prima reflorescente iuuenta
ibat consul ouans, maior maiorque uideri.
ecce trahens secum canentem puluere turmam 740
ductor Agenoreus subit intorquensque lacertis
tela sonat: 'cohibete fugam. cui cedimus hosti?
nonne pudet? conuersa senex marcentibus annis
agmina agit. nunc, quaeso, mihi nunc dextera in armis
degenerat, nostrique piget? mihi Belus auorum 745
principium, mihi cognatum Sidonia Dido
nomen et ante omnes bello numerandus Hamilcar
est genitor, mihi, cui cedunt montesque lacusque
et campi atque amnes, frater. me magna secundum
Carthago putat Hannibali, me Baetis in oris 750
aequant germano passae mea proelia gentes.'

726 surgentia *Watt 1985* : t- ω  727 disicit *Heinsius, cf. Verg. Aen. 12, 308 et Sidon. carm. 5, 416 sqq.* : destitit ω : discidit $\Gamma^2$ς : diripit *edd. a* j : demetit *Blass*  728 at αCh : ac β  730 uibrabat *edd. a* r1 : -rat- ω  732.733 *sic* αr2 *edd. a* v : *verba* ei – dextra *om.* β  737 uerterat $\Gamma^2$ς : -et ω  743 armis *edd. a* r1  744 num ... num $\Gamma^2$ς *Heinsius*  747 numerandus αGV : nūandus Γ : mirandus O : (belli) memorandus *Heinsius, sed cf. e.g. Verg. georg. 4, 209*  748 et (*pro* est) FO  751 aequat Ch

talia dum memorat medios ablatus in hostes,
ut noua conspecti fulserunt consulis arma,
hastam praepropero nisu iacit. illa per oras
aerati clipei et loricae tegmina summo 755
incidit haud felix umero parceque petitum
perstrinxit corpus nec multo tincta cruore,
uana sed optanti promisit gaudia Poeno.
 Turbati Rutuli, confusaque pectora uisu
terrifico. tunc increpitans conamina consul: 760
'femineis laesum uana inter proelia corpus
unguibus aut palmis credas puerilibus ictum.
ite, docete, uiri, Romanae uulnera suerint
quanta afferre manus.' tum uero effunditur ingens
telorum uis, et densa sol uincitur umbra. 765
iamque per extentos alterna strage uirorum
corpora fusa iacent campos demersaque in undam
iunxerunt cumulo crescente cadauera ripas,
ut, cum uenatu saltus exercet opacos
Dictynna et laetae praebet spectacula matri 770
aut Pindi nemora excutiens aut Maenala lustrans
(omnis Naiadum plenis comitata pharetris
turba ruit, striduntque sagittiferi coryti),
tum per saxa ferae perque ipsa cubilia fusae,

**752** ablatis α **754** nisu $F^2$Γς : u- ω (-a V) **755** tegmine δς *edd. vett.* **761** proelia *Ruperti coll. Hor. carm. 1, 6, 17* : cornua ω *per anticipationem verbi sequentis; perperam def. Bauer, alii* : iurgia *Livineius* : crimina *Dausqueius* **763** docete $Γ^2$ς : -re ω **767** demersaque αGVCm *Ep. 10* : diuersam O (m *del.*) : diuersa Γ : -aque $Γ^2$ς **769** uenata δ (*corr. in* Γ) **770** dictynna $F^2$$Γ^2$ : -ymia α : -rima β (doctrina O) **771** Cynthi *Schrader, Bauer, sed cf. Claud. 24, 302 sq.* Dalmatiae lucos abruptaque bracchia Pindi / sparsa comam Britomartis agit **773** ruunt Cc *Em. 1, 6* (*sed* ruit Cm *Ep. 10*) striduntque sagittiferi α$G^2$$V^2$$Γ^2$CcCm (*demptis versibus in* j *a Nicandro interpolatis*) : strident -i β : s. -ique *edd. vett.* goritique $V^2$ **774** et per ipsa δ (*corr. in* Γ)

per ualles fluuiosque atque antra uirentia musco 775
multa strage iacent; exsultat uertice montis
gratam perlustrans oculis Latonia praedam.
Audito ante alios senioris uulnere rumpit
per medios Nero saeuus iter uisaque uirorum
aequali pugna 'quid enim, quid deinde relictum est 780
Italiae fatis? hunc si non uincitis hostem,
Hannibalem uincetis?' ait. ruit ocius amens
in medios, Tyriumque ducem inter prima frementem
agmina ut adspexit, rabidi ceu belua ponti
per longum sterili ad pastus iactata profundo, 785
cum procul in fluctu piscem male saucia uidit,
aestuat et lustrans nantem sub gurgite praedam
absorbet late permixtum piscibus aequor,
non telo mora, non dictis. 'haud amplius' inquit
'elabere mihi. non hic nemora auia fallent 790
Pyrenes, nec promissis frustrabere uanis,
ut quondam terra fallax deprensus Hibera
euasti nostram mentito foedere dextram.'
Haec Nero et intorquet iaculum, nec futilis ictus.
nam latere extremo cuspis librata resedit. 795
inuadit stricto super haec interritus ense
collapsique premens umbone trementia membra
'si qua sub extremo casu mandata referri
germano uis forte tuo, portabimus' inquit.
contra Sidonius: 'leto non terreor ullo. 800
utere Marte tuo, dum nostris manibus adsit
actutum uindex. mea si suprema referre
fratri uerba paras, mando Capitolia uictor

775 fluuiosque $V^2\Gamma^2\varsigma$ : p- ω antra $\Gamma^2\varsigma$ : atra ω 777 gratam perlustrans αr2CcCm : et latam p. β : et l. lustrans $\Gamma^2\varsigma$ : tunc l. l. *edd. a* j 784 rapidi ς 785 sterili pastus sectata *Blass* 788 late $V^2Q^2$r1 : l(a)et(a)e ω 792 deprensus $\alpha\Gamma^2\varsigma$ : -ssus β 793 enasti $F^2$ : eu- et ς 794 uero F (*corr. m.* 2) r2 795 librata αCh : u- β 802 actutum $L\Gamma^2$r1 : ac tutum F : ac -s β

exurat cinerique Iouis permisceat ossa
et cineres nostros.' cupientem annectere plura 805
feruentemque ira mortis transuerberat ense
et rapit infidum uictor caput. agmina fuso
sternuntur duce non ultra fidentia Marti.
  Iamque diem solisque uices nox abstulit atra,
cum uires parco uictu somnoque reducunt, 810
ac nondum remeante die uictricia signa,
qua uentum, referunt clausis formidine castris.
tum Nero procera sublimia cuspide portans
ora ducis caesi 'Cannas pensauimus,' inquit
'Hannibal, et Trebiam et Thrasymenni litora tecum 815
fraterno capite. i, duplica nunc perfida bella
et geminas accerse acies. haec praemia restant,
qui tua tramissis optarint Alpibus arma.'
compressit lacrimas Poenus minuitque ferendo
constanter mala et inferias in tempore dignas 820
missurum fratri clauso commurmurat ore.
tum castris procul amotis aduersa quiete
dissimulans dubia exclusit certamina Martis.

805 et $\Gamma^2$ς : ut ω   806 martis ς   809 uices $\Gamma^2$ς : uias ω *edd. recc.*   813 nero F$\Gamma^2$ς : u- Lβ

# SILI ITALICI
## PVNICORVM
### LIBER SEXTVS DECIMVS

Bruttia maerentem casus patriaeque suosque
Hannibalem accepit tellus. hic aggere saeptus
in tempus posita ad renouandum bella coquebat,
abditus ut silua, stabulis cum cessit ademptis,
amisso taurus regno gregis auia clauso 5
molitur saltu certamina iamque feroci
mugitu nemora exterret perque ardua cursu
saxa ruit, sternit siluas rupesque lacessit
irato rabidus cornu; tremit omnis ab alto
prospectans scopulo pastor noua bella parantem. 10
sed uigor hausurus Latium, si cetera Marti
adiumenta forent, praua obtrectante suorum
inuidia reuocare animos ac stare negata
cogebatur ope et senio torpescere rerum.
parta tamen formido manu et tot caedibus olim 15
quaesitus terror uelut inuiolabile telis
seruabant sacrumque caput, proque omnibus armis
et castrorum opibus dextrisque recentibus unum
Hannibalis sat nomen erat. tot dissona lingua
agmina, barbarico tot discordantia ritu 20

**1** bruttia β (-cc- O) : bructia α : brutia $\Gamma^2$ς **4** cessit ω : -et *edd. pleraeque a* b1 **9** rabidus αmCh : rap- β **11** martis *edd. a* r1 **13** ac stare *Livineius et Ruperti, cf. 12, 105* : agitare ω **18** olim (*pro* unum) Γς (*e versu 15*) **19** linguis *Ruperti, fort. recte, cf. 3, 221; Verg. Aen. 8, 723*

corda uirum mansere gradu, rebusque retusis
fidas ductoris tenuit reuerentia mentes.
  Nec uero Ausonia tantum se laetus agebat
Dardanidis Mauors. nam terra cedit Hibera
auriferis tandem Phoenix depulsus ab aruis. 25
iam Mago exutus castris agitante pauore
in Libyam propero tramisit caerula uelo.
ecce aliud decus haud uno contenta fauore
nutribat Fortuna duci. nam concitus Hannon
aduentabat agens crepitantibus agmina caetris 30
barbara et indigenas serus raptabat Hiberos.
non ars aut astus belli uel dextera derat,
si non Scipiadae concurreret. omnia ductor
magna adeo Ausonius maiori mole premebat,
ut Phoebe stellas, ut fratris lumina Phoeben 35
exsuperant montesque Atlas et flumina Nilus,
ut pater Oceanus Neptunia caerula uincit.
uallantem castra (obscuro nam uesper Olympo
fundere non aequam trepidanti coeperat umbram)
aggreditur Latius rector subitoque tumultu 40
caeduntur passim coepti munimina ualli
imperfecta super. contexere herbida lapsos
pondera, et in tumuli concessit caespes honorem.
  Vix uni mens digna uiro, nouisse minores
quam deceat pretiumque operis sit tradere famae. 45

21 retusis αr2 *edd. a* l : retr- GVO : retensis Γ : -tis $Γ^2$ς 24 nam *scripsi* : iam ω 26 mago αGrl : magno γ 28 uno $W^2Σ^2Ψ^2$Ch (*sc. abitu Magonis*) : *om.* ω : paruo $F^2Γ^2$ς : primo F *m. 2 marg.* r2 *edd. a* v : tanto $G^2$PJ 30 crepitantibus ωCm *Ep. 19* : trepid- Γς : crepid- Ch 31 raptabat αr2v : c- β 33 omnia ω (omina V) Cm : agmina *edd. a* r1 35 fratris $Γ^2$ς : -i ω 36 et TCh : ut ω 38 iam *edd. a* r1 39 trepidanti α$Γ^2$ς : crepit- β umbram $Γ^2$ς : -a ω 42 *dist. Summers, caeduntur qui super m. v. erant, v. Blomgren 57* : super contexere ω : supercontexere *Drakenborch, Bauer* 44 uix α$Γ^2$ς : uis β 45 operae *edd. a* j, *fort. recte, nam 'operis pretium est' caret exemplo*

Cantaber ingenio membrorum et mole timeri
uel nudus telis poterat Larus. hic fera gentis
more securigera miscebat proelia dextra.
et quamquam fundi se circum pulsa uideret
agmina, deleta gentilis pube cateruae 50
caesorum implebat solus loca; seu foret hostis
comminus, expleri gaudebat uulnere frontis
aduersae, seu laeua acies in bella uocaret,
obliquo telum reflexum Marte rotabat;
at cum pone ferox auersi in terga ueniret 55
uictor, nil trepidans retro iactare bipennem
callebat, nulla belli non parte timendus.
huic ducis inuicti germanus turbine uasto
Scipio contorquens hastam cudone comantes
disiecit crines. namque altius acta cucurrit 60
cuspis et elata procul est eiecta securi.
at iuuenis, cui telum ingens accesserat ira,
barbaricam adsiliens magno clamore bipennem
incutit. intremuere acies, sonuitque per auras
pondere belligero pulsati tegminis umbo, 65
haud impune quidem; remeans nam dextera ab ictu
decisa est gladio ac dilecto immortua telo.
qui postquam murus miseris ruit, agmina concors
auertit fuga confestim dispersa per agros.
nec pugnae species, sed poenae tristis imago 70
illa erat hinc tantum caedentum atque inde ruentum.
per medios Hannon palmas post terga reuinctus
ecce trahebatur lucemque (heu dulcia caeli
lumina!) – captiuus lucem inter uincla petebat.
cui rector Latius: ‘tanta, en, qui regna reposcant, 75

**49** se αGV$\Gamma^2$ : sese δς **54** refluxum Ch : -exus *Lefebvre* **55** pone ωCm *Ep. 19* : ponte b2 **58** huic α *edd. vett.* : hinc β **71** caedentum $\Gamma^2$Ch : ced- ω (cad- O) **75** ceu (*pro* cui) δ : tum $\Gamma^2$ς en $F^2$β : heu α

quis cedat toga et armiferi gens sacra Quirini!
seruitio si tam faciles, cur bella refertis?'
  Haec inter celerare gradum, coniungat ut arma,
Hasdrubalem ignarum cladis praenuntius affert
explorator eques. raptat dux obuia signa 80
ac postquam optatam laetus contingere pugnam
uidit et ad letum magno uenientia cursu
agmina, suspiciens caelum 'nil amplius' inquit
'uos hodie posco, superi. protraxtis ad arma
quod profugos, satis est. in dextra cetera nobis. 85
uota, uiri, rapite, ite, precor. uocat ecce furentes
hinc pater, hinc patruus. gemina o mihi numina belli,
ducite, adeste, sequor. dignas spectabitis, aut me
praescia mens fallit, uestro iam nomine caedes.
nam quis erit tandem campis telluris Hiberae 90
bellandi modus? en umquam lucebit in orbe
ille dies, quo te armorum, Carthago, meorum
adspiciam sonitus admotaque bella trementem?'
  Dixerat, et raucus stridenti murmure clangor
increpuit. tonuere feris clamoribus astra. 95
concurrunt, quantumque rapit uiolentia ponti,
et Notus et Boreas et inexorabilis Auster
cum mergunt plenas tumefacta sub aequora classes,
aut cum letiferos accendens Sirius ignes
torret anhelantem saeuis ardoribus orbem, 100
tantum acies hominumque ferox discordia ferro
demetit. haud ullus terrarum aequarit hiatus
pugnarum damna, aut strages per inhospita lustra
umquam tot dederit rabies horrenda ferarum.
iam campi uallesque madent, hebetataque tela. 105
et Libys occubuere et amantes Martis Hiberi.

**81** ac αVCh : at Gδ  **83** nil ω : nihil ς *edd. vett.*  **84** protraxtis Ch : -ctis ω : -ctus Γ[2] ς  **85** profugos ωCh : -us Γ[2] ς  *post* nobis *dist. Damsté, v. Håkanson 35*

stat tamen una loco perfossis debilis armis
luctaturque acies, qua concutit Hasdrubal hastam.
nec finem daret ille dies animosaque uirtus,
ni perlapsa uiro loricae tegmine harundo 110
et parco summum uiolasset uulnere corpus
suasissetque fugam. rapido certamina linquit
in latebras auectus equo noctisque per umbram
ad Tartessiacos tendit per litora portus.
Proximus in pugna ductori Marte manuque 115
regnator Nomadum fuerat, mox foedere longo
cultuque Aeneadum nomen Masinissa superbum.
huic fesso, quos dura fuga et nox suaserat atra,
carpenti somnos subitus rutilante coruscum
uertice fulsit apex, crispamque inuoluere uisa est 120
mitis flamma comam atque hirta se spargere fronte.
concurrunt famuli et serpentes tempora circum
festinant gelidis restinguere fontibus ignes.
at grandaeua deum praenoscens omina mater
'sic, sic, caelicolae, portentaque uestra secundi 125
condite' ait. 'duret capiti per saecula lumen.
ne uero, ne, nate, deum tam laeta pauesce
prodigia aut sacras metue inter tempora flammas.
hic tibi Dardaniae promittit foedera gentis,
hic tibi regna dabit regnis maiora paternis 130
ignis et adiunget Latiis tua nomina fatis.'
sic uates, iuuenisque animum tam clara mouebant

109 ille ς : -a ω 110 uiro ωCh : foret *edd. a* r1 tegmina *Livineius* : -en *Dausqueius, Summers, sed cf. Liv. 28, 11, 2* 111 parto δ (*corr. in* Γ) 113 auectus *Heinsius* : e- ω 117 masinissa $F^2GV\Gamma^2$ : mass- αδ 118 huic $\alpha\Gamma^2$ς : hinc β 122 pectora ς *edd. vett.* 123 restinguere $\alpha G\Gamma^2$ς : restringere γ 124 at $F^2G\Gamma^2$ς : ac αγ omina $\Gamma^2$ς : omnia ω 125 sic sit *edd. a* r1 126 condite *obscurum*, soluite *ego coll. Petron. 121 v. 141* haec ostenta breui soluit deus *i. promissa exsecutus est* duret $\Gamma^2$ς : dure ω 127 tam αGV : tum δ : tu ς *edd. vett.* 131 latus α fatis ω *cf. 15, 549* : fastis Cm *Ep. 74*

monstra nec a Poenis ulli uirtutis honores,
Hannibal ipse etiam iam iamque modestior armis.
  Aurora obscuri tergebat nubila caeli 135
uixque Atlantiadum rubefecerat ora sororum.
tendit in Ausonios et adhuc hostilia castra.
atque ubi se uallo intulerat ductorque benigno
accepit Latius uultu, rex talibus infit:
'caelestum monita et sacrae responsa parentis 140
disque tua, o Rutulum rector, gratissima uirtus
auulsum Tyriis huc me duxere uolentem.
si tibi non segnes tua contra fulmina saepe
uisi stare sumus, dignam te, nate Tonantis,
afferimus dextram. nec nos aut uana subegit 145
incertae mentis leuitas et mobile pectus,
aut spes et laeti sectamur praemia Martis.
perfidiam fugio et periuram ab origine gentem.
tu, quando Herculeis finisti proelia metis,
nunc ipsam belli nobiscum inuade parentem. 150
ille tibi, qui iam gemino Laurentia lustro
possedit regna et scalas ad moenia Romae
admouet, in Libyam flammis ferroque trahendus.'
  Sic Nomadum ductor. tunc dextra Scipio dextram
amplexus: 'si pulchra tibi Mauorte uidetur, 155
pulchrior est gens nostra fide. dimitte bilingues
ex animo socios. magna hinc te praemia clarae
uirtutis, Masinissa, manent, citiusque uel armis
quam gratae studio uincetur Scipio mentis.
cetera quae Libyam portari incendia suades, 160

**134** annis *Bentley, cf. Lucan. 8, 476* **136** sororum ωCm : suorum b2 **145** nos $F^2$LG$\Gamma^2$O : uos FV$\Gamma$ **149** tu Ch : et ω **151** qui tergemino *Dausqueius, sed cf. 215* **157** exanimo F : exammo $\Gamma$ : examino O hinc $F^2$Lδ : huic FGV : hic r2 clarae *edd. a* r1 : clare $F^2$Gδ : dare αV **158** masinissa FGV$\Gamma^2$ : mass- Lδ **159** gratae ωCm *Ep. 19* : stratae *edd. a* v **160** quod *Blass* in Libyam b1 portare *edd. a* r1

expediet tempus. nec enim sunt talia rerum
non meditata mihi, et mentem Carthago fatigat.'
hinc iuueni dona insignem uelamine picto
dat chlamydem stratumque ostro, quem ceperat ipse
deiecto uictor Magone animique probarat, 165
cornipedem, tum, qua diuum libabat ad aras
Hasdrubal, ex auro pateram galeamque comantem.
exin firmato sociali foedere regis
uertendas agitat iam nunc Carthaginis arces.
  Massylis regnator erat ditissimus oris 170
nec nudus uirtute Syphax; quo iura petebant
innumerae gentes extremaque litore Tethys.
multa uiro terra ac sonipes et belua, terror
bellorum, nec non Marti delecta iuuentus.
nec foret, aut ebore aut solido qui uinceret auro 175
Gaetulisue magis fucaret uellus aenis.
has adiungere opes auidus reputansque laborem,
si uertat rex ad Poenos, dare uela per altum
imperat atque animo iam tum Africa bella capessit.
uerum ubi peruentum et portus tenuere carinae, 180
iam trepida fugiens per proxima litora puppe
Hasdrubal afflictis aderat noua foedera quaerens
rebus et ad Tyrios Massylia signa trahebat.
  Audito pariter populorum in regna duorum
aduenisse duces, qui tota mole laborent 185
disceptentque armis, terrarum uter imperet orbi,
celsus mente Syphax acciri in tecta benigne
imperat et tanto regni se tollit honore.
tum laetos uoluens oculos aduersa per ora,

**163** huic FGV : hic r2 **165** animique αCm : auumque β : animumque $\Gamma^2$ *edd. vett.* **166** tum αGVCm : cum δς : et cum *edd. a* j **168** firmato α$V^2$r2 : fo- β sociati *Heinsius, sed cf. 274* **171** quem *Schrader, fort. recte quamquam constructio exemplo carere videtur; an* hinc? **172** gentes $\Gamma^2$ς : -is ω **175** fuit *Livineius* **179** africa ωCm *Ep. 74* : fera *edd. a* l

sic Latium affatur iuuenem ac prior incipit ultro: 190
'quam te, Dardanide pulcherrime, mente serena
accipio intueorque libens! quamque ora recordor
laetus Scipiadae! reuocat tua forma parentem.
nam repeto, Herculeas Erythia ad litora Gades
cum studio pelagi et spectandis aestibus undae 195
uenissem, magnos uicina ad flumina Baetis
ductores miro quodam me cernere amore.
tum mihi dona uiri praeda delecta tulere,
arma simul regnoque meo tum cognita primum
cornipedum frena atque arcus, quis cedere nostra 200
†non norunt† iacula, et ueteres tribuere magistros
militiae, qui dispersas sine lege cateruas
uestro formarent ritu ad certamina Martis.
ast ego, cum contra, nostris quae copia regnis,
nunc auri ferrem, niuei nunc munera dentis, 205
nil ualui precibus. solos sibi cepit uterque,
quos cohibebat ebur uaginae sectilis, enses.
quare, age, laetus †habe nostros intrare† penates
ac, mea quando affert Libycum fortuna per undas
ductorem, facili, quae dicam, percipe mente. 210
et uos, qui Tyriae regitis Carthaginis arces,
Hasdrubal, huc aures, huc quaeso aduertite sensus.

**194** erythia α *Heinsius* (*'ex scriptis'*, erithia P) : erichia β : erithrea $\Gamma^2$ς **195** spectantis Γ : -anti O : -atis $\Gamma^2$ς **197** quodam αGV : quon- δ *edd. ante Bauerum* **200** cornipedum $\Gamma^2$ς : -em ω **201** non nolint *Gronovius* : nunc norunt *Schrader* : iam norant Blass : consuerunt *ego* (*de forma cf. 13, 224; 15, 446; Lucan. 4, 604*) **204** contra *Withof* : nostra αδ : ue- GV : n. in $\Gamma^2$ς **206** sibi αr2v : tibi β : ubi $\Gamma^2$ς **208** habe $F^2$Lβ : abe F : haue Ch *edd. recc.* : ames *vel* ades *Blass* : adi nostros intraque *Bailey* : adi et nostros dignare *ego coll. Lucan. 8, 113; Stat. Theb. 12, 785* (*corruptela orta esse potest ex glossemate* intra *super* dignare *scripto*) **209** affert αCm *Ep. 74* : abest β : habuit $\Gamma^2$ς **211.212** *ordine inverso Ker, sed cf. e.g. 3, 222; 12, 390* **212** huc a. $F^2$β : huic a. F : hinc a. L

quanta per Ausonios populos torrentibus armis
tempestas ruat et Latio suprema minetur,
utque bibant Tyrium bis quinos saeua per annos 215
Sicana nunc tellus, nunc litora Hibera cruorem,
cui nescire licet? quin ergo tristia tandem
considunt bella, et deponitis arma uolentes?
tu Libya, tu te Ausonia cohibere memento.
haud deformis erit uobis ad foedera uersis 220
pacator mediusque Syphax.' subiungere plura
non passus gentis morem arbitriumque senatus
Scipio demonstrat uanique absistere coepti
spe iubet et patres docet haec expendere solos.
suadendi modus hic, quodque est de parte diei 225
exacta super, ad mensas et pocula uertunt,
atque epulis postquam finis, dant corpora somno
et dura in noctem curarum uincula soluunt.
Iamque nouum terris pariebat limine primo
egrediens Aurora diem, stabulisque subibant 230
ad iuga solis equi, necdum ipse adscenderat axem,
sed prorupturis rutilabant aequora flammis:
exigit e stratis corpus uultuque sereno
Scipio contendit Massyli ad limina regis.
illi mos patrius fetus nutrire leonum 235
et catulis rabiem atque iras expellere alendo.
tum quoque fulua manu mulcebat colla iubasque
et fera tractabat ludentum interritus ora.
Dardanium postquam ductorem accepit adesse,
induitur chlamydem, regnique insigne uetusti 240

213 terrentibus *Bothe* : horr- *Bauer* 215 ter quinos *Dausqueius, sed v. ad 151* 223 uanique FCh : namque Lβ : namque illum $\Gamma^2$ς 226 exacti $\Gamma^2$ς *edd.* : -ae *Håkanson, sed cf. Verg. Aen. 9, 156 sqq.; Liv. 22, 29, 7* diei maiore parte exacta 229 limine $F^2$rlmvCm *Ep. 19* : lu- ω 232 prorupturis α$\Gamma^2$ς : prae- β 233 erigit *Blass, recte ut puto coll. 7, 288; 'exigere' hoc sensu caret exemplo* 235 nutrire ωCh : -isse ς *edd. vett.*

gestat laeua decus, cinguntur tempora uitta
albente, ac lateri de more adstringitur ensis.
hinc in tecta uocat, secretisque aedibus hospes
sceptrifero cum rege pari sub honore residunt.
Tum prior his infit terrae pacator Hiberae: 245
'prima mihi domitis Pyrenes gentibus ire
ad tua regna fuit properantem et maxima cura,
o sceptri uenerande Syphax. nec me aequore saeuus
tardauit medio pontus. non ardua regnis
quaesumus aut inhonora tuis: coniunge Latinis 250
unanimum pectus sociusque accede secundis.
non tibi Massylae gentes extentaque tellus
Syrtibus et latis proauita potentia campis
amplius attulerint decoris, quam Romula uirtus
certa iuncta fide et populi Laurentis honores. 255
cetera quid referam? non ullus scilicet ulli
aequus caelicolum, qui Dardana laeserit arma.'
Audiuit laeto Massylus et annuit ore
complexusque uirum 'firmemus prospera' dixit
'omina, nec uotis superi concordibus absint, 260
cornigerumque Iouem Tarpeiumque ore uocemus.'
et simul exstructis caespes surrexerat aris
uictimaque admotae stabat subiecta bipenni,
cum subito abruptis fugiens altaria taurus
exsiluit uinclis mugituque excita late 265
impleuit tecta et fremitu suspiria rauco
congeminans trepida terrorem sparsit in aula,
uittaque, maiorum decoramen, fronte sine ullo
delapsa attactu nudauit tempora regis.

**241** uitta $\Gamma^2$ *edd. a* r1 : uicta ω **242** accingitur F (*corr. m.2*) **244** sceptrifero α r2 : -gero β **252** praetentaque *Heinsius coll. Verg. Aen. 6, 60* **255** iuncta α Cm *Ep.19* : inuicta β honores ω Cm : -e *edd. a* r1 **265** ex(s)iluit α *Drakenborch* : -iit β **267** congeminans *Calderinus in* Γ, *Livineius* : -ant ω : -at ς **268** uittaque $\Gamma^2$ *edd. vett.* : uict- ω

talia caelicolae casuro tristia regno 270
signa dabant, saeuique aderant grauia omina fati.
hunc fractum bello regem solioque reuulsum
tempus erit cum ducet agens ad templa Tonantis,
qui tunc orabat socialia foedera supplex.
His actis repetit portum puppesque secundo 275
dat uento et notis reddit se Scipio terris.
concurrere auidae gentes, uariosque subacta
Pyrene misit populos. mens omnibus una:
concordes regem appellant regemque salutant.
scilicet hunc summum norunt uirtutis honorem. 280
sed postquam miti reiecit munera uultu
Ausonio non digna uiro patriosque uicissim
edocuit ritus et Romam nomina regum
monstrauit nescire pati, tum uersus in unam,
quae restat, curam nulla super hoste relicta, 285
et Latios simul et uulgum Baetisque Tagique
conuocat ac medio in coetu sic deinde profatur:
'quando ita caelicolum nobis propensa uoluntas
annuit, extremo Libys ut deiectus ab orbe
aut his occideret campis aut axe relicto 290
Hesperio patrias exul lustraret harenas,
iam uestra tumulos terra celebrare meorum
est animus pacemque dare exposcentibus umbris.
mente fauete pari atque aures aduertite uestras.
septima cum solis renouabitur orbita caelo, 295
quique armis ferroque ualent, quique arte regendi
quadriiugos pollent currus, quis uincere planta

272 hunc α : hinc β 275 portam GV puppemque ς 277 concurrere ωCh : -unt δς 278 mens F²LJb1 : men F : en βς *edd. vett.* 280 norant *Drakenborch, fort. recte* 284 conuersus *edd. vett.* 285 nulla ... relicta *van Veen* (*v. Bauer Add. et Corr.*) : -o ... -o ω 286 latio δ (lacio O) : -um Γ²ς 290 excideret Ch 292 nostra αΓ (*corr.*) 294 fauete GΓ²ς : -re αγ

spes est, et studium iaculis impellere uentos,
adsint ac pulchrae certent de laude coronae.
praemia digna dabo, e Tyria spolia incluta praeda, 300
nec quisquam nostri discedet muneris expers.'
sic donis uulgum laudumque cupidine flammat.
Iamque dies praedicta aderat coetuque sonabat
innumero campus simulatasque ordine iusto
exsequias rector lacrimis ducebat obortis. 305
omnis Hiber, omnis Latio sub nomine miles
dona ferunt tumulisque super flagrantibus addunt.
ipse tenens nunc lacte, sacro nunc plena Lyaeo
pocula odoriferis adspergit floribus aras.
tum manes uocat excitos laudesque uirorum 310
cum fletu canit et ueneratur facta iacentum.
Inde refert sese circo et certamina prima
incohat ac rapidos cursus proponit equorum.
fluctuat aequoreo fremitu rabieque fauentum
carceribus nondum reseratis mobile uulgus 315
atque fores oculis et limina seruat †equorum†.
iamque ubi prolato sonuere repagula signo
et toto prima emicuit uix ungula cornu,
tollitur in caelum furiali turbine clamor,
pronique ac similes certantibus ore sequuntur 320
quisque suos currus magnaque uolantibus idem
uoce loquuntur equis. quatitur certamine circus
hortantum, ac nulli mentem non abstulit ardor.

299 ac α : et β 300 praemia $V^2 Γ^2$ ς : prima ω e] *Livineius* : et ω 305 obortis αrl : ab ortis β 311 canit et *Barth* : cantet ω : cantat $Γ^2$ ς : caneret Ch 313 ac ω : et *edd. vett.* 314 aequato *Heinsius* : interea *vel* incerto *Schrader* : aetherio *Postgate, sed poeta fortasse imaginem sumpsit e locis qualis est Hor. carm. 3, 27, 23* aequoris nigri fremitum 316 limina α$GΓ^2$ : lu- γ equorum *hic (cf. 313) ineptum;* a. f. o. ⟨auidis⟩ et l. s. *conieci coll. Enn. ann. 80 Sk.* omnes auidi spectant ad carceris oras 321 cursus Ch 323 hortantum *Bentley et Ruperti* (*sed male de aurigis*) : cert- ω : spect- *Summers*

instant praeceptis et equos clamore gubernant.
fuluus harenosa surgens tellure sub auras 325
erigitur globus atque operit caligine densa
cornipedumque uias aurigarumque labores.
hic studio furit acris equi, furit ille magistri.
hos patriae fauor, hos accendit nobile nomen
antiqui stabuli. sunt, quos spes grata fatiget 330
et noua ferre iugum ceruix. sunt, cruda senectus
quos iuuet et longo sonipes spectatus in aeuo.
euolat ante omnes rapidoque per aera curru
Callaicus Lampon fugit atque ingentia tranat
exsultans spatia et uentos post terga relinquit. 335
conclamant plausuque fremunt uotique peractam
maiorem credunt praerepto limite partem.
at quis interior cura et prudentia circi
altior, effusas primo certamine uires
damnare et cassis longe increpitare querelis 340
indispensato lassantem corpora nisu:
'quo nimius, quo, Cyrne, ruis? (nam Cyrnus agebat)
uerbera dimitte et reuoca moderatus habenas.'
heu surdas aures! fertur securus equorum
nec meminit, quantum campi decurrere restet. 345
Proximus, a primo distans quantum aequore currus
occupat ipse loci, tantum, sed proximus ibat
Astur Panchates; patrium frons alba nitebat

*324–327 post 332 collocandos puto (325–327 iam Damsté)* 324 praecipites *Heinsius et Dausqueio teste admodum dubio iam Modius, edd. recc., sed spectatores urgent aurigas praeceptis* 325 auras ω b1 : undas Γ ς 333 euolat *sc. e globo harenae, cf. Stat. Theb. 6, 414* raptoque *Heinsius* curru α r2 Ch : -su β 334 Lampo Ch 337 praecepto δ ς 339 uires ω Cm *Ep. 19* : uoces *edd. a* r1 342 nimius $\Gamma^2$ r2 v : minus α (*in* F *ex corr.*) O : minuis G : mimus V : minius Γ cyrne b1 : cryne F : crine L : cerne β : cirne $\Gamma^2$ r2 v ruis $\Gamma^2$ : -t ω cyrnus b2 : crinus ω (-is δ) : cirnus $\Gamma^2$ r2 v 348 panchates α Γ ς : pau- β (-os O)

insigne et patrio pes omnis concolor albo.
ingentes animi, membra haud procera decusque 350
corporis exiguum, sed tum sibi fecerat alas
concitus atque ibat campo indignatus habenas.
crescere sublimem atque augeri membra putares.
Cinyphio rector cocco radiabat Hiberus.
Tertius aequata currebat fronte Peloro 355
Caucasus. ipse asper nec qui ceruicis amaret
applausae blandos sonitus clausumque cruento
spumeus admorsu gauderet mandere ferrum.
at docilis freni et melior parere Pelorus
non umquam effusum sinuabat deuius axem, 360
sed laeuo interior stringebat tramite metam.
insignis multa ceruice et plurimus idem
ludentis per colla iubae. mirabile dictu,
nullus erat pater: ad Zephyri noua flamina campis
Vettonum eductum genetrix effuderat Harpe. 365
nobilis hunc Durius stimulabat in aequore currum,
Caucasus antiquo fidebat Atlante magistro.
ipsum Aetola uago Diomedi condita Tyde
miserat. exceptum Troiana ab origine equorum
tradebant, quos Aeneae Simoentis ad undas 370
uictor Tydides magnis abduxerat ausis.

354 cocco α V² Cc *Em. 1, 17* Cm *Ep. 74* : toto β : *verbum deletum in* Γ *om.* ς *edd. vett.* 354.355 Hiberus – currebat *ins.* CcCm : *om.* ω 356 caucasus F² CcCm : cauf- α : canph- (camph-) β 357 rosumque *Heinsius* : durumque *Summers, fort. recte* 358 spumeus ωCm : spumans b2 360 sinuabat α Γ² r2 v : fum- β 364 pater αCcCm : *om.* β : leuis Γ² ς 365 uettonum FCc : uect- Lβ 367 caucasus ωCm : camph- *edd. a* j *v. 356* sidebat α 368 tyde v (tide *iam* Γ²) : tybe α : tibe GVO : thile Γ ς 370 tradebant Ch : tad- F : cad- Lβ : cred- *Calderinus in* Γ *edd. a* v simoentis F Γ² : -oentos L : -eontis V : -euntis δ 371 tydides F *edd. a* v : tyt- F² L : tib- β : tit- Γ² ς

Iamque fere medium euecti certamine campum
in spatio addebant, nisusque apprendere primos
Panchates animosus equos super altior ire
et praecedentem iam iamque adscendere currum 375
pone uidebatur, curuatisque ungula prima
Callaicum quatiens pulsabat calcibus axem.
at postremus Atlas, sed non et segnior ibat
postremo Durio; pacis de more putares
aequata fronte et concordi currere freno. 380
sensit ut exhaustas, qui proximus ibat, Hiberus
Callaicas Cyrni uires nec ut ante salire
praecipitem currum et fumantes uerbere cogi
adsiduo uiolenter equos, ceu monte procella
cum subita ex alto ruit, usque ad colla repente 385
cornipedum protentus et in capita ardua pendens
concitat ardentem, quod ferret lora secundus,
Panchaten uocesque addit cum uerbere mixtas:
'tene, Astur, certante feret quisquam aequore palmam
erepto? consurge, uola, perlabere campum 390
adsuetis uelox pennis. decrescit anhelo
pectore consumptus Lampon, nec restat hianti,
quem ferat ad metas, iam spiritus.' haec ubi dicta,
tollit se sonipes, ceu tunc e carcere primo

**373** spatio ω Ch (*Syll. III epist. 392*) : -a Γ² ς *edd. coll. Verg. georg. 1, 513; sed et illic* -o *traditur, ubi adhuc haerent editores* nisusque α r2 v : uisus β **374** aeques F *verba* super altior ire *mihi suspecta, sed cf. fort. Verg. Aen. 12, 301* super ipse secutus; *an* super *cum* currum *iungendum? temptavi etiam* superantior *coll. Lucr. 5, 394* *378–380 post 372 transposuit Bothe, quem sequuntur Duff, Lorenz 90, Juhnke 239; versus hoc loco importuni mihi ex versibus 355 et 401 male concocti esse videntur* **379** durio α Γ² r2 : claro β : Durius *Livineius, sed cf. 401* **381** sentit F² : sentiṣt L ut ω Cc *Em. 1, 17* Cm *Ep. 19* : et δ ς **382** cyrni L Cc Cm : crini F : cerni β : cernit Γ² ς **383** cogit ς **387** quod ferret lora secundus *i. quod secundae, non primae quadrigae funalis* (*cf. 400 iugales*) *esset* **388** Panchaten Cc : -m ω (pauch-)

corriperet spatium, et nitentem opponere curuos 395
aut aequare gradus Cyrnum post terga relinquit.
confremit et caelum et percussus uocibus altis
spectantum circus. fertur sublime per auras
altius attollens ceruicem uictor ouantem
Panchates sociosque trahit prior ipse iugales. 400
At postremus Atlas, Durius postremus in orbem
exercent artes. laeuos nunc appetit ille
conatus, nunc ille premit certatque subire
dexter, et alterni nequiquam fallere temptant,
donec confisus primaeuae flore iuuentae 405
obliquum Durius conuersis pronus habenis
opposuit currum atque euersum propulit axem
Atlantis senio inualidi, sed iusta querentis:
'quo ruis? aut quinam hic rabidi certaminis est mos?
et nobis et equis letum commune laboras.' 410
dumque ea proclamat, perfracto uoluitur axe
cernuus, ac pariter fusi, miserabile, campo
discordes sternuntur equi. quatit aequore aperto
lora suis uictor, mediaque Pelorus harena
surgere nitentem fugiens Atlanta reliquit. 415
nec longum Cyrni defessos prendere currus.
hunc quoque cunctantem et sero moderamina equorum
discentem rapido praeteruolat incitus axe.
impellit currum clamor uocesque fauentum,
iamque etiam dorso atque umeris trepidantis Hiberi 420
ora superposuit sonipes, flatusque uapore
terga premi et spumis auriga calescere sentit.

395 l(a)euos (*pro* curuos) $\Gamma^2$ς : currus *Ker coll. 407, sed cf. Manil. 1, 743* **396** cyrnum r2 : cir- $\Gamma^2$ : cry- L : cyrimum F : currum βς **398** circus α$\Gamma^2$r2 : -m β (aurum Γ) **402** exercet δ (*corr. in* Γ) artus $\Gamma^2$ς **402. 403** laeuo ... conatu *Heinsius* **408** iusta α$\Gamma^2$ : iuxta β **412** cernuus L$\Gamma^2$ς : cernius F : gerimus β **414** lorisuis Γς : lorisius $\Gamma^2$r1 m **416** cyrni L r2 v : cyrin F : cirrin β **417** hunc V$\Gamma^2$ς : n- αGδ **420** atque αr1 : at G$V^2$ : et V : ac δς

incubuit campo Durius misitque citatos
uerbere quadrupedes, nec frustra: aequare uidetur
aut etiam aequauit iuga praecedentia dexter. 425
attonitus tum spe tanta: 'genitore, Pelore,
te Zephyro eductum nunc nunc ostendere tempus.
discant, qui pecudum ducunt ab origine nomen,
quantum diuini praecellat seminis ortus.
uictor dona dabis statuesque altaria patri.' 430
et ni successu nimio laetoque pauore
proditus elapso foret inter uerba flagello,
forsan sacrasset Zephyro, quas uouerat, aras.
tum uero infelix, ueluti delapsa corona
uictoris capiti foret, in se uersus ab ira 435
auratam medio discindit pectore uestem,
ac lacrimae simul et questus ad sidera fusi.
nec iam subducto parebat uerbere currus.
pro stimulis dorso quatiuntur inania lora.
interea metis, certus iam laudis, agebat 440
sese Panchates et praemia prima petebat
arduus. effusas lenis per colla, per armos
uentilat aura iubas, dum mollia crura superbi
attollens gressus magno clamore triumphat.
Par donum solido argento caelata bipennis 445
omnibus, at uario distantia cetera honore.
primus equum uolucrem, Massyli munera regis
haud spernenda, tulit. tulit hinc uirtute secundus
e Tyria, quae multa iacet, duo pocula, praeda,
aurifero perfusa Tago. uillosa leonis 450
terga feri et cristis horrens Sidonia cassis
tertius inde honor est. postremo munere Atlantem,

**426** pelore $\Gamma^2\varsigma$ : -o ω **429** praecellit Γς **431** ni $\Gamma^2\varsigma$ : tu ω **433** uouerat $F^2\Gamma^2\varsigma$ : n- ω **439** quatiuntur αj : pa- β **440** certus $\Gamma^2\varsigma$ : -is ω **442** lenis $\Gamma^2\varsigma$ : leuis ω armos $FV^2\Gamma^2\varsigma$ : amos L : annos β **443** dum *Ker* : tum ω (cum O) **446** at *Livineius* : ac ω **452** et (*pro* est) δς atlantem $\Gamma^2$ *Livineius* : -is ω

quamuis perfracto senior subsederat axe,
accitum donat ductor miseratus et aeuum
et sortem casus. famulus florente iuuenta 455
huic datur adiuncto gentilis honore galeri.
His actis ductor laeta ad certamina plantae
inuitat positisque accendit pectora donis:
'hanc primus galeam (hac acies terrebat Hiberas
Hasdrubal), hunc ensem, cui proxima gloria cursus, 460
accipiet; caeso pater hunc detraxit Hyempsae.
tertius extremam tauro solabere palmam.
cetera contenti discedent turba duobus
quisque ferox iaculis, quae dat gentile metallum.'
Fulgentes pueri Tartessos et Hesperos ora 465
ostendere simul uulgi clamore secundo.
hos Tyria misere domo patria inclita Gades.
mox subit adspersus prima lanugine malas
Baeticus; hoc dederat puero cognomen ab amne
Corduba et haud †parto certamine† laeta fouebat. 470
inde comam rutilus, sed cum fulgore niuali
corporis, impleuit caueam clamoribus omnem
Eurytus; excelso nutritum colle crearat
Saetabis, atque aderant trepidi pietate parentes.
tum Lamus et Sicoris, proles bellacis Ilerdae, 475

**453** senior αl : -os β : -o $\Gamma^2$ς **454** accitum ωCm *Ep. 55* : acr- δ : attr- $\Gamma^2$ς in (*pro* et) δς **456** huic $\Gamma^2$ς : hinc ω **460** cursus α$\Gamma^2$ςCm : currus β : cursu *edd. a* r1 **463** discedens Ch **465** tartessos ς (-us $\Gamma^2$) : tarc- ω **467** inclita $F^2$β : indita α **468** *versum in edd. vett. praeter* r2 *omissum ins.* Cm *Ep. 55* mox Cm : nox ω : nos δ : hos $\Gamma^2$ς Asperus Cm **469** patrio *Heinsius* **470** h. parco c. $\Gamma^2$ς : h. paruo -a Cm : h. parce -a *Modius* : a paruo -a *Summers* : h. paruo -e *Burger Thes. 3, 880, 56 tacite, recte ut opinor* (*cf. e.g. 322; 15, 126*)*; nam aderant Cordubenses ut 474 parentes Euryti* **471** fulgore $\Gamma^2$ς : u- ω **473** eurytus L *in 522* : -i- ω **475** lamus $F^2\Gamma^2$ς : lanius Lβ (lanus V)

et Theron, potator aquae, sub nomine Lethes
quae fluit immemori perstringens gurgite ripas.
Qui postquam arrecti plantis et pectora proni
pulsantesque aestu laudum exsultantia corda
accepere tuba spatium, exsiluere per auras 480
ocius effusis neruo exturbante sagittis.
diuersa et studia et clamor, pendentque fauentes
unguibus atque suos, ut cuique est gratia, anheli
nomine quemque cient. grex inclitus aequore fertur
nullaque tramissa uestigia signat harena. 485
omnes primaeui flauentiaque ora decori,
omnes ire leues atque omnes uincere digni.
Extulit incumbens medio iam limite gressum
Eurytus et primus breuibus, sed primus, abibat
praecedens spatiis. instat non segnius acer 490
Hesperos ac prima stringit uestigia planta
praegressae calcis. satis est huic esse priori,
huic sperare sat est fieri se posse priorem.
acrius hoc tendunt gressus animique uigore
corpora agunt. auget pueris labor ipse decorem. 495
ecce leui nisu postremoque agmine currens
postquam sat uisus sibi concepisse uigoris,
celsus inexhaustas effundit turbine uires
non exspectato subitusque erumpit et auras
praeuehitur Theron. credas Cyllenida plantam 500
aetherio nexis cursu talaribus ire.
iamque hos iamque illos populo mirante relinquit

**477** fleuit δ (*corr. in* Γ) **478** corpora *edd. vett.* **484** incitus *Heinsius* **486** florentiaque *Bothe, satis probabiliter* **488** extulit r1 : et t. ω **489** eurytus L *in 522* : -i- ωCh primis b. GVO **491** ac ω *Drakenborch tacite* : et Γς *edd. vett.* **492** praegressae αG *Livineius* : pro- γ huic GVΓ$^2$ : hinc αδ **493** huic Γ$^2$ : hinc ω **496** nisu αΓ$^2$ς : u- β currens ωCm *Ep. 55* : currus δ : -sus Γ$^2$ς **497** uisus F$^2$LCm : n- F : uisu β : -um Γ$^2$ς **499** et α *Livineius* : ad β **500** Cyllenide planta *Barth* (planta Γς *edd. vett.*)

et modo postremus, nunc ordine tertia palma
Hesperon infestat sua per uestigia pressum.
nec iam, quem sequitur tantum, sed prima coronae 505
spes trepidat tantis uenientibus Eurytus alis.
quartus sorte loci, sed si tres ordine seruent
inceptos cursus, nequiquam uana laborans
Tartessos fratrem medio Therone premebat.
nec patiens ultra tollit sese aequore Theron 510
igneus et plenum praeteruolat Hesperon irae.
unus erat super, et metae propioribus aegros
urebat finis stimulis. quascumque reliquit
hinc labor, hinc penetrans pauor in praecordia uires,
dum sperare licet, breuia ad conanima uterque 515
aduocat. aequantur cursus, pariterque ruebant.
et forsan gemina meruissent praemia palma
peruecti simul ad metas, ni terga secutus
Theronis fusam late per lactea colla
Hesperos ingenti tenuisset saeuus ab ira 520
traxissetque comam. tardato laetus ouansque
Eurytus euadit iuuene atque ad praemia uictor
emicat et galeae fert donum insigne coruscae.
cetera promisso donata est munere pubes
intonsasque comas uiridi redimita corona 525
bina tulit patrio quatiens hastilia ferro.
Hinc grauiora uirum certamina, comminus ensis
destrictus bellique feri simulacra cientur.
nec quos culpa tulit, quos crimina noxia uitae,
sed uirtus animusque ferox ad laudis amorem 530
hi creuere pares ferro, spectacula digna
Martigena uulgo suetique laboris imago.

**506** *verba* tantis uenientibus ... alis *multis suspecta* eurytus L *in 522* : eurictus F : eurutus LGV : -i- δ **509** therone $\Gamma^2$ς : -a ω **516** aequatur v **518** ni $F^2\Gamma^2$ : in ω **519** l(a)ete δ **522** eurytus $F^2$Lr1 : -i- Fβ ad praemia ωCm *Ep. 55* : in praelia *edd. a* j **529** crimine noxia uita *Heinsius, fort. recte*

hos inter gemini (quid iam non regibus ausum,
aut quod iam regnis restat scelus?) impia circo
innumero fratres cauea damnante furorem 535
pro sceptro armatis inierunt proelia dextris.
is genti mos dirus erat, patriumque petebant
orbati solium lucis discrimine fratres.
concurrere animis, quantis confligere par est,
quos regni furor exagitat, multoque cruore 540
exsatiata simul portantes corda sub umbras
occubuere. pari nisu per pectora adactus
intima descendit mucro; superaddita saeuis
ultima uulneribus uerba, et conuicia uoluens
dirus in inuitas effugit spiritus auras. 545
nec manes pacem passi. nam corpora iunctus
una cum raperet flamma rogus, impius ignis
dissiluit, cineresque simul iacuisse negarunt.
cetera distincto donata est munere turba,
ut uirtus et dextra fuit. duxere iuuencos 550
impressis dociles terram proscindere aratris,
duxere adsuetos lustra exagitare ferarum
uenatu iuuenes, quos dat Maurusia praeda.
necnon argenti necnon insignia uestis
captiuae pretia et sonipes et crista nitenti 555
insurgens cono, spolia exuuiaeque Libyssae.
Tum iaculo petiere decus, spectacula circi
postrema, et metae certarunt uincere finem
Burnus auis pollens, quem misit ripa metalli,

533 quid enim *Damsté* 534 quod $\Gamma^2\varsigma$ : quoque ω regnis ω : -i *edd. vett. et recc.* 537 durus Fr2 patrumque δ (*corr. in* Γ) 538 solum δ (*corr. in* Γ) 539 animis $F^2\beta$ (-as O) : -us α 541 umbris Γς 545 inuisas *Blass* 546 iunctus ω (ui- L) Cm *Ep. 55* : -a b1 547 flamma $\Gamma^2\varsigma$ : -am ω 559 *om. edd. vett. praeter* r2 burnus $F\Gamma^2$r2 : burinis Lβ (burius O) *vox* metalli *multis suspectum* (*'latet aliquid, fort. urbis alicuius nomen' Summers*), *sed 'metallum' usurpatur pro fluvio metallifero; cf. Stat. silv. 1, 3, 107 et Claud. 1, 52* pretiosa metalli / Hermi ripa

qua Tagus auriferis pallet turbatus harenis; 560
et Glagus insignis uentos anteire lacerto,
et, cuius numquam fugisse hastilia cerui
praerapida potuere fuga, uenator Aconteus,
Indibilisque diu laetus bellare Latinis,
iam socius, uolucresque uagas deprendere nube 565
adsuetus iaculis, idem et bellator, Ilerdes.
laus Burni prima, infixit qui spicula metae,
et donum serua, albentes inuertere lanas
murice Gaetulo docta. at, quem proxima honorant
praemia, uicinam metae qui propulit hastam, 570
accepto laetus puero discessit Ilerdes,
cui ludus nullam cursu non tollere dammam.
tertia palma habuit geminos insignis Aconteus
nec timidos agitare canes latratibus aprum.
Quos postquam clamor plaususque probauit honores, 575
germanus ducis atque effulgens Laelius ostro
nomina magna uocant laeti manesque iacentum
atque hastas simul effundunt. celebrare iuuabat
sacratos cineres atque hoc decus addere ludis.
ipse etiam mentis testatus gaudia uultu 580
ductor, ut aequauit meritis pia pectora donis
et frater thoraca tulit multiplicis auri,
Laelius Asturica rapidos de gente iugales,

**561** lacerto $\Gamma^2$ς : -os ω **562** cerui Jr1 : -ni ω **564** indibilisque $\Gamma^2$ς : lud- ω **567–571** *om.* δς *edd. vett. praeter* r2pl (*habet Marsus in comm., non in textu*) **567** his (*pro* laus) GP burni F : -in L : -im G : -yn V metae Jp *edd. a* l : mente ω (*v. 570*) **568** et donum αVr2 : sydum G : est damum *edd.a* l (damum *iam* r2 domum p) **569** at quem p. honorant *Marsus in comm., edd. a* l : at quem p. honore ω : at cui p. h. *Heinsius* : ad quem p. h. P *Lefebvre, fort. recte* **570** metae Jp *edd. a* l : mente ω (*v. 567*) **572** *ad* tollere dammam *cf. Stat. Theb.* 6, *567sq.* **577** numina *Damsté coll. 87; adstipulatur Håkanson 35, sed contra recte Schuster 1942*

contorquet magnis uictricem uiribus hastam
consurgens umbrisque dari testatur honorem. 585
hasta uolans, mirum dictu, medio incita campo
substitit ante oculos et terrae infixa cohaesit;
tum subitae frondes celsoque cacumine rami
et latam spargens quercus, dum nascitur, umbram.
ad maiora iubent praesagi tendere uates. 590
id monstrare deos atque hoc portendere signis.
Quo super augurio pulsis de litore cunctis
Hesperio Poenis ultor patriaeque domusque
Ausoniam repetit Fama ducente triumphum.
nec Latium curis ardet flagrantius ullis, 595
quam iuueni Libyam et summos permittere fasces.
sed non par animis nec bello prospera turba
ancipiti senior temeraria coepta uetabant
magnosque horrebant cauta formidine casus.
Ergo ubi delato consul sublimis honore 600
ad patres consulta refert deturque potestas
orat delendae Carthaginis, altius orsus
hoc grandaeua modo Fabius pater ora resoluit:
'haud equidem metuisse queam, satiatus et aeui
et decoris, cui tam superest et gloria et aetas, 605
ne credat nos inuidiae certamine consul
laudibus obtrectare suis. satis inclita nomen
gestat fama meum, nec egent tam prospera laude
facta noua. uerum et patriae, dum uita manebit,
desse nefas animumque nefas scelerare silendo. 610
bella noua in Libyae moliris ducere terras?

**585** testatus δς **589** fit (*pro* et) *Burmann* tum *Bothe* subnascitur *Schrader, sed ellipsis verbi agnoscenda, cf. e.g. 554–556* nascitur α$\Gamma^2$ς : no- β **591** portendere α *edd. a* r1 : pro- GV : prae- δς **597** non par α$V^2$ : par *om.* GV : non par *om.* δ : frigens $\Gamma^2$ς *edd.* **603** resoluit $F^2\Gamma^2$ς : -et ω **604** satiatus α *Calderinus in* Γ : soc- β **605** iam *Heinsius* **607** indita α **611** in α$\Gamma^2$ς : tu β

hostis enim dest Ausonia, nec uincere nobis
est satis Hannibalem. petitur quae gloria maior
litore Elissaeo? stimuli si laudis agunt nos,
hanc segetem mete. composuit propioribus ausis 615
dignum te Fortuna parem. uult Itala tellus
ductoris saeui, uult tandem haurire cruorem.
quo Martem aut quo signa trahis? restinguere primum est
ardentem Italiam. tu fessos auius hosti
deseris ac septem denudas proditor arces. 620
an, cum tu Syrtim et steriles uastabis harenas,
non dira illa lues notis iam moenibus urbis
adsiliet uacuumque Iouem sine pube, sine armis
inuadet? quanti, ut cedas Romamque relinquas,
emerit! aut tanto percussi fulmine belli 625
sicine te, ut nuper Capua est accitus ab alta
Fuluius, aequoreis Libyae reuocabimus oris?
uince domi et trinis maerentem funera lustris
Ausoniam purga bello. tum tende remotos
in Garamantas iter Nasamoniacosque triumphos 630
molire. angustae prohibent nunc talia coepta
res Italae. pater ille tuus, qui nomina uestrae
addidit haud segnis genti, cum consul Hiberi
tenderet ad ripas, reuocato milite primus
descendenti auide superatis Alpibus ultro 635
opposuit sese Hannibali. tu consul abire
a uictore paras hoste atque auellere nobis
scilicet hoc astu Poenum? si deinde sedebit

**612** Ausoniae *Heinsius* (*'melius Ausoniae Oxoniensis'*, *falso*) *edd. recc.*, *sed v. Blomgren 9* **615** proprioribus β (*corr. in* Γ) **619** auius α *Heinsius* : ob- β hosti *Håkanson* : -is ω **621** ac δς *edd.* **624** quanti est ut $\Gamma^2$ *edd. vett.* cedas αr1 v : cr- β **625** emerit *L. Müller 193 coll. 10, 286* : emerito ω aut *Bailey* (et *L. Müller*) : ast ω : ac $\Gamma^2$ς **626** accitus α$\Gamma^2$ς : arc- β **631** augustae α

impauidus nec te in Libyam tuaque arma sequetur,
capta damnabis consulta improuida Roma. 640
sed fac turbatum conuertere signa tuaeque
classis uela sequi, nempe idem erit Hannibal, idem,
cuius tu uallum uidisti e moenibus urbis.'
haec Fabius, seniorque manus paria ore fremebat.
  Tum contra consul: 'caesis ductoribus olim 645
magnanimis gemino leto, cum tota subisset
Sidonium possessa iugum Tartessia tellus,
non Fabio, non, quis eadem est sententia cordi,
quoquam ad opem uerso, fateor, primoribus annis
excepi nubem belli solusque ruenti 650
obieci caelo caput atque in me omnia uerti.
tum grandaeua manus puero male credita bella
atque idem hic uates temeraria coepta canebat.
dis grates laudemque fero, sub numine quorum
gens Troiana sumus. puer ille et futilis aetas 655
imbellesque anni necdum maturus ad arma
Scipio restituit terras illaesus Hiberas
Troiugenis, pepulit Poenos solisque secutus
extremas ad Atlanta uias exegit ab orbe
Hesperio nomen Libyae nec rettulit †auri† 660
signa prius, quam fumantes circa aequora uidit
Romano Phoebum soluentem litore currus.
adsciuit reges idem. nunc ultimus actis
restat Carthago nostris labor. hoc sator aeui

**642** hannibal idem $\alpha V^2\Gamma^2$ : h. erit β **644** fremebant O *edd. vett.* **646** magnanimus δς leto gemino Γς *edd. vett.* cum ωb1 : cui *edd. a* r1 **647** sidonium $\alpha V\Gamma^2$ : -ion Gδ **648** fabio $\alpha\Gamma^2$ς : -us β **651** c(a)elo ω : telo $\Gamma^2$ς *edd. vett.* in me $F\Gamma^2$ς : mine Lβ **652** bella Jr1 : -o ω **654** numine α *Livineius* : no- β **655** summus VO **660** ante pl (*pleonasmus 'ante ... priusquam' defendi possit locis Verg. Aen. 4, 24–27 et Prop. 2, 25 sq.*) : (audi!) *Livineius* : inde (*quod exspectares*) *Heinsius* : urbi *Dausqueius* : ora *Bauer, alii alia*

Iuppiter aeterni monet. Hannibali ecce senectus 665
intremit aut aegros simulat mentita timores,
ne finem longis tandem peperisse ruinis
sit noster titulus. certe iam dextera nobis
experta, et robur florentibus auximus annis.
ne uero fabricate moras, sed currere sortem 670
hanc sinite ad ueterum delenda opprobria cladum,
quam mihi seruauere dei. sat gloria cauto
non uinci pulchra est Fabio, peperitque sedendo
nomina Cunctator. nobis nec Mago nec Hannon
nec Giscone satus nec Hamilcare terga dedisset, 675
si segnes clauso traheremus proelia uallo.
Sidoniusne puer uix pubescente iuuenta
Laurentes potuit populos et Troia adire
moenia flauentemque sacro cum gurgite Thybrim
et potuit Latium longo depascere bello, 680
nos Libyae terris tramittere signa pigebit
et Tyrias agitare domos? secura pericli
litora lata patent, et opima pace quieta
stat tellus. timeat tandem Carthago timeri
adsueta et nobis, quamuis Oenotria nondum 685
Hannibale arua uacent, superesse intellegat arma.
illum ego, quem uosmet cauti consultaque uestra
in Latio fecere senem, cui tertia large
fundenti nostrum ducuntur lustra cruorem,
illum ego ad incensas trepidantem et sera pauentem 690
aduertam patriae sedes. an Roma uidebit

**665** monet LGΓ² : mouet Fγ Hannibalem *edd. a* v, *fort. recte, cf. 8, 60* **667** ne *edd. a* v : nec ω **670** fabricate αΓ² : -re β **672** seruauere Γ²ς : -are ω **674** nomina *Damsté coll. 632* : omnia ω *ante* nobis *interpunxit Blass* **676** si segnes αr2 v : si -e β : -ia si Γ²ς : -es si *edd. a* j **680** latio longum F depascere Σ² *Barth* : depo- ω *cf. 3, 202* **690** fera Γ : s(a)ena Γ²ς *edd. vett.* cauentem *Ruperti* **691** auertam r1

turpia Agenoreae muris uestigia dextrae,
Carthago immunis nostros secura labores
audiet interea et portis bellabit apertis?
tum uero pulset nostras iterum improbus hostis 695
ariete Sidonio turres, si templa suorum
non ante audierit Rutulis crepitantia flammis.'
Talibus accensi patres fatoque uocante
consulis annuerunt dictis, faustumque precati
ut foret Ausoniae, tramittere bella dederunt. 700

**695** improbus $F^2 \Gamma^2$ : -bet ω **696** deorum *Bothe* **699** annuerunt α r1 p *Livineius* : -ent β : -ant $\Gamma^2$ ς **700** foret $\Gamma^2$ *edd. a* r1 : forte ω

## SILI ITALICI
## PVNICORVM
### LIBER SEPTIMVS DECIMVS

Hostis ut Ausoniis decederet aduena terris,
fatidicae fuerant oracula prisca Sibyllae
caelicolum Phrygia genetricem sede petitam
Laomedonteae sacrandam moenibus urbis;
aduectum exciperet numen, qui lectus ab omni 5
concilio patrum praesentis degeret aeui
optimus. en nomen melius maiusque triumphis!
iamque petita aderat Latia portante Cybele
puppe, atque ante omnes magno cedente senatu
obuius accitis properabat Scipio sacris, 10
qui genitus patruo ductoris ad Africa bella
tunc lecti multa fulgebat imagine auorum.
isque ubi longinquo uenientia numina ponto
accepit supplex palmis Tuscique sonora
Thybridis adduxit sublimis ad ostia puppim, 15
femineae tum deinde manus subiere, per amnem

**1** descenderet GV : discederet $V^2$δς **2** fatidicae α$\Gamma^2$ς : -a β **3** genetrice GV **4** sacranda δ **6** degeret *edd. a* r1 : -it ω **7** en $R^2$ *L. Müller 411* : heu ω maiusque $F^2$GV$\Gamma^2$O : manusque FΓ : manisque L **8** aderant *edd. a* j cybele Yr2 *Barth* : cybeben F (*corr. in* -len) : -les L : cibelen β : Cybebe *Ruperti, v. ad 8, 363* **9** ante omnis α *ut coni. Schrader* : ante *om.* β : intrepidus m : in trepidis b1 accedente *edd. a* r1 : censente *Heinsius* : incedente *Damsté, commendat Håkanson 35; cf. Ov. fast. 4, 293* **11** patrio δ : -iae $\Gamma^2$ς **13** trementia δ (*corr. in* Γ) **14** tristique δ (*corr. in* Γ) **15** adducit β (adu- V) **16** subiere GVς : -ire αδ

quae traherent celsam religatis funibus alnum.
circum arguta cauis tinnitibus aera, simulque
certabant rauco resonantia tympana pulsu
semiuirique chori, gemino qui Dindyma monte 20
casta colunt, qui Dictaeo bacchantur in antro,
quique Idaea iuga et lucos nouere silentes.
hos inter fremitus ac laeto uota tumultu
substitit adductis renuens procedere uinclis
sacra ratis subitisque uadis immobilis haesit. 25
tum puppe e media magno clamore sacerdos:
'parcite pollutis contingere uincula palmis
et procul hinc, moneo, procul hinc, quaecumque profanae,
ferte gradus nec uos casto miscete labori,
dum satis est monuisse deae. quod si qua pudica 30
mente ualet, si qua illaesi sibi corporis adstat
conscia, uel sola subeat pia munera dextra.'
Hic prisca ducens Clausorum ab origine nomen
Claudia non aequa populi male credita fama
in puppim uersis palmisque oculisque profatur: 35
'caelicolum genetrix, numen, quod numina nobis
cuncta creas, cuius proles terramque fretumque
sideraque et manes regnorum sorte gubernant,
si nostrum nullo uiolatum est crimine corpus,
testis, diua, ueni et facili me absolue carina.' 40
tum secura capit funem, fremitusque leonum
audiri uisus subito, et grauiora per auras
nulla pulsa manu sonuerunt tympana diuae.
fertur prona ratis (uentos impellere credas)
contraque aduersas ducentem praeuenit undas. 45

**17** alnum F$^2$GVΓ : aluum αO **18** cauis GΓ$^2$ς : canis αγ **34** mala r1mp *cf. Ov. fast. 4, 344* aequae ... famae *Heinsius, Summers, sed v. Thes. 8, 343, 7* **38** sideraque αΓ$^2$ς : que *om.* β gubernat WQr2 *edd. a* v **42** auras Γς *edd. vett.* : -es ω *edd. recc., v. ad 4, 260*

extemplo maior cunctis spes pectora mulcet
finem armis tandem finemque uenire periclis.
  Ipse alacer Sicula discedens Scipio terra
abscondit late propulsis puppibus aequor,
cui numen pelagi placauerat hostia taurus, 50
iactaque caeruleis innabant fluctibus exta.
tunc a sede deum purumque per aethera lapsae
armigerae Iouis ante oculos coepere uolucres
aequoreas monstrare uias ac ducere classem.
augurium clangor laetum dabat. inde secuti 55
tantum praegressos liquida sub nube uolatus,
quantum non frustra speculantum lumina seruant,
litora Agenoreae tenuerunt perfida terrae.
  Nec segnis tanta in semet ueniente procella
Africa terribilem magno sub nomine molem, 60
regis opes, contra et Massyla parauerat arma,
spesque Syphax Libycis una et Laurentibus unus
terror erat. campos pariter uallesque refusas
litoraque implerat nullo decorare tapete
cornipedem Nomas adsuetus, densaeque per auras 65
condebant iaculis stridentibus aethera nubes.
immemor hic dextraeque datae iunctique per aras
foederis et mensas testes atque hospita iura
fasque fidemque simul prauo mutatus amore
ruperat atque toros regni mercede pararat. 70
uirgo erat eximia specie claroque parente,
Hasdrubalis proles. thalamis quam cepit ut altis,
ceu face succensus prima taedaque iugali
uertit opes gener ad Poenos, Latiaeque soluto
foedere amicitiae dotalia transtulit arma. 75

51 innabant $\Gamma^2\varsigma$ : iuu- ω **52** laps(a)e $\alpha\Gamma^2\varsigma$ : lax(a)e β **56** praegressos ω *ut coni. Heinsius* : pro- δς **57** speculantum $L\Gamma^2\varsigma$ : -antur F : -atum β **60.61** *dist. Bauer, v. Lindblom 138* **61** massila $FG\Gamma^2$ : maxila L : massili γ **67** is (*pro* hic) *edd. a* r1 **73** succensus αJb1 : -is β

Sed non Ausonio curarum extrema Syphacem
ductori monuisse fuit, missique minantur:
stet regno, reputet superos, pacta hospita seruet.
longe coniugia ac longe Tyrios Hymenaeos
inter Dardanias acies fore. sanguine quippe, 80
si renuat, blando nimium facilique marito
statura obsequia et thalami flagrantis amores.
Sic Latius permixta minis sed cassa monebat
ductor; nam surdas coniunx obstruxerat aures.
ergo asper monitis frustra nitentibus enses 85
aduocat et castas polluti foederis aras
testatus uaria Martem mouet impiger arte.
castra leui calamo cannaque intecta palustri,
qualia Maurus amat dispersa mapalia pastor,
aggreditur furtum armorum tutantibus umbris 90
ac tacita spargit celata incendia nocte.
inde ubi collecti rapidam diffundere pestem
coeperunt ignes et se per pinguia magno
pabula ferre sono, clare exspatiantur in auras
et fumos uolucri propellunt lumine flammae. 95
it totis inimica lues cum turbine castris,
atque alimenta uorat strepitu Vulcanus anhelo
arida, et ex omni manant incendia tecto.
sentitur plerisque prius, quam cernitur, ignis
excitis somno, multorumque ora uocantum 100
auxilium inuadunt flammae. fluit undique uictor

77 minantur $\Phi^2$ *Heinsius* : -entur ω 78 facta *edd. a* r1 79 longe c. $\Gamma^2$ς : -a c. ω 83 minis $F^2\Gamma^2$ς : nimis α : unius β sed *Livineius* : et ω monebat αGPp : mou- γς *edd. vett.* 84 obstrinxerat δ (*corr. in* O) 88 cannaque $\alpha V^2\Gamma^2$ς : carinaque β intecta αGV : intorta δ : intexta *Heinsius* 90 furtim $\Gamma^2$ς *edd. vett.* tutantibus $\alpha\Gamma^2$r2v : nite- β 92 coniecti *Heinsius, sed cf.* 9, 602 rabidam F 94 clarae r1m *Burmann* 95 frenos β *in quo mendo multum frustra sudarunt viri docti* 96 ceu *Heinsius* 97 uorat $\Gamma^2$ς : uolat ω 101 furit *Heinsius*

Mulciber et rapidis amplexibus arma uirosque
corripit; exundat pestis, semustaque castra
albenti uolitant per nubila summa fauilla.
ipsius ingenti regis tentoria saltu 105
lugubre increpitans late circumuolat ardor
hausissetque uirum, trepidus ni clade satelles
e somno ac stratis rapuisset multa precantem.
Verum ubi mox iuncto sociarant aggere uires
Massylus Tyriusque duces accitaque regno 110
lenierat pubes infaustae uulnera noctis,
ira pudorque dabant et coniunx, tertius ignis,
immanes animos, afflataque barbarus ora
castrorum flammis et se uelamine nullo
uix inter trepidas ereptum ex hoste cateruas 115
frendebat minitans; sed enim non luce Syphacem
nec claro potuisse die nec sole tuente
a quoquam uinci. iactarat talia uecors,
sed iam claudebat flatus nec plura sinebat
Atropos et tumidae properabat stamina linguae. 120
namque ubi prosiluit castris ceu turbidus amnis,
qui siluas ac saxa trahens per deuia praeceps
uoluitur et ripas spumanti gurgite laxat,
ante omnes praeuectus equo trahit agmina uoce.
contra naua manus Rutuli celsusque ruebat 125
uiso rege procul raptis exercitus armis,
ac sibi quisque: 'uidesne uides, ut ⟨in⟩ agmine primo
Massylus uolitet deposcens proelia rector?

102 mulcifer α 104 ardenti *edd. a* r1 107 ni $F^2G^2\Gamma^2$ : in ω 108 inulta *Postgate coll. Hor. carm. 1, 28, 33, Summers, sed cf. Verg. Aen. 11, 697* precando *Bothe* 113 efflataque δ (*corr. in* Γ) 115 morte *Withof* 120 properabat pl : -abant Fr2 : -arant $LGV^2$ : -ant γ : -antur Qr1mv 125 naua $F^2$ *Heinsius* : uana ω : sana *edd. a* v 127 *de caesura cf. L. Müller 226* in *suppl. Heinsius* : uides ut agmine ω : u. ait. a. $\Gamma^2$ς primus *edd. a* r1 128 uolitat $\Gamma^2$ς

fac nostrum hoc, mea dextra, decus. uiolauit et aras
caelicolum et casti ductoris foedera rupit. 130
sit satis hunc castris semel effugisse crematis.'
sic secum taciti et certatim spicula fundunt.
prima in cornipedis sedit spirantibus ignem
naribus hasta uolans erexitque ore cruento
quadrupedem elatis pulsantem calcibus auras. 135
corruit asper equus confixaque cuspide membra
huc illuc iactans rectorem prodidit hosti.
inuadunt uanumque fugae atque attollere fessos
annitentem artus reuocato a uulnere telo
corripiunt, tum uincla uiro manicaeque pudenda 140
addita, et, exemplum non umquam fidere laetis,
sceptriferas arta palmas uinxere catena.
ducitur ex alto deiectus culmine regni,
qui modo sub pedibus terras et sceptra patensque
litora ad Oceani sub nutu uiderat aequor. 145
prostratis opibus regni Phoenissa metuntur
agmina, et inuisus Marti notusque fugarum
uertit terga citus damnatis Hasdrubal ausis.
Stabat Carthago truncatis undique membris
uni innixa uiro, tantoque fragore ruentem 150
Hannibal absenti retinebat nomine molem.
id reliquum fessos opis auxiliique ciere
rerum extrema iubent, huc confugere pauentes,
postquam se superum desertos numine cernunt.

**131** sit $\Gamma^2$ς : sat ω **138** uanumque fugae *Livineius* : -amque -am ω : clauduntque f. *Bauer* : uallantque f. *Håkanson* fusos *Damsté, satis probabiliter, cf. Liv. 30, 12, 1* **139** reuocato a uulnere telo *i.sine usu teli* (*sic Håkanson coll. 173*) **140** tum *edd. a* r1 : tunc ω pudendum *Livineius, edd.* : -ae (*et 141* additae) *Dausqueius, sed cf. e.g. Lucan. 1, 176* leges et plebis scita coactae **142** uinxere α *edd. vett.* : iu- β **145** ad α$\Gamma^2$r2pv : et βς **147** at *Barth* figurarum αr2 **150** innixa *Heinsius, cf. Liv. 4, 28, 7* uni uiro Messio fortuna hostium innititur : nixa ω

nec mora propulsa sulcant uada salsa carina, 155
qui reuocent patriaeque ferant mandata monentes,
ne lentus nullas uideat Carthaginis arces.
  Quarta Aurora ratem Dauni deuexerat oras,
et fera ductoris turbabant somnia mentem.
namque grauis curis carpit dum nocte quietem, 160
cernere Flaminium Gracchumque et cernere Paulum
uisus erat simul aduersos mucronibus in se
destrictis ruere atque Itala depellere terra,
omnisque a Cannis Thrasymennique omnis ab undis
in pontum impellens umbrarum exercitus ibat. 165
ipse fugam cupiens notas euadere ad Alpes
quaerebat terraeque ulnis amplexus utrisque
haerebat Latiae, donec uis saeua profundo
truderet et rapidis daret asportare procellis.
  His aegrum uisis adeunt mandata ferentes 170
legati patriaeque extrema pericula pandunt:
Massyla ut ruerint arma, ut ceruice catenas
regnator tulerit Libyae letoque negato
seruetur noua pompa Ioui, Carthago laboret
ut trepidi Hasdrubalis, qui rerum agitarit habenas, 175
non una concussa fuga. se, triste profatu,
uidisse, arderent cum bina in nocte silenti
castra et luceret sceleratis Africa flammis.
praerapidum iuuenem minitari, Bruttia seruet
litora dum Poenus, destructurum ignibus atris, 180
in quam se referat, patriam suaque inclita facta.

155 salsa αGΓ$^2$ς : fu- V : su- δ  156 quae Γς  monentis *Calderinus in* Γ, *Heinsius, fort. recte*  163 districtis Γ$^2$O *edd. a* v  166 capiens OY  169 rapidus O : -um *edd. a* r1  170 ferentes F$^2$Lδ : fu- FGV  175 trepida *Livineius*  176 profatu p *edd. a* l : -atur ω : -antur Γ$^2$ς  180 destructurum *Watt 1984 coll. Verg. Aen. 4, 326* : detra- ω

haec postquam dicta et casus patuere metusque,
effundunt lacrimas dextramque ut numen adorant.
Audiuit toruo obtutu defixus et aegra
expendit tacite cura secum ipse uolutans, 185
an tanti Carthago foret. sic deinde profatur:
'o dirum exitium mortalibus! o nihil umquam
crescere nec magnas patiens exsurgere laudes
inuidia! euersam iam pridem exscindere Romam
atque aequasse solo potui, traducere captam 190
seruitum gentem Latioque imponere leges.
dum sumptus dumque arma duci fessosque secundis
summisso tirone negant recreare maniplos,
dumque etiam Cerere et uictu fraudasse cohortes
Hannoni placet, induitur tota Africa flammis, 195
pulsat Agenoreas Rhoeteia lancea portas.
nunc patriae decus et patriae nunc Hannibal unus
subsidium, nunc in nostra spes ultima dextra.
uertentur signa, ut patres statuere, simulque
et patriae muros et te seruabimus, Hannon.' 200
Haec ubi detonuit, celsas e litore puppes
propellit multumque gemens mouet aequore classem.
non terga est ausus cedentum inuadere quisquam,
non reuocare uirum. cunctis praestare uidentur,
quod sponte abscedat, superi, tandemque resoluat 205
Ausoniam. uentos optant, et litora ab hoste
nuda uidere sat est, ceu flamina comprimit Auster
cum fera et abscedens reddit mare, nauita parco
interea uoto non auras poscit amicas,

**183** dextraque *C. Sittl, Die Gebärden der Griechen und Römer, Leipzig 1890, 171*[4], *fort. recte, cf. e.g. 2, 413; Val. Fl. 4, 11* **184.185** aegram ... curam *Lefebvre* **185** tacito δς **187** dirum αr2 *edd. a* v : du- β **194** cerere $F^2$p *edd. a* l : t- ω **196** rh(o)eteia α$G^2$ : rhoetria β **203** cedentum Lr2 *edd. a* v : tend- F (*corr. m. 2 in* cedentem) : redeuntum β **204** cunctis *Livineius* : -i ω *Summers*

contentus caruisse Noto, pacemque quietam 210
pro facili cursu reputat salis. omnis in altum
Sidonius uisus conuerterat undique miles;
ductor defixos Itala tellure tenebat
intentus uultus, manantesque ora rigabant
per tacitum lacrimae, et suspiria crebra ciebat, 215
haud secus ac patriam pulsus dulcesque penates
linqueret et tristes exul traheretur in oras.
Vt uero affusis puppes procedere uentis
et sensim coepere procul subsidere montes
nullaque iam Hesperia et nusquam iam Daunia tellus, 220
hic secum infrendens: 'mentisne ego compos et hoc nunc
indignus reditu, qui memet finibus umquam
amorim Ausoniae? flagrasset subdita taedis
Carthago et potius cecidisset nomen Elissae.
quid? tunc sat compos, qui non ardentia tela 225
a Cannis in templa tuli Tarpeia Iouemque
detraxi solio? sparsissem incendia montes
per septem bello uacuos gentique superbae
Iliacum exitium et proauorum fata dedissem.
cur porro haec angant? nunc, nunc inuadere ferro 230
quis prohibet rursumque ad moenia tendere gressus?
ibo et castrorum relegens monumenta meorum,
qua uia nota uocat, remeabo Anienis ad undas.
flectite in Italiam proras, auertite classem!
faxo ut uallata reuocetur Scipio Roma.' 235
Talibus ardentem furiis Neptunus ut alto
prospexit uertique rates ad litora uidit,

**211** satis *Scaliger, edd. recc., sed cf. Verg. Aen. 5, 848* salis placidi uultum fluctusque quietos *et v. Blomgren 66* **212** miles $\alpha\Gamma^2\varsigma$ : nubes β **216** ut (*pro* ac) Γ (*corr. ex* aut) ς *edd. vett.* **221** haec *edd. a* r1 -ne $FG^2V^2\Gamma^2$ : -ue Lβ **224** penitus *Schrader, sed v. Housman ad Lucan. 7, 121* **233** nota uocat *Postgate* : notat ω : nota mihi est $\Gamma^2\varsigma$ *edd.* anienis $F^2GV^2\Gamma^2$ : amenis αγ **234** ac uertite *Livineius* **236** ab (*pro* ut) V

quassans caeruleum genitor caput aequora fundo
eruit et tumidum mouet ultra litora pontum.
extemplo uentos imbresque et rupe procellas 240
concitat Aeolias ac nubibus aethera condit.
tum penitus telo molitus regna tridenti
intima ab occasu Tethyn impellit et ortu
ac totum Oceani turbat caput. aequora surgunt
spumea, et illisu scopulus tremit omnis aquarum. 245
primus se attollens Nasamonum sedibus Auster
nudauit Syrtim correpta nubilus unda.
insequitur sublime ferens nigrantibus alis
abruptum Boreas ponti latus. intonat ater
discordi flatu et partem rapit aequoris Eurus. 250
hinc rupti reboare poli atque hinc crebra micare
fulmina et in classem ruere implacabile caelum.
consensere ignes nimbique et fluctus et ira
uentorum, noctemque freto imposuere tenebrae.
ecce intorta Noto ueniensque a puppe procella 255
antemnae immugit (stridorque immite rudentum
sibilat) ac similem monti nigrante profundo
ductoris frangit super ora trementia fluctum.
exclamat uoluens oculos caeloque fretoque:
'felix, o frater, diuisque aequate cadendo, 260
Hasdrubal! egregium fortis cui dextera in armis
pugnanti peperit letum, et cui fata dedere
Ausoniam extremo tellurem apprendere morsu.
at mihi Cannarum campis, ubi Paulus, ubi illae
egregiae occubuere animae, dimittere uitam 265
non licitum uel, cum ferrem in Capitolia flammas,
Tarpeio Iouis ad manes descendere telo.'

**241** nubibus α *edd. a* j : imbribus β **247** syrtim r2v : -em ω nubilus *edd. vett.* : -bus ω **255** puppe pl *Heinsius* (*Drakenborch confert Stat. Theb. 3, 28 sq.*) : rupe ω *cf. 240* **256** antemnae α *edd. a* r1 : -nnae β **264** at FΓ[2] : ac Lβ paulus et illae *edd. a* r1

Talia dum maeret, diuersis flatibus acta
in geminum ruit unda latus puppimque sub atris
aequoris aggeribus tenuit ceu turbine mersam. 270
mox nigris alte pulsa exundantis harenae
uerticibus ratis aetherias remeauit ad auras
et fluctus supra uento librante pependit.
at geminas Notus in scopulos atque horrida saxa
dura sorte rapit, miserandum et triste, biremes. 275
increpuere ictu prorae. tum murice acuto
dissiliens sonuit rupta compage carina.
hic uaria ante oculos facies: natat aequore toto
arma inter galeasque uirum cristasque rubentes
florentis Capuae gaza et seposta triumpho 280
Laurens praeda ducis, tripodes mensaeque deorum
cultaque nequiquam miseris simulacra Latinis,
cum Venus emoti facie conterrita ponti
talibus alloquitur regem maris: 'hoc satis irae
interea, genitor, satis ad maiora minarum. 285
cetera parce, precor, pelago, ne tollat acerba
hoc Carthago decus, nullo superabile bello
progenuisse caput nostrosque in funera Poeni
Aeneadas undis totoque eguisse profundo.'
Sic Venus, et tumidi considunt gurgite fluctus 290
obuiaque aduersis propellunt agmina castris.
Dux uetus armorum scitusque accendere corda
laudibus ignifero mentes furiabat in iram
hortatu decorisque urebat pectora flammis:
'tu mihi Flaminii portas rorantia caesi 295
ora ducis; nosco dextram. tu primus in ictus

271 altae *edd. vett.* 283 tum *Bauer* *post 290 lacunam statuerunt Drakenborch et Summers, post 291 Barth et Heinsius; contra recte ut videtur Bauer 1893, 53 sqq.* 292 scitusque $\alpha\Gamma^2$ : ci- $\beta$ 295 caede (ora *sc. tua*) *Ernesti, probat Håkanson; sed vox 'mihi' coniecturae obstare videtur* 296 nosco $\alpha\Gamma^2$ : nos quo $\beta$

ingentis Pauli ruis ac defigis in ossa
mucronem. tibi pugnacis gestantur opima
Marcelli. Gracchusque cadens tibi proluit ensem.
ecce manus, quae pulsantem te, belliger Appi, 300
moenia sublimis Capuae de culmine muri
excelso fusa moribundum perculit hasta.
ecce aliud fulmen dextrae, quo nobile nomen
Fuluius excepit non unum pectore uulnus.
huc prima te siste acie, cui consul in armis 305
Crispinus cecidit. me tu comitare per hostes,
qui nobis, memini, ad Cannas laetissimus irae
Seruili fers ora ducis suffixa ueruto.
cerno flagrantes oculos uultumque timendum
non ipso minus ense tuum, fortissime Poenum 310
o iuuenis, qualem uidi, cum flumine saeuo
insignis Trebiae complexum ingentibus ulnis
mersisti fundo luctantem uana tribunum.
at tu, qui gelidas Ticini primus ad undas
Scipiadae patris tinxisti sanguine ferrum, 315
incepta exsequere et nati mihi redde cruorem.
horrescamne ipsos, ueniant si ad proelia diuos,
cum stetis, turmae, uidi contermina caelo
quas iuga calcantes summas uolitare per Alpes,
cum uideam, quorum ferro manibusque capaces 320
arsere Argyripae campi? num segnior ibis
nunc mihi, qui primus torques in moenia telum
Dardana nec nostrae facilis concedere laudi?

300 te pulsantem r2 *edd. a* v 302 perculit Jg : pert- αr2 *edd. a* v : prot- β : prop- $\Gamma^2$ς 306 comitare b1 : -ate F : ante Lβ 307 nobis Fl : u- Lβ 317 si αPr2 *edd. a* j : *om.* β 318 stetis ω : steteris $F^2$r1mp *edd. a* l turmae ω : -a r1mpl : prope me *edd. a* j contermina α : certamina β : certantia r2 *edd. a* v 319 cum (*pro* quas) $\Gamma^2$ς *edd. vett.* calcantes *Lefebvre* : -astis ω 322 torques *om.* O in moenia α$G^2$δ : minoenia G : mino ... V

te uero, tete exstimulem, qui, fulmina contra
et nimbos tonitrusque ac summi numinis iras 325
cum starem, perferre sonos ac uana iubebas
nubila et ante ducem Capitolia celsa petebas?
quid uos, quis claro deletum est Marte Saguntum,
exhorter, quos nobilitant primordia belli?
ut meque et uobis dignum, defendite, quaeso, 330
praeteritas dextra laudes. diuum ipse fauore
uincendoque senex patriam post trina labantem
lustra et non uisos tam longa aetate penates
ac natum et fidae iam pridem coniugis ora
confisus uobis repeto. non altera restat 335
iam Libyae nec Dardaniis pugna altera restat.
certatus nobis hodie dominum accipit orbis.'
Hannibal haec; sed non patiens remorantia uerba
Ausonius miles, quotiens dux coeperat ora
soluere ad effatus, signum pugnamque petebant. 340
  Haec procul aeria speculantem nube sororem
ut uidit diuum genitor maestosque sub acri
obtutu uultus, sic ore effatus amico est:
'qui te mentis edunt morsus? da noscere, coniunx;
num Poeni casus ducis et Carthaginis angit 345
cura tuae? sed enim reputa tecum ipsa furores
Sidonios. gentem contra et fatalia regna

**324** tete ω *cf. e.g. Catull. 101, 5; Verg. Aen. 12, 891* : te, te *edd.* : tene *Scaliger, Heinsius* (ten' uero tene) **326** sonos α$V^2\Gamma^2$r2 : seuos β : feras $\Gamma^2$ς : ferox *edd. a* r1 **328** quid uos $\Gamma^2$ς : quis uos α : quis nos β deleta ... Saguntus b1 *fort. recte, nam feminino genere semper utitur poeta* **329** exhorter $\Gamma^2$ς : ex(s)ortes ω **331** dextrae β **333** uisos $\Gamma^2$ς : uictos ω **334** et αr2 *edd. a* v : ac β **336** *om.* α (*add. m. 2 in* F) dardaniis $F^2\Gamma^2$ : -us β **337** accepit δ (*corr. in* Γ) **339** quotiens *Livineius* : qua- ω **340** affatus O *Heinsius, fort. recte, cf. Val. Fl. 1, 299* petebat *edd. a* r1, *fort. recte* (*Lindblom 138 sq.*) **343** affatus *Heinsius* **346** rupta δ (*corr. in* Γ)

Teucrorum quis erit, quaeso, germana, rebelli
fractis foederibus populo modus? ipsa malorum
non plus Carthago tulit exhausitque laboris, 350
quam pro Cadmea subiisti exercita gente.
turbasti maria ac terras iuuenemque ferocem
immisti Latio. tremuerunt moenia Romae,
perque bis octonos primus fuit Hannibal annos
humani generis. tempus componere gentes. 355
ad finem uentum. claudenda est ianua belli.'
Tum supplex Iuno: 'neque ego haec mutare laborans,
quis est fixa dies, pendenti nube resedi
nec reuocare acies bellumue extendere quaero.
quae donare potes, quoniam mihi gratia languet 360
et cecidit iam primus amor, – nil fila sororum
aduersus posco. uertat terga Hannibal hosti,
ut placet, et cineres Troiae Carthagine regnent.
illud te gemini per mutua pignora amoris
et soror et coniunx oro: tranare pericla 365
magnanimum patiare ducem uitamque remittas
neue sinas captum Ausonias perferre catenas.
stent etiam contusa malis mea moenia fracto
nomine Sidonio et nostro seruentur honori.'
Sic Iuno, et contra breuiter sic Iuppiter orsus: 370
'do spatium muris, ut uis, Carthaginis altae.
stent lacrimis precibusque tuis. sed percipe, coniunx,
quatenus indulsisse uacet. non longa supersunt

351 subiisti *Withof* : tulisti ω : tuleris tu G²P : retulisti V² : tetulisti Γ²ς : ipsa tulisti r1mp : tolerasti *Heinsius* : coniunx tu *Summers* : tu exercita gente tulisti *edd. a* v : *an* tua mens? 355 gentes *Bothe* : -m ω 356 uentum claudenda Fr2 : u. et c. F²Lβ : u. est; c. *Bauer* 357 haec *om.* Q *edd. a* r1 *praeter* r2 (*v. Praef. p. XLVIII n.2*) 358 pendente in Γ²ς 359 bellumque *edd. a* r1 363 troiae *om.* δ (*ins. Calderinus in* Γ) : latii *Odus in* Γς *edd. vett. praeter* r2v (*v. Praef. p. XXXII sq.*) 369 sidonio QYv2 : -ie ω 372 pr(a)ecipe GΓς

fata urbi, uenietque pari sub nomine ductor,
qui nunc seruatas euertat funditus arces. 375
aetherias quoque, uti poscis, trahat Hannibal auras,
ereptus pugnae. miscere hic sidera ponto
et terras implere uolet redeuntibus armis.
noui feta uiri bello praecordia. sed lex
muneris haec esto nostri: Saturnia regna 380
ne post haec uideat, repetat neue amplius umquam
Ausoniam. nunc instanti raptum auehe leto,
ne, latis si miscebit fera proelia campis,
Romulei nequeas iuuenis subducere dextrae.'
Dum statuit fata Omnipotens urbique ducique, 385
inuadunt acies pugnam et clamore lacessunt
sidera. non alio grauiores tempore uidit
aut populos tellus, aut, qui patria arma mouerent,
maiores certare duces. discriminis alta
in medio merces, quicquid tegit undique caelum. 390
ibat Agenoreus praefulgens ductor in ostro,
excelsumque caput penna nutante leuabat
crista rubens. saeuus magno de nomine terror
praecedit, Latioque micat bene cognitus ensis.
at contra ardenti radiabat Scipio cocco 395
terribilem ostentans clipeum, quo patris et una
caelarat patrui spirantes proelia dira
effigies; flammam ingentem frons alta uomebat.
sub tanta cunctis ui telorumque uirumque
in ducibus stabat spes et uictoria solis. 400
quin etiam, fauor ut subigit plerosque metusue,
Scipio si Libycis esset generatus in oris,

**379** f(o)eta $F^2LG^2$ *Calderinus in* Γr2 *edd. a* v : fera F (?) β : s(a)eua $Γ^2$ς belli *edd. vett. praeter* r2 **381** posthac *edd. a* r1 **383** latis si miscebit α : si m. l. β **388** paria *edd. a* v mouerent $FΓ^2$ς : -unt L : nouerunt β **391** et (*pro* in) δς **394** nutat Lδ (*corr. in* Γ) **399** ui β : in α uirorumque δς **401** fauor subigit ut Γς : s. f. ut $W^2$ *edd. vett.* plerumque $Γ^2$ς *edd. vett.*

sceptra ad Agenoreos credunt uentura nepotes,
Hannibal Ausonia genitus si sede fuisset,
haud dubitant terras Itala in dicione futuras. 405
  Contremuere aurae rapido uibrantibus hastis
turbine et horrificam traxere per aethera nubem.
inde ensis propiorque acies et comminus ora
admota ac dira flagrantia lumina flamma.
sternitur, in medium contemptrix turba pericli 410
quae primis se praecipitem tulit obuia telis,
gentilemque bibit tellus inuita cruorem.
feruidus ingenii Masinissa et feruidus aeui
in primas Macetum turmas immania membra
infert et iaculo circumuolat alite campum. 415
caerulus haud aliter, cum dimicat, incola Thyles
agmina falcigero circumuenit arta couinno.
Graia phalanx patrio densarat more cateruas
iunctisque adstabat nulli penetrabilis hastis.
immemor has pacti post foedus in arma Philippus 420
miserat et quassam refouebat Agenoris urbem.
rarescit multo laxatus uulnere miles
atque aperit patulas prostrato corpore late
inter tela uias. irrumpit mole ruinae
Ausonius globus et periuria Graia resignat. 425
Archemorum Rutilus, Teucrum Norbanus (et ambo

403 essent (*pro* credunt) *edd. vett.* 410 *sic dist. Postgate* turba QYr1 : pugna ω 412 bibit αr2v : uidit β : uidet $\Gamma^2$ς inuita *Livineius* : -sa ω 413 ingenii $\Gamma^2$ς : -ti ω 414 macetum α$\Gamma^2$ : -dum β turmas O *edd. a* r1 : -bas αGVΓ$O^2$ 416 aliter α$V^2\Gamma^2$ : *om.* β 417 falcifero *edd. a* r1 couinno αV$\Gamma^2$r2 : comimo GΓ : camino O 419 iunctisque *Bauer 1891, 195 sq.* : inuict- α : inuit- Gδ : immit- V : innix- $\Gamma^2$ς astat $V^2\Gamma^2$ς 420 hos *Heinsius* pactum *Bothe* 422 laxatus Fςr2 *edd. a* v : lass- Lβ funere *Heinsius* 424 more X *Burmann, sed cf. 9, 504* 425 globus α$\Gamma^2$ r2pv : rogus β resignat ς : -ant ω *def. Blomgren, v. Håkanson de sensu* 426 archemorum α$\Gamma^2$ : arte- β rutulus $\Gamma^2$ς

Mantua pubenti genetrix dimiserat aeuo),
obtruncat Samium bellacis dextra Caleni,
at Clytium Selius, Pellaeum et uana tumentem
ad nomen patriae Clytium, sed gloria Pellae 430
haud ualuit misero defendere Daunia tela.
Saeuior his Latius uastabat Bruttia signa
Laelius increpitans: 'adeone Oenotria tellus
detestanda fuit, quam per maria aspera perque
insanos Tyrio fugeretis remige fluctus? 435
sed fugisse satis fuerit. Latione cruore
insuper externas petitis perfundere terras?'
haec dicens Silarum meditantem in proelia telo
praeuenit. hasta uolans imo sub gutture sedit
et uitae uocisque uias simul incita clausit. 440
Vergilio Caudinus, acerbo Laus Amano
sternitur. accendunt iras uultusque uirorum
armorumque habitus noti et uox consona linguae.
quos ubi nudantes conspexit Hamilcare cretus
terga fuga, 'state ac nostram ne prodite gentem' 445
uociferans subit et conuertit proelia dextra,
qualis in aestiferis Garamantum feta ueneno
attollit campis feruenti pastus harena
colla Paraetonius serpens lateque per auras

427 pubenti *Schrader* : bib- ω : lab- $\Gamma^2$ς : flor- *Withof* **428** samium r2v : sanium ω (stamum G senium O) **429** clytium $\Gamma^2$r2 : cli- $F^2$L : di- F : decium β Salius *Livineius* **430** ob *Schrader, sed v. Thes. 1, 552, 20 sqq.* clytium Fv : clitum Lβ (-ium Γ) **432** latius O (*corr. in* -os) Y *Withof* : -os ω *def. Schuster 1927* (*i. Italos*) : late *Livineius* **436** fuerat *Livineius* latioue VO **437** perfundere α$\Gamma^2$r1 : eff- β **441** uirgilio β acerbo Laus *Blass et Bauer 1891, 196 coll. Plin. nat. 3, 72* Laus amnis (*sc. Lucaniae*) : a. saus F : acer bosans L : acerbosans β : a. saris $\Gamma^2$ς : a. Sarnus *Heinsius* amauo δς **442** cultusque *Schrader* **443** nox α (*corr. in* F) **444** nudantis α *Scaliger, Livineius* : nut- β **445** terga α$\Gamma^2$ς : hannibal terga β fugae $R^2$r2 **447** in aestiferis $\Gamma^2$ς : m(a)e- ω

undantem torquet perfundens nubila tabem. 450
continuo infesta portantem cuspide uulnus
impedit anteuolans Herium, cui nobile nomen
Marrucina domus clarumque Teate ferebat.
atque illi magnum nitenti et laudibus hostis
arrecto capuli ad finem manus incita sedit, 455
quaerebatque miser morienti lumine fratrem,
cum iuuenis subit et leto stimulatus acerbo
Pleminius saeuum mucronem ante ora coruscat
ac fratrem magno minitans clamore reposcit.
huic proles Barcae: 'germanum reddere uero 460
si placet, haud renuo. maneant modo foedera nostra:
Hasdrubalem reuocate umbris. egone aspera ponam
umquam in Romanos odia aut mansuescere corda
nostra sinam parcamque uiro, quem terra crearit
Itala? tum manes inimici sede repellant 465
aeterna socioque abigat me frater Auerno.'
sic ait et clipei propulsum pondere toto,
lubrica qua tellus lapsantes sanguine fratris
fallebat nisus, prosternit et occupat ense.
extendit labens palmas Heriumque iacentem 470
amplexus iuncta leniuit morte dolores.
tum Libys inuadit mixtae certamina turbae
conuertitque ruens per longum hostilia terga,
ut, cum fulminibus permixta tonitrua mundum

452 impetit *Heinsius, fort. recte, cf. 5, 273; Stat. Theb. 8, 523* herium α$\Gamma^2$ς : herum β **454** nitenti $\Gamma^2$ς : int- ω **455** sedit αV$\Gamma^2$r2 : fe- G : fo- δς (*unde* inguina fodit *Livineius*) **458** pl(a)eminius αr2v : flem- GVΓ : flam- $\Gamma^2$ς : flamm- O **459** minitans α$\Gamma^2$ς : imi- V : imitatus Gδ **460** huic v : hinc ω barcae α$\Gamma^2$ς : bracee GV : bratee δ **461** aut α *(corr. in* F) **462** reuocare ΓY *edd. vett.* **464** parcamque G$\Gamma^2$ς : pare- αγ **465** tum *Livineius* : dum ω inimici (*vel* inimici a) *Blomgren* : -a ω : -os *Livineius* repellant ω (app- Γ) : -at $\Gamma^2$ς *edd.* **471** dolorem *edd. a* r1

terrificant summique labat domus alta parentis, 475
omne hominum terris trepidat genus, ipsaque ob ora
lux atrox micat, et praesens adstare uiritim
creditur intento perculsis Iuppiter igne.
Parte alia, ceu sola forent discrimina campo,
qua misceret agens truculentum Scipio Martem, 480
aspera pugna nouas uaria sub imagine leti
dat formas. hic ense iacet prostratus adacto,
hic saxo perfracta gemit lacrimabilis ossa;
ast hos, turpe, pauor fusos proiecit in ora,
horum aduersa dedit Gradiuo pectora uirtus. 485
ipse super strages ductor Rhoeteius instat,
qualis apud gelidum currus quatit altior Hebrum
et Geticas soluit feruenti sanguine Mauors
laetus caede niues, glaciemque Aquilonibus actam
perrumpit stridens sub pondere belliger axis. 490
iamque ardore truci lustrans fortissima quaeque
nomina obit ferro. claris spectata per orbem
stragibus occumbit late inter tela iuuentus.
qui muros rapuere tuos miserasque nefandi
principium belli fecere, Sagunte, ruinas, 495
qui sacros, Thrasymenne, lacus Phaethontia quique
polluerant tabo stagna, ac fiducia tanta
quos tulit, ut superum regi soliumque domosque
irent direptum, mactantur comminus uno
exitio, redduntque animas, temerata ferebant 500

476 in terris b1 oborta $\Gamma^2\varsigma$ 478 perculsis $\alpha\Gamma^2\varsigma$ : -us $F^2\beta$ 480 quo *Summers* misceret $\Gamma^2\varsigma$ : miseret $\omega$ : miscebat *edd. a* r1 truculentum $\alpha$r2 : -us $\beta$ 483 hic $\alpha$G *edd. a* r1 : his V : is $\delta$ 484 atque *edd. a* r1 deiecit *edd. a* r1 487 altior *suspectum* : acrior *Bothe* 489 caede $\Gamma^2\varsigma$ : saede F : sede L$\beta$ auctam *edd. a* r1 492 claris $\alpha$ *edd. a* r1 : -dis $\beta$ 495 sagunte $\alpha\Gamma^2$ : -i $\beta$ 496 quique tuos *Livineius* 498 regis (*vel* 499 dereptum) *van Veen* 500 ferebant $\Gamma^2\varsigma$ : -at $\omega$

qui secreta deum et primos reserasse negatas
gressibus humanis Alpes. formidinis huius
plena acies propere retro exanimata ruebat,
haud secus ac tectis urbis Vulcania pestis
cum sese infudit rapidusque incendia flatus 505
uentilat et uolucres spargit per culmina flammas,
attonitum erumpit subita formidine uulgus,
lateque ut capta passim trepidatur in urbe.
Verum ubi cunctari taedet dispersa uirorum
proelia sectantem et leuiori Marte teneri, 510
omnes in causam belli auctoremque malorum
uertere iam uires tandem placet. Hannibal unus
dum restet, non, si muris Carthaginis ignis
subdatur caesique cadant exercitus omnis,
profectum Latio. contra, si concidat unus, 515
nequiquam fore Agenoreis cuncta arma uirosque.
illum igitur lustrans circumfert lumina campo
rimaturque ducem. iuuat in certamina summa
ferre gradum, cuperetque uiro concurrere tota
spectante Ausonia. celsus clamore feroci 520
prouocat increpitans hostem et noua proelia poscit.
Quas postquam audiuit uoces conterrita Iuno,
ne Libyci ducis impauidas ferrentur ad aures,
effigiem informat Latiam propereque coruscis
attollit cristis, addit clipeumque iubasque 525
Romulei ducis atque umeris imponit honorem
fulgentis saguli, dat gressum habitusque cientis
proelia et audaces adicit sine corpore motus.
tum par effigies fallacis imagine uana
cornipedis moderanda cito per deuia passu 530
belligerae datur ad speciem certaminis umbrae.

**501** primos *Heinsius* : -o ω : -i (pressere) *Livineius* pressere b1 **511** actoremque δ (*corr. in* Γ) **515** profectum α$\Gamma^2$ς : -u β concidat α$\Gamma^2$ς : -tet β **528** adicit L V *v. Leumann 128* : adigit F : addicit G δ : addit $\Gamma^2$ς

sic Poeni ducis ante oculos exsultat et ultro
Scipio Iunoni simulatus tela coruscat.
at uiso laetus rectore ante ora Latino
et tandem propius sperans ingentia Poenus 535
quadrupedi citus imponit uelocia membra
et iacit aduersam properati turbinis hastam.
dat terga et campo fugiens uolat ales imago
tramittitque acies. tum uero ut uictor et alti
iam compos uoti ferrata calce cruentat 540
cornipedem et largas Poenus quatit asper habenas:
'quo fugis oblitus nostris te cedere regnis?
nulla tibi Libyca latebra est, o Scipio, terra.'
haec ait et stricto sequitur mucrone uolantem,
donec longinquo frustratum duxit in arua 545
diuersa spatio procul a certamine pugnae;
tum fallax subito simulacrum in nubila cessit.
fulmineus ductor 'quisnam se numine caeco
composuit nobis' inquit 'deus? aut latet idem
cur monstro? tantumne obstat mea gloria diuis? 550
sed non auelles umquam, quicumque secundus
caelicolum stas Ausoniae, non artibus hostem
eripies uerum nobis.' frena inde citati
conuertit furibundus equi campumque petebat,
cum subito occultae pestis collapsa tremore 555
cornipedis moles ruit atque efflauit anhelo
pectore Iunonis curis in nubila uitam.
tum uero impatiens 'uestra est haec altera, uestra
fraus,' inquit 'superi. non fallitis. aequore mersum
texissent scopuli, pelagusque hausisset et undae! 560

533 iunoni Γ²ς : -e ω 534 at ATΔΨ *Livineius* : ac ω 535 proprius FV 546 diuersae *Heinsius, sed v. ad 9, 575* 548 fulmineus Γ²ς : flam(m)- ω numine αr2 : l- β 553.554 citati ... equi J² *Heinsius* : -is ... -i αJ : -is ... -is β : -o ... -o *Livineius* 555 subito occult(a)e α *Drakenborch* : -o -a GVO : -a -a Γ : -a -o Γ²ς 558 uestra ... uestra GVΓ²ς : u- ... nostra α : n. ... u. δ 559 fullitis α (-cis F)

anne huic seruabar leto? mea signa secuti,
quis pugnae auspicium dedimus, caeduntur, et absens
accipio gemitus uocesque ac uerba uocantum
Hannibalem. quis nostra satis delicta piabit
Tartareus torrens?' simul haec fundebat et una 565
spectabat dextram ac leti feruebat amore.
Tunc Iuno miserata uirum pastoris in ora
uertitur ac siluis subito procedit opacis
atque his alloquitur uersantem ingloria fata:
'quaenam te siluis accedere causa subegit 570
armatum nostris? num dura ad proelia tendis,
magnus ubi Ausoniae reliquos domat Hannibal armis?
si uelox gaudes ire et compendia grata
sunt tibi, uicino in medios te tramite ducam.'
annuit atque onerat promissis pectora largis 575
pastoris patresque docet Carthaginis altae
magna repensuros nec se leuiora daturum.
praecipitem et uasto superantem proxima saltu
circumagit Iuno ac fallens regione uiarum
non gratam inuito seruat celata salutem. 580
Interea Cadmea manus deserta pauensque
non ullum Hannibalem, nusquam certamina cernit
saeui nota ducis. pars ferro occumbere credunt,
pars damnasse aciem et diuis cessisse sinistris.
ingruit Ausonius uersosque agit aequore toto 585
rector, iamque ipsae trepidant Carthaginis arces.
impletur terrore uago cuncta Africa pulsis
agminibus, uolucrique fuga sine more ruentes

561 huic Γς : hinc ω seruabat LJr2 562 creduntur δ (*corr. in* Γ) ς 563 et *edd. a* r1 565 tartareus αΓ²ς : -os β una αVΓ² : ima Gδ 567 tunc α : tum β 572 armis Γ²ς : -a ω 578 superantem αr2 *edd. a* v : prop- β 579 ac α : at GV : et δς 584 diuis α : superis β 585 uersoque δ (*corr. in* Γ) ς 588 more *Heinsius, v. Håkanson* : morte ω : marte Γ²ς *edd. recc.*

tendunt attonitos extrema ad litora cursus
ac Tartessiacas profugi sparguntur in oras; 590
pars Batti petiere domos, pars flumina Lagi.
sic ubi ui caeca tandem deuictus ad astra
euomuit pastos per saecula Vesuius ignes
et pelago et terris fusa est Vulcania pestis,
uidere Eoi, monstrum admirabile, Seres 595
lanigeros cinere Ausonio canescere lucos.
At fessum tumulo tandem regina propinquo
sistit Iuno ducem, facies unde omnis et atrae
apparent admota oculis uestigia pugnae.
qualem Gargani campum Trebiaeque paludem 600
et Tyrrhena uada et Phaethontis uiderat amnem
strage uirum undantem, talis, miserabile uisu,
prostratis facies aperitur dira maniplis.
tunc superas Iuno sedes turbata reuisit.
iamque propinquabant hostes tumuloque subibant, 605
cum secum Poenus: 'caelum licet omne soluta
in caput hoc compage ruat terraeque dehiscant,
non ullo Cannas abolebis, Iuppiter, aeuo,
decedesque prius regnis, quam nomina gentes
aut facta Hannibalis sileant. nec deinde relinquo 610
securam te, Roma, mei, patriaeque superstes
ad spes armorum uiuam tibi. †nam modo pugna
praecellis, resident hostes† mihi satque superque,

590 tart(h)essiacas ΦY *edd. a* r1 : cart- ω (carc- L) 591 batti Γ² *edd. a* r1 : bacci αGV : bacchi δς lagi Γ²ς : largi ω 592 ui caeca *Calderinus in* Γp : inceca α : niceca G : in ceca V : incelca Γ : incelta O 593 uesbius α *Calderinus in* Γp : uosbius GV : nosbius δ 597 at *edd. a* j : et ω 600 gargani Γ²ς : -ii ω 602 uirum Φr2 *cf. 9, 189* : uera ω : fera p *Bauer* 604 tunc α : tum β 607 dehiscant VΓ²r1 : -at αGδ 612.613 *verba vix sana varie temptata sine fructu; fort. scribendum* uiuam. tibi, dum (*Ruperti*) mihi (*cf. 15, 74*) p. p., r. h., mihi : uiuam. tu nam modo p. p., r. h., mihi *Watt 1984*

ut me Dardaniae matres atque Itala tellus,
dum uiuam, exspectent nec pacem pectore norint.' 615
sic rapitur paucis fugientum mixtus et altos
inde petit retro montes tutasque latebras.
Hic finis bello. reserantur protinus arces
Ausonio iam sponte duci. iura improba adempta
armaque, et incisae leges, opibusque superbis 620
uis fracta, et posuit gestatas belua turres.
excelsae tum saeua rates spectacula Poenis
flammiferam accepere facem, subitaque procella
arserunt maria, atque expauit lumina Nereus.
Mansuri compos decoris per saecula rector 625
deuictae referens primus cognomina terrae
securus sceptri repetit per caerula Romam
et patria inuehitur sublimi tecta triumpho.
ante Syphax feretro residens captiua premebat
lumina, et auratae seruabant colla catenae. 630
hinc Hannon clarique genus Phoenissa iuuentus
et Macetum primi atque incocti corpora Mauri,
tum Nomades notusque sacro, cum lustrat harenas,
Hammoni Garamas et semper naufraga Syrtis.
mox uictas tendens Carthago ad sidera palmas 635
ibat et effigies orae iam lenis Hiberae,
terrarum finis Gades ac laudibus olim
terminus Herculeis Calpe Baetesque lauare
solis equos dulci consuetus fluminis unda,
frondosumque apicem subigens ad sidera mater 640
bellorum fera Pyrene nec mitis Hiberus,
cum simul illidit ponto, quos attulit, amnes.
sed non ulla magis mentesque oculosque tenebat,

**631** hinc ω : hic ς iuuentus *Lefebvre* (-tas *iam Heinsius*) : -ta ω *v. Thes. 7, 2, 742, 9* **632** indocti δς **636** lenis $\Gamma^2$ς : leuis ω **638** calpe α$\Gamma^2$ : -i β (*verbum om.* O) betesque α : -eque β : -isque $\Gamma^2$ς **640** subigens αV$\Gamma^2$ : sibi gens Gδ

quam uisa Hannibalis campis fugientis imago.
ipse adstans curru atque auro decoratus et ostro 645
Martia praebebat spectanda Quiritibus ora,
qualis odoratis descendens Liber ab Indis
egit pampineos frenata tigride currus,
aut cum Phlegraeis confecta mole Gigantum
incessit campis tangens Tirynthius astra. 650
salue, inuicte parens, non concessure Quirino
laudibus ac meritis, non concessure Camillo.
nec uero, cum te memorat de stirpe deorum,
prolem Tarpei, mentitur Roma, Tonantis.

647 adoratis δ (*corr. in* Γ) 652 *dist. Housman ad Lucan.* 7, 421

# INDEX NOMINVM